COLLATIONES BRUGENSES.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS V

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCM

25283

v. 5
1900

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii

I

Explica *ad Hebr.* XIII, 10: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* 11 *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* 12 *Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

II

Expone quid in doctrina catholica intelligatur nomine operationis *theandricæ* Christi.

III

Dijudica utrum et quanam ratione impedimenta canonica afficiant infideles et hæreticos.

IV

Titius et Caius fratres matrimonium contrahunt respective cum Titia et Caia sororibus, quæ sunt consobrinæ germanæ Titii et Caii.

Expone quoties et quonam gradu inter se consanguinei sint Paulus et Paula, proles respective ex hoc duplici matrimonio procreatæ.

V

Bertha, post mortem Petri conjugis, nuptias inire intendit cum Titio fratre defuncti mariti, desponsato nepti (nièce) Berthæ, cum qua nepte idem Titius copulam carnalem olim habuit.

Determina naturam et quantitatem impedimenti dicto matrimonio obstantis et undenam oriatur indica.

VI

An et quare licet legere et retinere libros censuræ ecclesiasticæ subjectos, qui sine approbatione editi fuerint?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. Expone Job IV, 17: *Numquid homo, Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir?* 18 *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem:* 19 *Quanto magis hi qui habitant domos luteas...?*

R. Amarè conquestus erat Job (c. III) de calamitatibus sibi immissis. Eliphaz autem, amicus ejus, cum meritò censeret Deum esse justissimum, immeritò verò autumaret neminem affligi malis nisi propter peccata sua (1), ex atrocitate calamitatum Jobi scelerum ejus enormitatem colligendam duxit. Postquam igitur Jobum impatientiæ arguit (IV, 1-6), eum ad criminum suorum confessionem adigere contendit *primò* argumento ab experientia et analogia desumpto (IV, 7-11), *deinde* à revelatione sibi facta, quam prius describit (12-16), ac porro proponit (17-21). Quamvis autem hujus revelationis verba sint in se verissima, imo probabilius divinitus suggesta, perperam tamen ex iis Eliphaz concludendum relinquit Jobum, utpote gravissimè afflictum, maximum peccatorem esse.

Jam verò sensus v. 17 videtur esse sequens: « Nullius hominis justitia comparari potest cum justitia Dei, nec ullius puritas Dei puritatem superare. » Verùm cum in hebr. in utroque membro eadem occurrat particula *min (præ, plus quam)*, melius auctor Vulgatæ vertisset: « Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut

(1) Cf. *Collat. Brug. t. IV*, p. 586.

factoris sui comparatione purificabitur vir? »; vel potius: « Numquid homo præ Deo justificabitur, aut præ factore suo purificabitur vir? » Prioris versionis sensus est, neminem mortalium esse æque justum aut purum ac Deum factorem suum; posterioris vero: neminem esse Deo factore suo justiorem aut puriorem. Mente supplendum relinquit Eliphaz: « Atqui Jobi justitia ac puritas Dei justitiam ac puritatem æquipararet seu potius superaret, si Deus Jobum innocentem afflixisset. Justior enim est qui immeritò affligitur, quàm qui immeritò affligit. Ergo Job non est innocens, adeoque immeritò conqueritur de calamitatibus sibi inflictis. » Fallacia argumentationis est in falso supposito Deum, utpotè justissimum, malis temporalibus affligere neminem nisi propter peccata sua. — Hoc modo explicandam censemus Vulgatam.

Verùm, cum 1° nimis manifestum sit nullius hominis justitiam Dei justitiam æquare aut superare; cum 2° homini nullo pacto vitio verti queat quòd divinam aut divinà majorem justitiam non habeat; cumque 3° particula *min* hanc etiam habeat vim ut significet *coram*, *juxta* (cf. Num. XXXII, 22; Jerem. LI, 5; Ps. XVIII, 22 etc.), eamque græca versio hîc in priori membro ἐναντίον, i. e. *coram* expresserit, præstare videtur v. 17 transferre sic: « Numquid homo coram Deo (seu Deo judice) justificabitur, aut coram factore suo purificabitur vir? » i. e. nemo coram Deo factore suo omninò justus est ac purus; seu: Deus in quovis homine deprehendit quæ reprehendat, arguat, puniatque. Hanc porro sententiam illustrat et confirmat Eliphaz argumento à fortiori, seu à majore ad minus: v. 18 *Ecce*, ait, *qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem:* 19 *Quanto magis hi qui habitant domos luteas...?* i. e.: Ecce ipsi coram Deo deficere cernuntur angeli, sublimes illi ac cœlestes spiritus: quanto magis coram ipso deficere deprehendentur homines de luto seu limo terræ quoad corpus formati, adeoque natura viles, terreni, fragiles?

Nota 1° *Qui serviunt ei* non sunt *prophetæ,* uti vult Chaldæus, sed *angeli,* ut patet ex secundo membro v. 18: *et in angelis suis...*

2° Pro eo quod habetur: *qui serviunt ei non sunt stabiles*, hebraice legitur: *in servis suis non credet*, quod græcè sic benè redditur: *contra servos suos non credit*, seu *non fidit*, *fidem seu fiduciam non habet.* Sensus Vulgatæ quoad rem non differt à sensu textùs hebraici et versionis græcæ: nam ideò Deus in servis suis non collocat certam boni fiduciam, quia ex se et natura sua non sunt in bono stabiles, adeoque à recto deficere possunt.

3° Pro: *pravitatem* hebraice legitur *thahalah,* quæ vox semel tantum occurrit in S. Scriptura, cujusque etymologia valde dubia et obscura est. Rectè tamen vertisse Vulgatam satis colligitur ex aliis antiquis versionibus. Septuagintà enim vertunt σκολιόν τι, i. e. *pravum quid;* Symmachus: ματαιότητα, *vanitatem* (peccatum); Syrus: *stuporem, pavorem;* Chaldæus: *occasionem.* Alii *insipientiam* (peccatum) interpretantur; alii *errorem*, *defectum;* alii *remotionem*, nimirum à normâ propositâ, à perfectione debitâ. Alii minus probabiliter *laudem*, *gloriationem* vertunt, et in secundo membro v. 18 negationem ex priore supplent. Ex his concludimus in primo quidem membro *deficiendi potestatem*, in altero verò *deficiendi actum* designari.

4° Verba: *Quanto magis hi qui habitant domos luteas...* elegans sunt terreni hominis periphrasis, qualis fere occurrit II Cor. V, 1: *terrestris domus hujus habitationis*, necnon Sap. IX, 15: *terrena inhabitatio.* Dicendo autem domos *luteas*, manifestè alludit Eliphaz ad nostri corporis de luto seu *limo terræ* efformationem (Gen. II, 7; III, 19), eoque fine describit vilem ac fragilem hominum conditionem ut Job facilius admittat se hominem labilem ac lapsum esse, cum naturæ longe superiores ex sese labiles et de facto lapsæ sint.

5° Multùm controvertitur de quibusnam hîc agatur

angelis. Veteres interpretes intelligunt angelos apostatas, de quibus II Petr. II, 4: *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit...* necnon Jud. 6: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum...* Verùm cum angeli lapsi non possint rectè vocari *servi Dei,* nonnulli recentiores intelligunt angelos bonos, jubentque conferre XV, 15: *Ecce inter sanctos* (angelos) *ejus nemo immutabilis, et cœli* (cælites) *non sunt mundi in conspectu ejus;* necnon XXV, 5: *Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus* etc., ex quibus colligunt hîc nihil aliud significari quam *angelos naturâ suâ et ex sese labiles exsistere.* Et hæc quidem sententia nobis præplaceret si secundum membrum v. 18 esset omnino parallelum cum primo, nec aliud designaret quam naturalem angelorum instabilitatem. At persuasum nobis est hîc haud obscurè alludi ad factum lapsus angelorum, quo manifestè demonstrata fuit naturalis hæc angelorum instabilitas; adeoque non agi de solis bonis angelis, utpote qui nunc per lumen gloriæ sunt in bono stabiles, et in quibus Deus nullam deprehendit pravitatem; nec de solis lapsis angelis, utpotè qui in præsenti statu suo in malo obfirmati nullatenus servi Dei dici merentur, atque in bono instabiles, sed de toto agmine cœlestium Spirituum, quatenus in statu probationis positi, ex sese et naturâ suâ labiles erant, et de facto magno numero prolapsi sunt.

Eodem modo exponi potest XV, 15: *Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus,* i. e. si natura angelorum per se spectetur, et primus status, in quo creati sunt, deficere à sanctitate potuerunt, atque revera nonnulli defecerunt, cœlumque peccatis inquinaverunt.

G. V. D. P.

II

Q. *Quæritur an et cur Christus dici possit a/ Filius Dei naturalis, b/ Filius Dei adoptivus.*

R. I. Christus dici potest, imo et debet, Filius Dei naturalis.

Etenim nomine filii naturalis intelligitur persona quæ per physicam et proprie dictam generationem ab alia persona ortum habet. Atqui Christus, physica et proprie dicta generatione procedit a Deo Patre. Ergo Christus vere est et dicitur Filius Dei naturalis.

Declaratur minor: jam demonstratum est (cf. *Coll. Brug.* T. IV, p. 589) in Christo esse unicam personam: hæc persona est Verbum Dei quæ sibi hypostatice univit humanam naturam: jamvero Verbum Dei æterna procedit generatione a Patre, et humana natura assumpta trahitur ad esse personale Filii Dei: ergo Christus est unica persona, et unicus filius, scilicet Filius Dei naturalis.

Nota. Huic conclusioni non obstat humanam naturam Christi non fuisse a Deo Patre per generationem productam: non enim ratione humanæ naturæ, nec formaliter secundum ipsam est Christus Filius Dei naturalis sed per naturam humanam Verbum Dei est homo, et hic homo, scilicet Christus, est Filius Dei naturalis. Ideo Christus, simpliciter et sine addito, dici potest Filius Dei naturalis.

Plures auctores thesim proponunt hoc modo: Christus *ut hic homo est,* vel *etiam ut hic homo*, est Filius Dei naturalis: rectus etiam est ille modus loquendi ut explicat Jungmann: « Dum dicimus Christum hominem, seu *Christum ut hic homo est*, esse Filium Dei naturalem, illo addito explicativo clare exprimimus, sermonem esse de supposito et persona hac subsistente in humana natura. Designatur videlicet hæc hypostasis etiam in humana natura, hic habens naturam humanam adeoque

hic homo ut subjectum, cui convenit prædicatum *Filius Dei naturalis*. Sed nullatenus dicimus, rationem, cur hoc prædicatum Christo homini conveniat sitam esse in humana natura assumpta. Propositio igitur: Christus homo, seu Christus ut hic homo, est Filius Dei naturalis, debet sumi in sensu *specificativo*, non in sensu *reduplicativo formali*. » *De Verbo Incarnato*, n. 160.

II. Nullo modo dici potest Christus Filius Dei adoptivus.

Hujus ratio fundamentalis in hoc est quod, ex una parte, nomen *filius* designat immediate personam vel hypostasim, ex altera vero parte, persona Christi non habet respectu Patris illam extraneitatem quam importat adoptio.

Hæc breviter explicemus: filiatio est relatio cujus fundamentum est generatio. Hæc autem relatio non convenit immediate naturæ et mediate supposito tamquam ultimo subjecto attributionis, sed ipsa per se primo afficit ipsum suppositum vel personam. Et sane *filius* formaliter et in recto designat illum qui fit per generationem: sed illius est fieri cujus est esse seu subsistere: porro esse seu subsistere est suppositi, non naturæ: suppositum enim est individuum *subsistens:* ergo *filius* immediate designat suppositum vel personam. Jamvero Christi humana natura, licet singularis, minime tamen est persona et consequenter nequit unquam vocari *filius*. (1) Si vero quis considerat in Christo personam, hæc unica est, æterna scilicet et divina, et hæc persona rectissime dicitur filius, ut supra ostensum est, sed minime dici potest filius *adoptivus:* adoptivus (2) enim est extraneus quidam qui in filium et hæredem assu-

---

(1) Aliter prorsus res se habet quando agitur de illis prædicatis quæ immediate *naturam* designant, et mediate personam quæ secundum hanc naturam subsistit: ita rectissime Christus dicitur *homo*, *rationalis*, *subjectus Patri*, *mortuus*, etc.

(2) *Adoptio* definitur: extraneæ personæ in filium et hæredem gratuita assumptio.

mitur: jamvero Christus respectu Patris non est persona extranea, sed est filius naturalis. Ergo adoptio nequit unquam convenire Christo.

Nota. Hæretica est sententia quæ dicit Christum hominem esse Filium Dei adoptivum, sensu *exclusivo*, quatenus scilicet Christus homo non esset nisi adoptivus filius Dei: talis enim sententia evidenter ponit Christum hominem tamquam personam extraneam Deo Patri et distinctam a Verbo, et consequenter ponit duas esse in Christo personas. Hæc sententia damnata fuit a Concilio Francofordiensi (a. 794) confirmato ab Hadriano I. Cf. Denzinger, *Enchir.* n. 253 et seq.

Non hæretica est sententia Durandi statuentis Christum hominem esse filium Dei adoptivum, sensu *cumulativo*, quatenus videlicet Christus simul esset et filius Dei naturalis, ratione suppositi, et filius Dei adoptivus ratione gratiæ sanctificantis quæ est in anima Christi. Hæc tamen sententia etiam rejicienda est ut ex supra dictis patet.

Ad pleniorem rei intelligentiam subjicimus hic *objectionem* quæ refert fundamentum quo innitebatur Durandus ad suam opinionem stabiliendam:

Impossibile est ut forma sit in subjecto sine suo formali effectu; atqui formalis effectus gratiæ habitualis (quæ in Christo est) est facere filium Dei adoptivum. Ergo Christus est filius Dei adoptivus.

Responsio: negatur minor. Etenim « formalis effectus gratiæ sanctificantis non est, proprie loquendo, facere filium Dei adoptivum, sed conferre animæ deiformitatem qua ordinatur ad participationem divinæ beatitudinis.

Nunc autem ex hac deiformitate resultat denominatio filii adoptivi, in personis quæ aliunde hujus denominationis sunt capaces, scilicet in personis Deo extraneis, definitur enim adoptio, *personæ extraneæ in filium et hæredem gratuita assumptio*. Quare, si forte gratia inveniatur in persona non extranea Deo, pro quanto ornat naturam unitam ei secundum hypostasim, semper qui-

dem habebit suum proprium formalem effectum, quin tamen in hujus naturæ supposito resultet denominatio adoptivi, quia huic denominationi conditio personæ omnino obstat. » Billot, *De Verbo Incarnato*, Thes. XVI, ad 1um.

J. V. D. M.

III

Q. *Expone quosnam effectus sacramentum Extremæ Unctionis operetur in anima.*

R. I/ *Immediate et proxime* inducit in animam dispositionem præviam (rem et sacramentum), quæ sit titulus ad gratiam specialem et propriam. Consistit autem ille effectus in deputatione et repositione ægroti proprii levaminis quasi incapacis in sinum divinæ Misericordiæ, in ordine ad recipiendum levamen imploratum. Quæ consignatio infirmi inter manus misericordis Dei practice significatur per formæ sacramentalis sensum deprecatorium, et ordinatio hujus consignationis in levamen et medicinam indigitatur per verba formæ et per unctiones. Cfr. Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, II, p. 242.

II/ Operatur, *mediante dicta dispositione prævia*, id in modum causæ materialis exigente:

A/ *ex primaria intentione gratiam secundam*, eamque specialem et propriam, *alleviantem* nempe et sanantem infirmum.

Exponitur:

Dicitur 1°/ « *ex primaria intentione* infundit gratiam *secundam* », id est: *ex primario Institutoris fine* dirigitur sacramentum in conferendum *augmentum gratiæ sanctificantis* non autem in infundendam gratiam primam, quam præexistentem supponit. Primariò namque instituta est Extrema Unctio et primariò ordinatur inducta dispositio prævia, uti dictum est sub I, in levamen et medicinam ægrotantis. « Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis

spiritualem, et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur ». S. Thomas, Supplem., qu. XXX, art. 1°, in corpore.

Accedit quod remissio peccatorum a S. Jacobo (Epist., V, 15) et a Concilio Trident. (Sess. XIV, cap. II, *de Extrema Unctione*) *conditionaliter* tantum adscribatur sacramento, qui modus loquendi innuit dictum effectum esse secundarium dumtaxat; ad quem effectum secundarium alludunt verba formæ : « ... quidquid deliquisti ». Cfr. Billuart, *De Extrema Unctione*, dissert. unica, art. IV.

Dicitur 2°/ : « *gratia specialis et propria, allevians* », nempe, juxta principia supra exposita, *Collat. Brug.*, tom. III, p. 575-576, ordinem dicens infallibilem ad gratias actuales uberiores et ad auxilia specialia ad hoc ut *allevietur et refocilletur* infirmus, ad quem alleviandum et refocillandum primario fine institutam vidimus Extremam Unctionem. Refocillatur autem

a/ *spiritualiter :* quæ alleviatio spiritualis consistit in restitutione perfecti vigoris ad actus vitæ spiritualis, adeo ut alleviatio hæc coincidat cum *abstersione reliquiarum peccati ;* revera nihil aliud sunt reliquiæ peccati quam « quædam debilitas et ineptitudo quæ nobis relinquitur ex peccato »; (1) S. Thomas, l. c. Quæ profecto animæ socordia, ex peccato remanens, vehementer augetur ex ærumnis corporalibus et instantia mortis, occurrentibus infirmo memoria peccatorum ac prævisione divini judicii et luctæ supremæ cum infensissimo hoste sustinendæ.

Porro apte restituitur animæ vigor et excutitur ejus torpor per uberiores gratias actuales ad quas ordinatur gratia sanctificans sacramentalis, quibus mens illuminetur necnon et robur afferatur voluntati ad hoc ut

(1) Per illam ineptitudinem non intelliguntur pravi habitus ex peccatis relicti, quos non aufert sacramentum Extremæ Unctionis, sed intelligitur defectus alacritatis et activitatis spiritualis ad actus virtutis eliciendos. Cfr. S. Thomas, l. c. ; ad 2m ; Suarez, Disp. XLI, sect. I.

morbum et agonem fortiter sustineat, ac in spem divinæ Misericordiæ erigatur.

Quam autem providè et opportunè hunc alleviationis effectum contulerit Christus Extremæ Unctioni, nemini non apparet perpendenti tum descriptam singularem debilitatem moribundi, tum gravitatem momenti a quo tota pendet æternitas, tum denique vehementiam impetus dæmonis supremo conatu arripere enitentis animam exeuntis. (1)

b/ *corporaliter,* quatenus infirmus conducatur interdum, ubi saluti animæ expedierit, ad sanitatem corporalem. De quo sub responso ad IV^m^ quæstionem.

B/ *Ex secundaria intentione operatur gratiam primam.*

Dicitur: *gratia prima*, id est gratia ex impio reddens justum, seu *justificans a peccato mortali.*

Dicitur: *ex secundaria intentione:* nimirum, etsi primariò non dirigatur sacramenti institutio in remissionem peccati lethalis, adeoque sacrilege inungatur peccati conscius, attamen, si contingat ægrotum habitualiter attritum in statu peccati reperiri inconscium, sacramentum nihilominus conferet gratiam sacramentalem et ex consequenti absterget reatum culpœ mortalis cum gratia incompossibilem.

Nec, uti notat Suarez, l. c. n. 16, remittit mortalia peccata « omnino *per accidens*, quomodo probabile est omnia sacramenta habere hunc effectum remittendi peccata non ponenti obicem, quatenus ex se habent conferre gratiam; sed medio quodam modo, scilicet ex *secundaria* intentione propriæ institutionis.... Et hoc

(1) Alleviatio igitur spiritualis, in quam primariò sacramenti dirigitur institutio, non consistit *in remissione venialium*, uti non pauci voluerunt, quos citat Suarez l. c., cum in abstergenda venialia non sit primario institutum sacramentum, siquidem remissio peccatorum adeoque et venialium *conditionaliter* inter effectus recensetur et magis pertinet ad Pœnitentiam cujus Extrema Unctio a Concilio Trid., l. c., dicitur consummativum. Cfr. Billuart, l. c.; S. Thomas, l. c.; Pesch, *Tractatus dogmatici*, VII, n. 540.

Neque etiam est in relaxatione pœnæ temporalis, uti in ll. cc. docetur.

significatur in illis conditionalibus Jacobi: « Si in peccatis sit, dimittentur ei », et Concilii: « delicta, si quæ sunt adhuc expianda, abstergit ». Apponendo enim conditionalem, indicant hunc non esse effectum per se primo intentum; talis enim effectus non requirit aliam conditionem præter ablationem obicis, exprimendo autem talem effectum sub conditione, plane significant esse aliquo modo peculiarem hujus sacramenti, et in ejus institutione aliquo modo intentum ». Cfr. Salmant., *De Sacram. Extremæ Unctionis*, cap. III, n. 3; Suarez, l. c., n. 7; Billuart, l. c.; Pesch, l. c., n. 538.

Sacramentum igitur hoc operari valet remissionem peccatorum mortalium, quotiescumque infirmus peccati mortalis, cujus reus existit, non habet conscientiam, et saltem habitualem habet attritionem, quæ est conditio sine qua nulla culpæ remissio est possibilis.

Porro diversas ob causas potest abesse penes ægrotum conscientia peccati mortalis, cujus tamen reus existit, sive quia peccati commissi est immemor, sive quia falsò existimat se jam bona confessione aut contritione perfecta purgatum, sive tandem quia invincibiliter putat attritionem sufficere ad mortalium remissionem ex opere operantis. Hac ratione explicat Illustr. Lambrecht, in explicatione catechismi, p. 1110-1111 remissionem peccatorum quæ vocantur « vergetene doodzonden ».

Extenditur a non paucis hæc efficacia secundaria ad remittenda peccata mortalia, quorum ægrotus est memor quidem, sed ad quæ confitenda vel contritione perfecta delenda, præ morbi vehementia est incapax. Ratio est in hoc quod non sit mere per accidens quod tollatur peccatum in hoc sacramento, uti in aliis sacramentis vivorum, sed aliquatenus ex intentione, licet secundaria, sicut paulo superius est notatum. (1) Cfr. Benedictus XIV,

(1) Imo sunt AA. qui, uti Billot, l. c., p. 241, in nota, ulterius progrediuntur, contendentes quod « infirmus qui confiteri non potest, *non teneatur elicere actum perfectæ contritionis*, in ordine ad Extremam Unctionem suscipiendam ». Quæ sententia meritò, uti videtur, repudiatur a Suarez, l. c.,

De synodo diœcesana, l. VIII, cap. VII, n. 3; Theologia Mechl., *De Extrema Unctione*, n. 6; Pesch, l. c., n. 538; Baller.-Palm., V, p. 682.

Ab illa virtute peccatorum remissiva, quæ secundaria intentione huic sacramento competit, sane non excluduntur *peccata venialia*, si reperiantur, cum non appareat ratio cur verba S. Jacobi et Concilii Tridentini ad sola peccata mortalia restringantur. Cfr. Liagre, *Dissertatio de Epistola S. Jacobi*, p. 246-247. Ipsa autem censemus non tantum remitti *mediante opere operantis*, per excitatum nempe fervorem charitatis seu contritionem sed *immediate ex opere operato*, quemadmodum et peccata mortalia: ipsa scilicet directe abstergitur reitas habitualiter perseverans ex actuali inordinata conversione ad creaturas, citra aversionem a fine ultimo (1).

---

n. 19. Cæterum in periculo mortis constitutus, si non obligatur ad contritionem perfectam ratione suscipiendæ Extremæ Unctionis, ad eam juxta plerosque AA. tenetur ratione instantis finis vitæ, in quo divinitus præcipitur actus perfectæ charitatis, qui æquivalet actui contritionis perfectæ. Cfr. De Lugo, *De Sacramento Pœnitentiæ*, disp. VII, n. 276.

(1) In Explicatione catechismi Illustr. Lambrecht legitur, p. 1109, circa remissionem venialium: «zij geschiedt *rechtstreeks* door de herstelling van de vurigheid der ziel in den dienst van God, vurigheid die door de dagelijksche zonden verflauwd was» cfr. p. 962. Quæ minus recte videntur dicta, cum ipsa remissio peccati per fervorem charitatis sit *mediata* tantum et ex opere operantis. Restitutio enim fervoris charitatis non est *causa formalis* remissionis venialium, sicut infusio gratiæ sanctificantis causa formalis est remissionis peccati mortalis: quemadmodum peccatum veniale non consistit formaliter in privatione fervoris charitatis, sicut peccatum mortale habituale formaliter est in privatione gratiæ sanctificantis.

Contrariatur quidem peccatum veniale fervori charitatis, sed hoc modo, quatenus ferventis et fervidæ charitatis non est permittere actiones venialiter malas, seu a Deo quidem non aversivas sed in Deum non referibiles. Eo ipso intelligitur per restitutum fervorem charitatis peccatum veniale remitti tanquam *per causam efficientem*, et ex opere operantis, non aliter ac per actum attritionis vel contritionis sese extendentis ad peccata venialia: per dictum nempe fervorem fertur homo in Deum, ita ut jam non permitteret actionem in Deum non referibilem, ipsique displiceat hujusmodi actio venialiter mala, adeoque saltem implicite retractat veniale peccatum admissum et rectificat inordinationem in eo contentam. Cfr. Billot, *De natura et ratione peccati personalis*, p. 117-118.

Supponitur adesse attritio saltem habitualis de venialibus, utique minus intensa quam quæ per se sufficit ad remissionem venialis peccati ex opere operantis.

Non improbabiliter forsan Auctores nonnulli dicunt immediatè relaxari partim *reatum pœnæ temporalis*, ubi relinqui contigit, quia sacramentum Extremæ Unctionis a Conc. Trident. traditur tanquam « totius vitæ christianæ.., *consummativum* ». Cfr. Suarez, l. c., n. 17 ; Ball.-Palm., V, p. 705.

Corollarium practicum. Quæ præcedunt mire commendant eminentem præstantiam sacramenti Extremæ Unctionis, et maximo incitamento sunt sacerdoti, ut, omni quo potest zelo, inungi curet moribundos, signanter mente divagantes et sensibus destitutos. Ad hoc enim ut, præter restitutum animæ vigorem, veniam consequantur peccatorum omnium imo et partialem relaxationem pœnæ temporalis, sufficit ipsis sola attritio *habitualis*, dum ad peccatorum per absolutionem sacramentalem postulatur attritio *virtualis*, et insuper aliqualis *confessio externa*, quæ in hujusmodi infirmis dubiè obtinebit. Insuper Extrema Unctio sine attritione suscepta potest reviviscere, si postea, durante eodem morbi periculo, suppletur defectui, nequaquam vero Pœnitentia, cum attritio ad ejus constitutionem pertineat.

A. D. S.

IV

Q. *Indica an et qua ratione Extrema Unctio operetur* sanitatem corporalem, *in infirmo illam rite suscipiente ?*

I/ Denegari non potest Extremæ Unctioni hæc efficacia operandi sanitatem corporalem, cum vindicetur tum ex Epistola S^u^ Jacobi, V, 15 (salvabit infirmum, σωσει) (1), tum indubie ex Conciliis Florentino et Tri-

(1) Cfr. Liagre, *in commentario ad Epist. S. Jacobi*, p. 246; Estius, in *commentario* ad IV^m^ sententiarum, dist. 23, § 4: « Effectum illum, juxta omnium fere interpretationem, significavit apostolus his verbis: oratio fidei salvabit infirmum.... non tamen excluso intellectu quo simul etiam de animi salute et sanitate locus ille accipitur ».

dentino respective docentibus: « effectus vero est mentis sanatio et, in quantum expedit, ipsius etiam corporis », et: « Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio... sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur ». Sess. XIV, cap. 2.

II/ Indicatur qua ratione sacramentum operetur sanitatem in corpore:

1°/ Operatur illam *conditionaliter,* sub conditione nimirum quod animæ saluti expedierit. Revera, ait S. Thomas, Suppl., qu. XXX, art. 2, in corpore, « Extrema Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ sed ex virtute divina, quæ *rationabiliter* operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem (1), ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem ». Hæc igitur conditio, utpote sponte sua enascens non erat a S. Jacobo diserte indicanda.

2°/ operatur sanationem corporalem *ex opere operato* et *sacramentaliter*, quemadmodum reliquos effectus supra explicatos; et hoc ideo quia in S. Scriptura et in utroque Concilio citato plane eadem ratione recensetur inter effectus sacramenti ac cæteri effectus spirituales. Quapropter non assentimur Estio contendenti, l. c., § 5: « Sacram Unctionem respectu hujus corporalis beneficii *non tam sacramentum esse*, quippe quæ (unctio) effectum illum non sacramentaliter operetur; quam *sacramentale quiddam*, cujusmodi est aspersio aquæ benedictæ: ut non aliter impetretur sanitas aut morbi levamen, quam aspersione aquæ precibus sacerdotis consecratæ tollitur corruptio aëris, vel infestatio dæmonis ».

Ulterius nunc investigando *circa modum* quo ex opere operato et sacramentaliter obtineatur valetudinis restitutio, quà insufficiens habetur explicatio quam dubitan-

---

(1) Sanatio corporis dicitur effectus secundarius respectu ad sanationem spiritualem, sed utraque sanatio intenditur ex primaria institutione.

ter proponit Billot, *De Sacramentis*, II, p. 238: « nec forsitan, ait, incongrue diceret quis effectum hunc *dependere ab ipsa allevatione spirituali*, quæ est effectus primarius et omninò proprius Unctionis infirmorum; bonus enim status spiritus noscitur quam maxime juvare naturam et artem ad instaurationem valetudinis, convenienter disponendo potentias tam sensitivas quam vegetativas ».

Etenim, si sacramentum non aliter conduceret ad sanitatem corporis quam mediante alleviatione spirituali, a qua tanquam *corollarium* naturale et spontaneum dependeat, non apparet cur sanitas corporalis speciali nomine inter effectus esset numeranda. Insuper, cum effectus sacramentalis sanationis corporalis, juxta apertam Conciliorum doctrinam, non sequatur, ubi animæ saluti non expedierit, si tota efficacia sacramenti in corpus esset coarctanda ad naturalem et spontaneum animæ recreatæ influxum in illud, hunc spontaneum effectum cogeretur Deus positivo actu impedire, quotiescumque saluti obesse contingat valetudinis restauratio: quod ægre quis dicet.

Tenendum igitur videtur virtute sacramenti procurari sanitatem corporalem etiam *independenter a refocillatione spiritus;* hac nimirum ratione: Quemadmodam sacramentum, juxta dicta sub responso ad III^{m} quæsitum, mediante dispositione prævia immediate in suscipiente inducta, hunc disponit et titulum inducit ut in eo infundatur gratia sanctificans, utque hæc gratia, quà specialis est, connectatur cum gratiis actualibus uberioribus ad hoc ut infirmus spiritualiter allevietur et refocilletur, ita etiam, mediante eadem dicta dispositione prævia, exigit sacramentum ut gratia sacramentalis ordinem dicat infallibilem ad auxilia specialia recipienda, quibus vires naturæ adjuventur in recuperanda corporis sanitate. Quæ explicatio consonat cum tradita notione gratiæ *specialis*, quæ, qua talis, ordinem dicit infrustrabilem non modò ad gratias actuales peculiares, sed et ad alia

beneficia specialia. Cfr. *Collat. Brug.*, tom. III, p. 565 in nota.

3°/ operatur hunc effectum *infallibiliter*, remoto scilicet obice et supposita conditione sub 1° postulata: quod ita intelligendum ducimus, ut non tantùm infallibiliter concedenda sint inuncto auxilia specialia in sanitatem conducentia, sed etiam ut per illa auxilia concedenda infirmus de facto et infallibiliter ad valetudinem sit perducendus.

Quod ultimum nervose tuetur Suarez, Disput. XLI, per integram sect. IV^m, contra Soto, in *commentario in IV sentent.*, disp. 23, qu. 1, art. 2 (1); cæterum idem sequitur corollarii ad instar ex præcedentibus: si namque sacramentum sacramentaliter operatur illum effectum sicut reliquos, eumdem, in quantum a sacramento pendet, efficaciter consequetur infirmus, et si deficiat effectus, « id non sacramenti vitio... evenire credendum est », uti dicit Catech. Conc. Trid., *De Extrema Unctione*, n. 16. Ex alia parte non dicitur a S. Jacobo nec a Concilio: *adjuvabit* Sacra Unctio ad salutem restituendam, sed: *salvabit* infirmum seu sanum restituet. Ita et S. Thomas, l. c.: « et tunc (quando nempe expedit ad spiritualem sanationem) *semper* eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis ».

Profecto oportet ut prævie obex removeatur. Porro, juxta Benedictum XIV, *De synodo diæc.*, l. VIII, cap. VII, n. 2, obex huic effectui obstat, quotiescumque ex nimia procrastinatione sacramenti, penitus evanuerint vires corporales et mors jam instare videatur: « hunc enim effectum non operatur sacramentum per modum miraculi... sed virtute quadam supernaturali quidem sed quodammodo ordinaria, quæ causas naturales adjuvat ».

(1) « Quantum ad secundum effectum respectu salutis corporis, qui non est principalis, hanc prorsus habet certitudinem quod ex sua natura semper ad illum effectum *juvat*, non tamen eamdem habet certitudinem quantum *ad effectus consecutionem* ».

Quod opportune inculcatur fidelibus, qui nonnunquam diutius quam par est differunt hujus sacramenti salutarem administrationem, quasi non infirmi, uti illudendo calumniebatur Calvinus, sed semimortua cadavera oleo sacro essent linienda.

Apud Suarez l. c., vel apud Wirceburgenses, *De Extrema Unctione,* cap. II, art. 1° legantur objectiones contra hoc 3m propositas et solutas, quarum cœteroquin solutionem sufficienter subministrant principia posita.

A. D. S.

V

Q. *An et quoties* iterari potest Extremæ Unctionis susceptio?

R. Utramque quæstionem simul solvimus hoc modo:

I/ Non potest iterari Extrema Unctio *in eodem mortis periculo.*

Argumentum sponte subministratur ex principiis supra expositis circa causalitatem sacramentorum (*Collat. Brug.*, tom. III, p. 519 et seq.), simul attentis dictis sub responso ad IIIm quæstionem. Quousque nimirum perdurat idem vitæ discrimen, perseverat in subjecto res et sacramentum, consignatio scilicet ægroti inter manus Misericordiæ divinæ in ordine ad levamen recipiendum a Deo: præ morbi enim gravitate permanente, continuò censetur proprii levaminis incapax, cui non remaneat nisi ut divinæ Misericordiæ commendetur.

Jamvero perseverante dicta dispositione prævia a sacramentali signo inducta, quæ uti titulus subsistit ad gratiæ collationem, frustra adeoque injuriosè iteraretur sacramentum.

Dicitur « *in eodem mortis periculo* »; et ita ex una parte non negatur iterabilitas in eadem infirmitate, si sublato mortis periculo priori, novum periculum suc-

cedat; et ex alia parte sustinetur initerabilitas, etiamsi priori periculo perseveranti alterum accedat discrimen ex novo morbo exoriens. Cfr. Theol. Mechl., *De Extrema Unctione*; n. 11, sub fine (1).

II/ Potest iterari *quotiescumque* ægrotus *periculum egressus* in *novum simile discrimen reinciderit*, uti perspicue docet Conc. Trid., Sess. XIV, cap. 3.

Nimirum ad iterationem requiritur et sufficit:

1°/ ut transierit mortis periculum in quo unctio est facta. Transacto nempe periculo jam non est locus præfatæ consignationi, quippe quæ supponit incapacitatem ad proprium levamen præ infirmitatis gravitate; sublato autem illo effectu sacramenti immediato gratiam exigente, jam nihil obstat quominus iterata vice inungatur infirmus, modò rursus constituatur sacramenti capax. Cfr. S. Thom., Supplem., qu. XXXIII, art. 1°, docens: amisso effectu (immediato) sacramentum posse « iterari sine injuria ut effectus deperditus iteratò recuperetur ».

2° ut novum subvenerit *vitæ discrimen*, seu nova infirmitas periculosa (2) vel novus status periculosus ejusdem ægritudinis: « ut si morbus esset diuturnus, et prius hominem constitueret in gravi periculo mortis, postea vero remitteret morbi vis, ita ut homo censeretur esse

---

(1) Hoc ultimum videtur negare Haine, III, (ed. 3ia) p. 399, cum dicit: « volunt graves DD. cum Dicastillo etiam tunc esse iterabile, quando priori periculo accedit novum prorsus disparatum ex alio accidenti, ut si phthysicus tangatur apoplexia ».

(2) Ut homo capax fiat Extremæ Unctionis suscipiendæ, non sufficit *quævis* infirmitas, sed postulatur, uti ex præcedentibus colligitur, infirmitas *gravis*, ita ut prudenter æstimetur inde vita periclitari Unde dicit Conc. Florent., apud Denzinger, *Enchiridion*, n. 595 « hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debere ». Item in Rit. Rom., Tit. V, cap. I, n. 5. Non tamen oportet, uti monet Conc. Trid. l. c., ut tam periculose decumbant ut in exitu vitæ constitui videantur: non requiritur scilicet periculum urgens, quod confirmatur ex responso S. Congr. de P. F. 20 Febr. 1801, citato apud Haine, III, (Ed. 3ia) p. 398. Hoc edixit Trid. contra abusum tunc vigentem cujus causas enumerat Martene, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, l. I, cap. VII, art. 2, n. 9 et seq. Cfr. etiam Bened. XIV, *De synodo diœcesana*, l. VIII, cap. VIII, n. 1 et 2.

extra mortis periculum, non tamen omnino a morbo liber, et in eo statu aliquandiu duraret, postea vero in simile periculum incideret, posset iterum inungi ». Suarez, disput. XL, sect. IV, n. 6. Hac scilicet ratione subjectum denuò efficitur sacramenti suscipiendi capax.

Hasce iterabilitatis conditiones hodiedum passim vindicant Auctores, si paucos excipias (1); at incipit difficultas, ubi ulterius determinandæ veniunt dictæ conditiones.

Imprimis satis est ut *probabiliter* adsint requisita, quia, quamvis agatur de valore sacramenti (2), a periculo irreverentiæ in sacramentum excusat gravis necessitas in qua versatur ægrotans, adeoque satis est ad conditionatam sacramenti administrationem ut infirmus *probabiliter* prius periculum evaserit et novum incurrerit. Cfr. Bened. XIV, l. c.

Quæ probabilitas haud ægre obtinetur quando periculum mortis duplex oritur ex diversis morbis, puta

---

(1) Testatur Benedictus XIV, l. c., n. 3 et 4 olim aliquibus in locis praxes obtinnisse recedentes a principiis statutis. Ita « labente sæculo XI, ait, et ineunte XII, hac nonnulli imbuti erant opinione ut illicitum reputarent fidelem sancto oleo semel inunctum unquam deinceps eodem linire ...; opinabantur alii Extremam Unctionem posse iterum eidem conferri, modò tamen a die quo semel inunctus fuerat, tres integri anni effluxissent », vel, juxta alios, unius anni spatium intercesserit. E contra aliis in regionibus obtinebat consuetudo iterandæ unctionis per septem continuos dies, etsi a nonnullis negetur hanc repetitam unctionem fuisse sacramentalem. Cfr. Martene, l. c n. 5 et 6; Van Espen, *jus ecclesiasticum universum,* Pars II, sect. I, tit. VIII, cap. III, n. 27 et seq.

Deinceps, præsertim inde a Scholasticis paulatim receptus est usus conformis hodiernæ praxi, juxta enuntiata principia quæ, uti diximus, a Theologis communi consensu approbantur. Citatur tamen apud Van Espen, l. c., n. 37, decretum synodi Yprensis, sub Rithovio, abrogans tanquam noxiam « consuetudinem secundum quam non consuevit hoc sacramentum *intra annum secundò* suscipi, etiamsi altera gravis obveniat infirmitas ».

(2) Hoc contra Van Espen, l. c., n. 39 docentem hic non agi de quæstione spectante valorem sed de quæstione mere disciplinaria, adeo ut « si disciplina non obstaret, absurdum non esset *pluries* in eadem etiam infirmitate eodemque infirmitatis statu hoc sacramentum conferre ».

acutis (maladies aiguës), sibi invicem succedentibus, sed majoris laboris est dijudicare utrum et quandonam infirmus probabiliter duplex *diversum* periculum obiverit in *eadem* infirmitate diuturna, chronica, quales sunt phthysis, hydropesis etc.

Ad hoc porro dijudicandum prius est recurrendum ad judicium medici, cujus est discernere utrum prius periculum evaserit ægrotans et novum sit ingressus. Quodsi medicus non facile consuli potest vel et ipse anceps hæret, recursus remanet ad præsumptiones. Jamvero ab Auctoribus vix non omnibus, quos invenerim latius de hisce discurrentes, proponitur tanquam signum probabile prioris periculi transacti, quod per *notabile* tempus *melius se habuerit*, intelligendo non spatium paucorum dierum sed unius circiter mensis intervallum (1).

Nonnulli in nostris regionibus practice tenent tractum temporis duorum mensium *per se solum* sufficere, adeoque post duos menses passim iterant Extremam Unctionem absque præmissa ulla ulteriori inquisitione. Quam praxim, si *universaliter et absolute* applicetur, legitimare non valemus. Revera, teste experientia, potest periculum mortis per plures menses certò perdurare idem, si intelligas periculum, uti par est, non omnino proximum: quo casu sacrilegum esset sacramentum iterare.

Nec ullum invenimus Auctorem huic agendi modo patrocinantem, imo afferuntur apud Van Espen, l. c.,

---

(1) Cfr. Wiggers, in S. Thom., Supplem., qu. 33a; Bonacina, apud Tamburini, l. VI, *De Extrema Unctione*, cap. II, § VI; Laymann, l. V, tract. VIII, cap. VIII, n. 5; Coninch, apud Tamburini, l. c.; Scavini, *Theol. moralis*, l. III, tract X, n. 506; Roncaglia, *Universa moralis Theologia*, trac. XX, Quæst. I, cap. unico, qu. 7; S. Alph., l. VI, n. 715, collato *Hom. Apost.*, De Extrema Unctione. n. 8; Baruffaldi, *Comment. Rit. Rom.*, tit. XVII, § 14; Vandervelden, (edit. Piat), II, n. 331; Aertnys, *Theolog. mor.*, l. VI, n. 368; Marc, *Institutiones mor.*, II, n. 1883; D'Annibale, *summula*, III, n. 407, nota 20; Lehmk,, II, n. 577, ad 4m.

n. 36, synodalia decreta et statuta diœcesana huic usui directe adversantia. Ita « Synodus Namurcensis 1639 vult ut in eadem ægritudine, etiam *ad plures menses perdurante*, nemini hoc sacramentum sæpius conferatur; addita tamen hac notanda exceptione: nisi peritorum judicio status morbi mutatus fuerit ».

Intelligenda ergo videtur vigens praxis, supposita nempe *aliqua notabili mutatione morbi per non paucos dies persistente:* equidem hæc mutatio intra duorum mensium spatium sæpenumero adesse continget, attamen non semper et in singulis casibus.

Nota. Iteratio unctionis supponit priorem unctionem *valide* collatam adeoque supponit susceptum sacramentum ab infirmo qui graviter infirmabatur et intentionem habebat saltem habitualem implicitam suscipiendi sacramentum. Si, priori inunctione facta, de unius alteriusve conditionis defectu constet vel positive dubitetur, non est expectandum novum vitæ discrimen ut repetatur sacramenti administratio absoluta vel conditionata. Ita v. gr. si, inuncto moribundo sensibus destituto, postea liqueat ipsum suscepisse sacramentum vere invitum, absque dubio poterit in eodem perseverante periculo denuò inungi, si consentiat.

A. D. S.

VI

Q. *Quænam sunt jura et officia Ordinariorum circa prohibitionem et censuram librorum?*

R. Præterquam quod Ordinarii, non secus ac reliqui fideles, decretis ab Apostolica Sede de prohibitione et censura librorum editis obtemperare tenentur, ac assidue dein vigilare ut illa decreta a suis subditis religiose serventur, transgressores pro diversa reatus gravitate serio monendo, et, si opportunum videbitur, canonicis etiam pœnis coercendo (art. 49); hæc præcipue sunt ipsorum jura et officia:

I. Circa librorum PROHIBITIONEM:

1° « Ordinarii, etiam tamquam delegati Sedis Apostolicæ, *libros, aliaque scripta noxia in sua diœcesi edita vel diffusa proscribere...* studeant » (art. 29).

Episcopis igitur competit jus, munusque incumbit, nedum propria, sed auctoritate etiam a Sancta Sede delegata, pro sua diœcesi proscribendi libros quoslibet aliaque scripta noxia, quorumcumque auctorum, etiam extraneorum vel exemptorum, quæ in diœcesi impressa sunt vel quæ aliunde adducta in ea divulgata fuere.

Hujus autem proscriptionis ea est vis et efficacia, ut omnes et soli diœcesani, non autem, uti videtur, regulares exempti in diœcesi existentes, illa obstringantur; utque hi dumtaxat scripta a suo Ordinario prohibita legere et retinere valeant, qui *specialem* ab ipso vel ab ipsius delegato vel a R. Pontifice impetraverint licentiam. Quare « omnes qui facultatem *apostolicam* consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto *expressa* facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a *quibuscumque* damnatos » (art. 26).

2° Ad locorum Ordinarios speciali titulo pertinet libros perniciosos Apostolicæ Sedi denuntiare (art, 27); idque præsertim facere debent si agatur de operibus vel scriptis, « quæ subtilius examen exigunt, vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur » (art. 29).

3° Ecclesiæ præsules, qui supra gregem Christi vigilias agunt, non solum intendere debent pravis libris ac ephemeridibus proscribendis, eisque, ubi opus fuerit, ad apostolicum judicium deferendis ; verum etiam omni ope contendere ut fideles proscriptorum operum lectione prohibeant, ipsos de hujusmodi lectionis periculo et damno opportune monendo (art. 21), scriptaque noxia de manibus eorum auferendo (art. 29 coll. art. 16). Quapropter, « in suis visitationibus et epistolis pas-

toralibus ad clerum et populum arguant et increpent adversus inundantem errorum colluviem, et maxime litteris ad animarum curam habentes omni cum prudentia conscriptas mittere curent, hortantes eos ut fideles fortiter suaviterque monitos habeant, ut velint omnino sese abstinere a pravorum librorum ac ephemeridum lectione, cum ipsa in fidei, morum, societatisque damnum aperte vergat ». *Litt. S. C. Indicis* ad omnes Metropolitas, 2 April. 1873.

4° Episcopi potestate gaudent quasi ordinaria, « pro *singularibus* libris » a S. Sede proscriptis, « atque in *casibus* tantum *urgentibus* », licentiam concedendi hujusmodi libros legendi et retinendi. Solent præterea *generalem* ab Apostolica Sede impetrare facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, quam tamen nonnisi cum delectu et ex justa et rationabili causa concedant oportet (art. 25).

Librorum venditores, ut libros proscriptos, non tamen obscenos, venales habere possint, recurrere debent ad Ordinarium, per quem legitimam a Sacra Indicis Congregatione impetrent veniam (art. 46).

II. Circa CENSURAM :

1° *Approbatio librorum* aliorumque scriptorum præviæ censuræ subjectorum (art. 41 coll. art. 13, 15, 17, 19, 20, 31, 32, 33 et 44), etiam quæ a regularibus eduntur (art. 36), *regulaliter* « pertinet ad Ordinarium loci in quo publici juris fiunt » (art. 35).

Ab hac regula ea dumtaxat excipiuntur opera quorum censura præsentium decretorum vi Apostolicæ Sedi vel Romanis Congregationibus reservatur. Quænam autem hæc sint, ex iis liquet quæ articulis 7 coll. 30, 17 coll. dec. S. C. Ind. 7 Aug. 1897, 31, 32, 33, 34 coll. dec. S. C. de Prop. Fide, 6 Dec. 1656 et 28 Dec. 1770, et 37 statuta sunt.

Cætera autem scripta, censuræ ecclesiasticæ obnoxia, publicari nequeunt, nisi obtenta prius licentia Ordinarii

loci in quo eduntur; et si agatur de Sacrarum Scripturam libris vel earumdem adnotationibus vel commentariis, qui hos sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt, ipso facto in excommunicationem nemini reservatam (art. 48). Plura insuper scripta, si publicentur absque Ordinarii licentia, eo ipso proscribuntur. Hujusmodi sunt quæ recensentur articulis 7, 13 et 20.

« Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatæ pietatis et doctrinæ viros abhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem » (art. 38).

« Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius in *scriptis* et omnino *gratis,* illius publicandi licentiam... auctori concedat » (art. 40). Si vero, peracto examine, Ordinarius licentiam deneget librum publicandi, tenetur auctori rationes denegatæ licentiæ indicare, modo liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax (S. C. Ind. 1 Sept. 1897).

2° Viri e clero seculari non modo tenentur sicut cæteri fideles præviæ Episcopi *censuræ* subjicere opera quæ religiosi vel moralis argumenti sint, sed districte monentur, ne dicamus prohibentur, « ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, *inconsultis suis Ordinariis,* publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant ».

« Iidem prohibentur quominus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica *moderanda* suscipiant » (art. 42).

3° Penes Ordinarium est permittendi ut liber censuræ ecclesiasticæ subjectus excudatur sine nomine auctoris vel ementito nomine, si aliquo in casu, justas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur (art. 43).

C. V. C.

Ordo Missæ

SEU

precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, Tom. IV, pag. 662.)

—

§ 2. *Canon Missæ.*

45. Nomine *Canonis*, juxta communiorem sententiam (1), intelligitur illa missæ pars, quæ a Præfatione ad *Pater noster* exclusive extenditur. Vocatur Canon (κανων i. e. regula) quia exhibet regulam fixam et immutabilem juxta quam divinum mysterium est celebrandum, dum aliæ missæ partes frequentibus mutationibus pro diversis temporibus et festis sunt obnoxiæ. — Dicitur quoque *actio* aut *agenda*, quia sub illa parte perficitur actio κατ'εξοχην, actio omnium sanctissima, divinissima. — Tandem quandoque vocatur *secretum*, quia fere tota secreta voce recitatur. (2)

De Canone docet Synodus Trid. Sess. XXII, cap. IV: « Quum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante sæculis instituit ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redo-

---

(1) Cfr Lebrun, *op. cit.* ad h. l.; De Herdt, *Sacræ Liturg. praxis*, T. II, n. 86 et AA. ibi cit ; Ill. Van der Stappen, *Tract. de rubr. Missalis Rom.* q. 162.

(2) « In silentio totus dicitur (Canon), paucissimis verbis exceptis, ex mandato Ecclesiæ, omniumque sæculorum usu ; ut sacris Mysteriis hac silentii gravitate major reverentia concilietur, et augeatur fidelium veneratio erga ipsa, quorum ità discant inaccessam altitudinem et profunditatem in silentio admirari ». Ill. Van der Stappen, l. c.

leat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque pontificum piis institutionibus ». — Unde merito observat Dionysius Carthus.: « Quamvis in toto officio Missæ debeat celebrans omnibus viribus suis esse attentus atque sollicitus, tamen ab exordio Canonis debet omnino recollectus consistere et mente ad divina suspensus, in quantum humana fragilitas sustinet et Spiritus sancti clementia conferre dignatur » (1).

***

46. Jam propius ad tremenda mysteria perficienda accedens, sacerdos, elevatis prius manibus et oculis in cœlum, unde exspectat auxilium, profunde sese inclinat in signum humilis reverentiæ erga divinam majestatem, quacum, veluti alter Moyses, quasi facie ad faciem est locuturus; et incipit primam Canonis orationem:

Te IGITUR. Connectitur hæc oratio cum præcedenti præfatione; q. d. habentes corda sursum erecta, mentemque Dei Christique Redemptoris laudi, unà cum angelicis choris, celebrandæ intentam, jam rogamus ac petimus etc.

Te, clementissime Pater. Oratio dirigitur ad Deum Patrem, cui fit sacrificii oblatio (2) et cujus clementiam et misericordiam summam, in signum fiduciæ nostræ, memoramus. *Per Jesum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum,* « in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus (Eph. III, 12) » i. e. in cujus nomine et per fidem qua ipsum mediatorem et propitiatorem nostrum credimus, habemus fiduciam Deum alloquendi, et ad ipsum confidenter accedendi, quasi filii ad Patrem. *Supplices,* corpore inclinato et corde humiliato, *rogamus ac petimus* np. cum ardenti

(1) *Exposit. Missæ,* art. 19.
(2) Cfr suprà, n. 21.

animi affectu ac desiderio postulamus; quod exprimimus accumulando verba petitionem significantia. — Ponuntur autem verba plurali numero *(rogamus-petimus)*, quia sacerdos nomine omnium fidelium et in persona totius Ecclesiæ orat et offert. — Quid autem petimus? *Ut accepta habeas ac benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.* « Petimus igitur *primùm* ut Deus Pater habeat *accepta* i. e. grata et placita dona quæ offeruntur, panem scilicet et vinum in altari præparatum, ut consecretur in oblationem secundùm Christi Domini nostri sanctionem et institutum. Dixerat quidem sæpius per Prophetas Dominus quòd non placerent ei victimæ et holocautomata ritus antiqui, quoniam venturum erat et instituendum unum novæ legis sacrificium, illi summe et unice placiturum. Cum igitur illud evangelicum sacrum nunc offeramus, ut Dominus et Legifer noster instituit, in quo ipsi Patri bene complacuit, meritò nunc rogamus ut grata sint et accepta hæc munera nostra ipsi Deo Patri ad illud sacrificium offerendum apparata. — *Secundò* petimus ut Deus Pater *benedicat* eadem dona et munera, h. e. ut benedictionem suæ virtutis et gratiæ illis infundat, ut idonea sint tam digno sacramento, ut in corpus et sanguinem Christi convertantur » (1). — Tribus nominibus designantur oblata *(dona-munera-sacrificia)*: his autem « non aliud atque aliud dicitur; sed res una pro sua magnitudine diversa appellatione laudatur et laudando commendatur. Ipsa sermonum repetitio tanti sacramenti est commendatio et piæ devotionis excitatio » (2). — Attamen, juxta plures scriptores, hic res eædem sub diverso respectu considerantur, ideoque diverso nomine exprimuntur. Unde vocantur *dona*, quatenus a Dei liberalitate ea accepimus; *munera*, quatenus nos ea Deo offerimus; *sacrificia*, nimirum initiative seu per

(1) Clichtov. l. c.

(2) Florus, *Opusc. de exposit. Missæ*; Cap. *De actione Missæ*, n 44.

anticipationem, quia tanquam materia præparantur in sacrificium conficiendum. Quomodo autem oblata dici valeant *sancta sacrificia illibata* egregie explicat Bellarminus scribens: « Panis et vinum recte dici possunt paulò ante consecrationem sacrificia sancta et illibata. *Sacrificia* quidem, quia sunt materia sacrificii, et jam dedicata et parata ut ex iis fiat sacrificium: nam et in lege Veteri dicebantur passim sacrificia oves adhuc viventes, quando scilicet adducebantur ut immolarentur... Dicuntur autem meritò *sancta et illibata*, quia jam dedicata et consecrata ad usum divinum per priorem oblationem sunt: et etiam quia pura et sancta intentione offeruntur ab Ecclesia » (1).

47. Dum pronuntiat verba: *hæc dona* etc. sacerdos ter signum crucis producit super oblata: generatim enim signum illud comitatur benedictionem sacerdotalem, quo significatur per Christum crucifixum omnem benedictionem cœlestem ad nos descendere. Trina autem signatione utitur quia oblationes benedicit ut dona, ut munera, ut sacrificia; vel etiam in honorem SS^{mæ} Trinitatis, quam, licet solo Dei Patris nomine expresso, invocare intendit.

48. Sequentibus declaratur pro quibus sacrificia illibata offeruntur.

Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica; scilicet pro universali Ecclesia militante in terris, *quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum.*

Quatuor igitur rogantur pro Ecclesia sancta Dei, nimirum ut dignetur Deus eam 1 *pacificare* i. e. ut eam liberam servet a persecutoribus et a bellorum perturbationibus quatenus in pace sanctam suam missionem prosequi valeat; 2 *custodire*, scilicet ut eam tueatur contra omnes ejus hostes visibiles aut invisibiles, ne *portæ inferi prævaleant adversus eam;* 3 *adunare*, ut

(1) *De Sacram. Euch.*, lib. VI, cap. XXI, n. 10 — Cfr suprà n. 21.

nempe aberrantes et prodigos ejus filios, hæreticos et schismaticos, ad unitatem ejus reducat, fiatque unum ovile et unus pastor; utque fideles omnes unius sint animi atque a quovis dissidio præserventur, juxtà monitum Apostoli (I Cor. I, 10): « Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata (seu dissensiones): sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia »; 4/ *regere* ut videlicet tanquam invisibilis ac supremus ejus Rex, spiritu sapientiæ eam repleat et dirigat atque ad beatum ipsius finem perducat.

Unà cum famulo tuo Papa nostro N. — Postquam oravit sacerdos pro Ecclesia universa, jam speciatim deprecatur imprimis pro summo Pontifice, qui est in ea unitatis centrum atque visibilis rector supremus; dein pro Episcopo illius diœceseos, in quo missam celebrat: *et Antistite nostro* N.; nam et Episcopos *posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei* (Act. XX, 28); tandem pro *omnibus orthodoxis atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus*.

49. Sequitur Commemoratio vivorum. *Memento Domine famulorum famularumque tuarum* N. et N. In hac Canonis parte orat sacerdos tacite pro illis quos speciatim vult Deo haberi commendatos, et petit ut Deus eorum sit memor *(memento)*, non quidem quasi Deus, cui nihil non præsens est, alicujus obliviscatur, « sed ut *per modum recordantis* se habeat, reminiscendo misericordiæ suæ et subveniendo in omni tribulatione et necessitate et tribuendo dona gratiarum, quæ postulantur ab ipso » (1). Qui modus orandi non infrequens est in Scriptura. Ità orabat Job (VII): « Memento meî, Deus, quia ventus est vita mea »; item Psalmista (ps. 105): « Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui »; et rursùs (p. 131) « Memento Domine, David... »; et alibi passim. — « Porrò dicitur Deus

(1) Dion. Carthus., *Exposit. Missæ*, art. 20.

per metaphoram oblivisci, quando non juvat; et contrà recordari quando juvare incipit » (1) — Sub hoc *memento*, quivis cordatus sacerdos quotidie Deo, præter propinquos aliosve quibus sive gratitudinis sive charitatis officio est obstrictus, commendet animas curæ suæ commissas, divinam benedictionem super ministerii sui labores implorans, cum persuasum habere debeat quòd « neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus » (2).

50. *Et omnium circumstantium.* « Hinc evidenter apparet, quam sanctum sit ac salubre Missarum interesse mysteriis, cum sacrificium Eucharistiæ pro circumstantibus offeratur *specialiter* » (3). *Quorum tibi fides cognita est et nota devotio:* q. d. benefac circumstantibus prouti tu, quem nullum latet secretum, novisti eos intellectu per fidem ac voluntate per devotionem tibi adhærere.

Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt (4) *hoc sacrificium laudis.* — Sacrificium Missæ imprimis est sacrificium laudis, latreuticum et eucharisticum, quo propter infinitam excellentiam victimæ oblatæ, condignus divinæ majestati defertur honor, atque « ab ortu solis usque ad occasum laudatur nomen Domini », gratiarumque actio ei exhibetur. Sed est et propitiatorium ac impetratorium, ideo dicuntur circumstantes unà cum sacerdote illud offerre *pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ;* ubi adverte Ecclesiam ore sacerdotis Deo

---

(1) Bellarm. l. c. n. 26.

(2) I *Cor.* III, 7.

(3) Innoc. III, *De sacr. altar. Myst.* Lib. III, cap. VI.

(4) Cfr. *suprà* n. 28. — Bened. XIV l. c., cap. XIII, n. 12 sqq., quocum nota hic particulam *vel* sumi posse uti copulativam, non vero disjunctivam. — Si vero hæc locutio habeatur ut disjunctiva, juxtà Bellarm. l. c. n. 29, respicit « duos ordines eorum quos sacerdos Deo commendaverat: alii enim sunt absentes, pro quibus offertur, sed ipsi actu non offerunt: alii sunt præsentes, qui simul cum sacerdote offerunt astando et consentiendo ».

offere preces et vota fidelium Missæ adstantium sive pro seipsis, sive etiam *pro suis* i. e. omnibus quibuscum sanguine, amicitia, aliave ratione sunt conjuncti: quod eis proponere deberent concionatores tanquam stimulum ad Missam frequentandam. Observa ulterius in dictis intentionibus debitum servari charitatis ordinem, qui postulat ut quisque prius pro se deinde pro aliis supplicet, atque inter petenda, bona animæ illis corporis anteponat.

Itaque per sacrificium Missæ intendunt obtinere 1/ *redemptionem animarum suarum;* videlicet per Missæ sacrificium animabus applicatur fructus propitiatorius sacrificii crucis, quo Christus « dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (1 Tim. II, 6); et « lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo » (Apoc. I, 5) (1).

2/ *Spem salutis* seu beatitudinis æternæ, ad quam spe tendimus; hæc autem spes nititur meritis Christi, quæ per divinum sacrificium nobis applicata eamdem spem salutis firmant atque augent.

3/ *Incolumitatem* corporis, cæteraque bona temporalia, quatenus et ipsa conferre valent ad finem nostrum ultimum consequendum.

Tibique reddunt vota sua Deo vivo et vero. — Ista verba connectenda sunt cum suprà positis *qui tibi offerunt...*, q. d. qui dum tibi offerunt sacrificium laudis, simul tibi reddunt vota sua; juxtà monitum Prophetæ (ps. XLIX, 14): « Immola Deo sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua ». — « Hæc vota sunt desideria et sancta proposita Deum colendi, quæ implemus et Deo reddimus præcipue hac oblatione sacrificii incruenti. Dicimur autem ea potius *reddere* quam donare Deo, quia per divinam gratiam illa concipimus et a Deo accipimus, et postmodùm Deo ipsi offerimus et reddimus quæ accepimus » (2).

---

(1) Cfr. Bellarm. l. c. n. 16. — Bened. XIV, l. c. n. 17.

(2) Quarti, *Rubr. Missal. Rom. comment. illustr.* P. II, tit. IX, sect. II, dub. 2.

*
* *

51. *Communicantes et memoriam venerantes.* — « Dubitari potest de sensu illius verbi *communicantes* et connexione ejus cum reliquis. Respondetur totam hanc orationem esse unam unoque contextu legendam, ita ut sensus sit: tibi reddunt vota sua æterno Deo, vivo et vero, communicantes vel inter se vel cum Sanctis tuis per societatem et conjunctionem, quam cum illis habent; quorum præterea memoriam venerantes per eorum intercessionem exaudiri petunt » (1). — Igitur vocis *communicantes* « planus videtur ille sensus ut unionem significet Sanctorum, qui in cœlis sunt, cum fidelibus, qui degunt in terris, pro quibus preces fundit Ecclesia; atque ut Deum sibi propitium faciat, Sanctorum virtutem, merita et gloriam commemorat; quemadmodum Hebræi Abrahami aliorumque Patriarcharum merita commemorabant, ut ob eorum merita Deus in tutela sua populum haberet, qui viros ab eo tantopere dilectos honorabat » (2).

Meritò omnium prima commemoratur *Beata Virgo Maria*, siquidem per ipsam nobis data sit divina sacrificii nostri victima, ipsaque sit, ut loquitur S. Ephrem, « sanctior Cherubim, sanctior Seraphim, et nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior » (3). Præter illam præclarissimam ejus gloriam *(gloriosæ)*, veneramur ejus perpetuam virginitatem *(semper virginis)* nec in conceptione, nec in partu, nec post partum violatam; deinde ejus maternitatem admirabili commercio virginitati conjunctam *(genitricis)*, qua facta est mater ipsius *Dei et Domini nostri Jesu Christi.*

Sequitur memoria duodecim *Apostolorum*, qui Christo divinum sacrificium in ultima cœna instituenti adfuerunt,

---

(1) Suarez, *in 3m part.*, disp. LXXXIII, sect. II, n. 7.
(2) Bened. XIV, l. c., n. 21.
(3) *Orat. de laude Virg.*

atque primi tanti sacrificii ordinati sunt ministri, ejusque offerendi ritum ac formam substantialem tradiderunt. Inter illos nominatur etiam Paulus, « quem a Beato Petro nunquam Ecclesia Romana sejungit, qui etsi nonnisi post Christi mortem creatus fuit Apostolus, ab ipso tamen Christo Domino hujus sacrificii institutionem accepit, ut testatur I ad Corinth. cap. II: *Ego enim accepi a Domino* etc. » (1).

Post Apostolos mentio fit duodecim *Martyrum*, qui circa principium nascentis Ecclesiæ sanguinem suum pro Christo fuderunt quique virtute sacrificii Christi roborati, atque Christo non tantum in vita sed et in morte similes effecti, post ipsum et cum ipso veritatem evangelicam sanguinis sui sigillo confirmarunt.

Postremò *omnium sanctorum* generalis celebratur memoria, qui omnes « laverunt stolas suas in sanguine Agni » Apoc. XXII, 14. Posthæc exprimitur præsentis Sanctorum commemorationis finis, ut nimirum Deus, attentis *eorum meritis ac precibus*, nobis concedat, in *omnibus divinæ protectionis muniri auxilio*.

(Sequetur).

H. V. C. B.

(1) Bened. XIV, l. c., n. 22.

Quelques considérations

sur la base philosophique du socialisme scientifique contemporain.

Le but que nous nous proposons en écrivant cette courte étude n'est pas de faire une critique approfondie des principes fondamentaux du socialisme scientifique. Le modeste travail que nous présentons au lecteur n'est qu'un exposé et une réfutation *sommaires* de la philosophie socialiste, telle qu'elle se révèle dans ses chartes officielles et ses publications reconnues.

C'est bien là en effet qu'il faut puiser les véritables principes de la sociologie nouvelle, et l'on ne peut assez blâmer la méthode de certains publicistes, qui s'imaginent avoir réfuté le socialisme, parce que dans des écrits polémiques ils ont réussi à réfuter, voire même à ridiculiser les théories démodées du communisme utopique, ou les opinions isolées d'un chef du parti collectiviste. Gardons-nous de confondre certains socialistes avec « le socialisme ». Le collectivisme contemporain qui entra définitivement dans l'histoire il y a un demi siècle, mérite un examen plus approfondi et plus scientifique. Il prétend donner en effet, et contient en réalité une formule sociologique complète et bien caractérisée.

Ne dédaignons pas d'étudier à fond les doctrines sociales nouvelles, si absurdes qu'elles puissent paraitre. Elles méritent une attention sérieuse parce qu'elles ont une influence tangible et qu'elles sont grosses de conséquences pratiques. Souvenons-nous qu'une doctrine, si erronée qu'elle soit, peut contenir une part de vérité qu'il importe de dégager. — D'autre part gardons-nous de tomber dans l'excès contraire, et de partager l'engouement irréfléchi que certains auteurs superficiels

professent pour le socialisme scientifique. Examinons froidement ses théories, sa méthode et, avant d'admettre une conclusion, voyons les arguments qu'il invoque.

Nous donnerons dans un premier chapitre un exposé impartial des principes fondamentaux de la philosophie socialiste; dans un second chapitre nous ferons dans les grandes lignes la critique du système.

CHAPITRE I

Exposé des principes fondamentaux de la philosophie socialiste.

1. Genèse idéologique du socialisme scientifique.

C'est en Allemagne que le socialisme contemporain fit son éducation philosophique et scientifique.

Karl Marx (1) trouva le premier la formule du socialisme collectiviste qu'on a appelé à juste titre le *socialisme marxiste*. C'est en 1847, à l'invitation du congrès international de la *Ligue des Communistes* qu'il rédigea, de concert avec son ami Friedrich Engels, la première

---

(1) Karl Marx « naquit à Trèves, le 2 mai 1818, de parents juifs qui s'étaient convertis au protestantisme. Son père occupait une position élevée dans l'administration des mines. Karl Marx, étudia avec succès le droit.... Il paraissait destiné à une brillante carrière administrative; mais il préféra se vouer à l'économie politique, à la question ouvrière, à la Révolution. Il embrassa la cause du prolétariat ouvrier, parce qu'il voyait dans ce prolétariat l'armée dont son système avait besoin. Expulsé successivement de l Allemagne, de la France et de la Belgique, il s'établit enfin à Londres, d'où il dirigea jusqu'à sa mort (14 mars 1883) le mouvement collectiviste. En 1864, il publia le premier volume de son fameux livre *Le Capital*, qui est un réquisitoire implacable contre la production capitaliste et qui fait époque dans l'histoire du socialisme moderne. Intelligence puissante, observateur sagace, organisateur habile, Marx sut exercer sur son parti un grand ascendant, auquel on ne pouvait se soustraire impunément. Sa réplique était violente, Il avait un dédain haineux pour tout ce qui se faisait en dehors de lui. Sa ténacité était celle du révolutionnaire pénétré d'une jalousie sombre contre la société bourgeoise. Son athéisme était farouche ». *Le Socialisme contemporain* par l'abbé Winterer — Paris 1894 p. 5 s.

charte du socialisme scientifique : le *Manifeste du parti communiste* (1). C'est une synthèse doctrinale qui au premier abord paraît aussi puissante par le fond qu'elle est attrayante par la forme. Un instant relégué dans l'oubli, le *Manifeste communiste* devint bientôt le véritable évangile du socialisme moderne, surtout après que Marx eût publié en 1867 son livre fameux *le Capital*.

Ce manifeste, programme définitif du parti, se différencie nettement des utopies communistes et des autres doctrines socialistes de l'époque. Les auteurs eux-mêmes se chargent de nous le dire et de faire voir « que le socialisme scientifique ne peut être confondu avec aucun de ces pseudo-socialismes (2) ».

Faut-il en conclure que le *Manifeste communiste* pour édifier sa synthèse scientifique n'a point emprunté des matériaux aux théories socialistes démodées en 1848 ou en cours à cette époque ?

C'est bien à tort que d'aucuns l'ont prétendu. Malgré le dédain qu'affectent certains auteurs collectivistes vis-à-vis des théoriciens communistes, il est incontestable

---

(1) *Le Manifeste du parti communiste* par Marl Marx et Friedrich Engels. Bruxelles 1896.

(2) C. Van Overbergh, *Revue Neo-Scolastique* 1896 p. 273 ss. expose avec une grande concision et beaucoup de clarté l'attitude du *Manifeste communiste* vis-à-vis des autres systèmes socialistes P. 277 ; il résume ainsi sa pensée : « Le socialisme réactionnaire, dans sa triple formule (le socialisme féodal, le socialisme petit bourgeois et le vrai socialisme allemand), n'est que l'expression théorique des vaincus de la grande industrie. Le socialisme conservateur n'est que l'écho des aspirations bourgeoises visant au maintien de la société actuelle moyennant quelques concessions au prolétariat révolutionnaire. Le socialisme critico-utopique qui, au point de vue critique, a eu sa justification historique au début de la grande industrie, n'est plus qu'une formule de réaction contre le mouvement prolétarien contemporain. Le socialisme scientifique ne peut être confondu avec aucun de ces pseudo-socialismes. Il sort des entrailles de la société actuelle. Ce n'est pas lui qui remonte le cours de l'histoire, puisqu'il en est le produit Ce n'est pas lui qui veut maintenir la société actuelle, puisqu'il en veut l'abolition. Ce n'est pas sa formule qui s'oppose au mouvement prolétarien, puisqu'il prétend en être l'expression adéquate ».

que Marx et Engels, ont puisé un grand nombre de principes scientifiques dans les doctrines communistes et socialistes qui, depuis la fin du dix-huitième siècle, se succédèrent en Angleterre et surtout en France. Parmi les précurseurs avoués du socialisme contemporain, il faut compter en première ligne Saint-Simon, Charles Fourier et Robert Owen (1).

Voici brièvement d'après M. Van Overbergh, la genèse idéologique du *Manifeste communiste*. « Nous avons étudié jusqu'ici les précurseurs du socialisme scientifique. Lentement sont éclos sous nos yeux les germes de la sociologie nouvelle.

Il en est qui ont été découverts dans les protestations séculaires des pauvres contre les riches, dans les rêves des communistes primitifs, dans les critiques des socialistes du début de ce siècle. Quelques uns ont été trouvés dans les déductions logiques des doctrines absolues de l'orthodoxie économique. Certains sont nés des philosophies dominantes d'alors, de l'Hégélianisme et du Comtisme. D'autres sont sortis du sein même des premières agitations prolétariennes, des désordres de Lyon, du mouvement chartiste anglais » (2). Le grand mérite de Marx, au point de vue socialiste, est d'avoir groupé tous ces germes épars, de les avoir introduits dans une synthèse nouvelle à base philosophique, la philosophie socialiste de l'histoire.

2. Base philosophique du socialisme scientifique; la Dialectique hégélienne (3).

La cosmologie socialiste (Weltanschauung) est essen-

---

(1) On trouve des détails très-intéressants sur les théories et les œuvres des précurseurs du socialisme dans: Thonissen, *Le socialisme dans le passé*, Bruxelles, Jamar; et Louis Reybaud, *Études sur les réformateurs ou socialistes modernes*, Bruxelles, Wouters 1852 (6e éd.).

(2) *Revue Néo-Scolastique* 1896 p. 27.

(3) Malgré notre vif désir de ne pas encombrer de métaphysique cette courte étude, il nous faut cependant exposer brièvement en quoi consiste

tiellement évolutionniste, et l'on découvre pour ainsi dire à chaque page du *Manifeste communiste,* l'influence de la méthode de Hégel, méthode qu'on appelle la *Dialectique hégélienne.* De la connaissance de cette méthode dépend en quelque sorte l'intelligence du socialisme marxiste. Force nous est donc d'esquisser les traits essentiels de la Dialectique hégélienne. Doué d'une érudition immense, d'un esprit subtil et d'une puissance dialectique fascinatrice, W. F. Hégel (1770-1831) déduisit avec une logique incomparable les conclusions renfermées dans les prémisses posées par les philosophes panthéistes de l'époque: Kant, Fichte et Schelling. Hegel rejette à la fois la distinction du subjectif et de l'objectif admise dans le subjectivisme de Kant, et l'idéalisme purement subjectif de Fichte basé sur l'activité du moi produisant par la pensée le non-moi ou le monde. Il admet comme Schelling l'identité absolue de toutes choses. Cependant au lieu de placer à l'origine des choses, comme Schelling, l'être indéterminé (l'absolu) en même temps idéal (esprit) et réel (matière) et se développant dans cette double direction, Hégel part de l'être idéal, de l'idée (1) tendant à passer à l'état d'être réel. Il prétend, par la seule force de la dialectique faire sortir de l'idée toutes choses, *l'absolu,* c'est-à-dire l'idée pure, considérée en elle-même et d'une manière abstraite, ou le monde intelligible des essences; *la nature,* c'est-à-dire l'idée en tant que manifestée, devenue objet, extériorisée dans le temps et dans l'espace; enfin *l'esprit,* c'est-à-dire l'idée se repliant sur elle-même, et se connaissant, se contemplant elle-même comme âme, comme société et comme Dieu!

---

la Dialectique hégélienne Pour peu que l'on veuille réfléchir sur ces théories abstraites et en rapprocher la sociologie marxiste, on ne tardera pas à toucher du doigt le côté utopique de celle-ci.

(1) C'est-à-dire du concept, de la notion universelle d'être, qu'il appelle l'Idée, et à laquelle il donne une existence propre.

Cette évolution progressive et continue de l'Idée, se déterminant, se développant et se réalisant par une marche spontanée dans la triple direction indiquée, c'est la *Dialectique*. Les lois de ce mouvement évolutif sont identiquement les mêmes dans toutes les directions, puisque partout et toujours nous retrouvons le même processus par lequel l'Idée (ou la notion, l'Idée absolue, der logische Begriff) poursuit son développement progressif.

Mais en quoi consiste donc le mouvement évolutif de l'Idée absolue?

Il se résume dans la fameuse triade hégélienne, et consiste en ce que l'Idée absolue se pose, s'oppose et se compose ; ou en d'autres termes s'affirme, se nie et nie sa négation ; ou encore se formule comme *thèse*, comme *antithèse*, et comme *synthèse*. Et puisque nous sommes lancés en pleine métaphysique, esquissons brièvement le processus ternaire dialectique, pour autant que la langue française peut rendre les nuageuses abstractions hégéliennes. Le facteur de l'évolution, ou la force qui fait évoluer l'Idée absolue, c'est la force de la négation (die Macht der Negativität) inhérente à l'Idée absolue. L'Absolu en vertu de la négation qui lui est inhérente, provoque, à quelque stade d'évolution qu'il soit arrivé, la négation de ce stade, de cette position première. Or, ce nouveau stade ou ce nouvel état de l'Absolu, par cela même qu'il est la négation de l'état antérieur, renferme en lui-même l'état primitif. En effet, le concept de toute négation renferme le concept de ce qui est nié. Aussi, à la fin de chaque mouvement évolutif, l'Absolu par la négation de la négation précédente s'affirme comme identité distincte des deux positions antérieures. C'est ainsi qu'à travers la série indéfinie de ses évolutions, l'Absolu ne perd aucune détermination, aucune réalité. Au contraire, par les négations successives élaborées dans son sein, il ajoute continuellement des dégrés de réalité aux déterminations réelles déjà acquises. C'est

ainsi qu'il s'achemine graduellement de l'état d'Idée la plus abstraite et la plus pauvre au point de vue de la réalité, vers la réalité la plus concrète et la plus déterminée.

Le processus exposé est identiquement le même à tous les stades de l'évolution : la lutte des deux éléments contradictoires, du positif et du négatif, et leur fusion dans un élément supérieur constitue l'activité dialectique. Du mouvement dialectique naît tout ce qui existe et sera un jour.

D'après Hegel, rien n'est stable, inerte et immuable; tout est changeant, mobile, fluant et dans un perpétuel devenir. « Le monde entier, naturel, historique et intellectuel, est un *processus*, un développement constant, un enchainement de phénomènes, un mouvement perpétuel qui continue sans cesse de devenir lui-même. Dans la nature comme dans l'humanité c'est l'Idée-dont le monde extérieur n'est que la fuyante image — qui évolue, se meut, progresse. Toute l'histoire n'est que le développement de l'Idée qui est la seule réalité » (1).

Il importe d'insister sur la méthode philosophique de Hegel : le *Manifeste communiste* en est tout imprégné, à tel point que de la connaissance de la *Dialectique* hégélienne dépend l'intelligence du socialisme marxiste.

(A suivre)

A. C.

(1) Franz Hitze, *Capital et travail*, édit. franç. par *Weyrich*); Louvain 1898 p. 258 note.

Sanctissimi Domini nostri LEONIS divina providentia PAPÆ XIII constitutio

QUA INDULGENTIÆ JUBILÆI ANNI MDCCCC CONCEDUNTUR MONIALIBUS, OBLATIS, TERTIARIIS ALIISQUE SIVE PUELLIS SIVE MULIERIBUS IN MONASTERIIS PIISVE COMMUNITATIBUS DEGENTIBUS, EREMITIS, INFIRMIS, CARCERE AUT CAPTIVITATE DETENTIS CUM OPPORTUNIS FACULTATIBUS CIRCA ABSOLUTIONES ET VOTORUM COMMUTATIONES

—

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Æterni Pastoris infinitam caritatem animo reputantes, qui *proprias oves vocat nominatim* (1), *ut vitam habeant et abundantius habeant* (2), quique ipsarum adventum ad sui gremium non modo expectat, sed ipse sæpe prævertit, consilium agitavimus de Apostolicæ liberalitatis thesauro recludendo in proximum annum Jnbilæi iis etiam, quibus sua conditio non sinit ut præscriptam peregrinationem ad almam hanc Urbem et ad beatorum Apostolorum limina suscipiant. Placuit igitur fructu vacuam non redire multorum fidem ac pietatem, qui hujusmodi iter summo cum studio essent aggressuri, nisi eos aut septa monasterii, aut ineluctabilis captivitas, aut corporis infirmitas impediret. Quæ quidem relaxatio atque benignitas non istorum tantum necessitati aut utilitati prospiciet, sed in communem omnium salutem redundabit. Conjunctis enim tot hominum precibus et lacrimis, quos vel vitæ innocentia et religionis ardor, vel pœnitentia, vel calamitas segregavit a ceteris, divinæ misericordiæ placandæ spem licebit multo validiorem fovere. Quamobrem vi præsentium litterarum opportunas rationes describere decrevimus, quibus quum viri tum mulieres in eremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes,

(1) Jo. X, 3.
(2) Ibid. 10.

vel custodiis et carceribus detenti, vel morbis aut infirmitatibus impediti quominus veneranda Apostolorum sepulcra et Patriarchales Urbis Basilicas adeant, permissarum absolutionum concessique plenarii Jubilæi fieri participes valeant.

Qui autem sub hac providentia comprehenduntur, hi sunt:

I. Moniales omnes, quotquot solemnia vota religionis ediderunt et in monasteriis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quæ tyrocinium exercent, quæve in monasteriis, aut educationis aut alia de causa legitima, commorantur. Pariter Monasteriorum hujusmodi Moniales, quæ stipis colligendæ gratia septa religiosa egrediuntur:

II. Oblatæ, vitæ societate conjunctæ, quarum Instituta fuerint ab Apostolica Sede vel ratione stabili, vel ad experimentum probata, una cum suis novitiis atque educandis puellis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, quamquam severiori claustri lege non adstringantur:

III. Tertiariæ sub uno eodemque tecto communiter viventes cum suis pariter novitiis atque educandis puellis, aliisque cum ipsis una degentibus, etsi severiore claustri lege minime teneantur, earumque Institutum nec unquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum fuerit, nec ut approbatum in posterum haberi debeat vi præsentis concessionis:

IV. Puellæ ac mulieres in gynæceis seu Conservatoriis degentes, quamvis nec Moniales, nec Oblatæ, nec Tertiariæ, nullisque claustri legibus obnoxiæ sint. Has omnes, quas diximus, tam in Urbe quam extra, ubique locorum et gentium degentes, præsentis concessionis gratia et privilegio frui posse decernimus ac declaramus.

V. Idem concedimus Anachoretis atque Eremitis, non quidem eis qui nullis clausuræ legibus adstricti vel in collegio et societate, vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus aut regulis obtemperantes vivunt: sed eis qui in continua licet non omnimode perpetua clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt, etiamsi monasticum aut regularem Ordinem profiteantur, ut Cistercienses aliquot, Chartusienses Monachi et Eremitæ sancti Romualdi solent.

VI. Ad utriusque sexus Christifideles eamdem concessionis gratiam extendimus, qui captivi in hostium potestate versantur, ad eosque ubique locorum, qui ex civilibus aut

criminalibus causis in carcere detinentur; item qui exilii pœnam aut deportationis luunt; qui in triremibus aut alibi ad opus damnati reperiuntur; denique ad religiosos viros qui suis in cœnobiis sub custodia retinentur vel qui ex rectorum præcepto certam habent sedem, quasi exilii aut deportationis loco assignatam.

VII. Eamdem concessionem communem esse pariter volumus utriusque sexus infirmis cujusvis ordinis et conditionis, vel qui jam extra Urbem in morbum aliquem inciderint, cujus causa, intra Jubilæi annum, Urbem adire medici judicio, non possint, vel qui, licet convaluerint, non sine tamen gravi incommodo romanum iter aggredi possint, vel qui omnino dare se in iter imbecilla ex habitu valetudine prohibeantur. Horum denique numero senes haberi volumus, qui septuagesimum ætatis suæ annum excesserint.

Itaque istos omnes et singulos monemus, hortamur et obsecramus in Domino, ut peccata sua *in amaritudine animæ* recolentes eademque intimo animi sensu detestantes, saluberrimo Pœnitentiæ sacramento et congruis satisfactionibus suam quisque conscientiam expiare curent; tum ad cæleste Convivium ea, qua par est, fide, reverentia, caritate, accedant, Deumque optimum maximum, per Unigenitum Filium ejus ac per merita augustissimæ Virginis Mariæ et beatorum Apostolorum Petri et Pauli omniumque Sanctorum, juxta Nostram Ecclesiæque mentem enixis precibus orent pro sanctæ Ecclesiæ prosperitate atque incremento, pro extirpandis erroribus, pro catholicorum principum concordia, totiusque christiani populi tranquillitate et salute; in eumque finem visitationi quatuor Urbis Basilicarum, alia religionis, pietatis, caritatis opera devote sufficiant, quum voluntaria, tum præsertim a delectis sacri ordinis viris auctorite Nostra injungenda, prout infra edicitur.

Scilicet volumus ac jubemus ut venerabiles fratres Episcopi aliique locorum Ordinarii Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius memoratis sive puellis, sive mulieribus, Anachoretis, Eremitis, in carcere detentis, ægrotantibus et suptuagenario majoribus, statuant ac præscribant sive per se, sive per prudentes Confessarios, congrua religionis ac pietatis opera juxta singulorum statum, conditionem et valetudinem ac loci et temporis rationes: quorum perfunctio-

nem pro visitatione quatuor Urbis Basilicarum valere volumus ac decernimus. Eamdem commutandorum operum facultatem concedimus Prælatis Regularibus videlicet utendam erga Instituta et personas singulas quæ in ipsorum jurisdictione sint. — Eodem genere personis quæ in Urbe degant, designari opera sufficienda volumus per dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Vicarium ejusque vices gerentem, sive per se ipsos sive per prudentes Confessarios.

Itaque Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere pœnitentibus et intra præsentum Jubilæi annum rite confessis ac sacra Communione refectis, Deumque, ut supra dictum est, orantibus, omnia denique implentibus alia injungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus, si morbus periculosus oppresserit, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam, veniam et remissionem, etiam duplici vice intra anni sancti decursum si injuncta opera iteraverint, haud secus ac si præscripta communiter ceteris omnibus expleverint, de Apostolicæ liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus.

Monialibus earumque novitiis licere volumus, at prima dumtaxat vice, sumere sibi ex alterutro Cleri ordine Confessarios, qui tamen sint ad audiendas Monialium confessiones rite approbati. Anachoretis atque Eremitis supra dictis, itemque Oblatis, Tertiariis, puellis ac mulieribus in monasteriis piisque domibus vitam communem agentibus, quibus forte ordinario tempore eligendi sibi Confessarii libera facultas non sit, similiterque Christifidelibus captivitate, carcere aut custodia, infirmitate aut senectute impeditis, fas esse jubemus eligere sibi prima vice dumtaxat Confessarios quoscumque, dummodo ad confessiones personarum sæcularium probati rite sint. Idem eisdem conditionibus liceat viris religiosis ex quolibet Ordine aut Congregatione vel Instituto. — Confessariis sic electis concedimus et tribuimus ut personas supra dictas, auditis earum confessionibus, absolvere possint a quibusvis peccatis, etiam apostolicæ Sedi speciali forma reservatis, excepto casu hæresis formalis et externæ, imposita pœnitentia salutari aliisque juxta cano-

nicas sanctiones rectæque disciplinæ regulas injungendis. Præterea confessariis, quos moniales sibi elegerint, facultatem facimus dispensandi super vota quælibet ab ipsis post solemnem professionem facta, quæ regulari observantiæ minime adversentur. Simili modo Confessarios supra memoratos etiam dispensando commutare posse volumus omnia vota, quibus Oblatæ, Novitiæ, Tertiariæ, puellæ et mulieres in communibus domibus agentes sese obstrinxerint, exceptis iis, quæ Nobis et Apostolicæ Sedi reservata sint: factaque commutatione, a votorum etiam juratorum observantia absolvere.

Hortamur autem Venerabiles Fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, Apostolicæ Nostræ benignitatis exemplo, eligendis ad præsentium effectum Confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ipsis Ordinariis reservati sint.

Volumus denique ut præsentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici et sigillo viri in sacri ordinis dignitate constituti munitis, eadem ab omnibus adjungatur fides, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si exhibitæ forent vel ostensæ. Ceterum harum decreta et jussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ declarationis, hortationis, concessionis, derogationis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo nonagesimo nono Calend. Novembris, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat. —
A. Card. MACCHI

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius

SUSPENSIO
INDULGENTIARUM ET FACULTATUM
VERTENTE
ANNO UNIVERSALIS JUBILÆI
MILLESIMO NONINGENTESIMO

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod Pontificum maximorum sanxit auctoritas, ut Anni sacri solemnia Romæ potissimum agerentur, id quidem cum provisa divinitus dignitate et grandioribus muneribus almæ Urbis est admodum congruens. Hæc enim omnium, quotquot ubique sunt, christianorum patria communis: hæc sedes sacræ potestatis princeps, eademque traditæ a Deo doctrinæ custos sempiterna: hinc ut ab unico augustissimoque capite in omnes christianæ reipublicæ venas perenni communicatione vita propagatur. Nihil ergo tam consentaneum, quam catholicos homines vocatu Sedis Apostolicæ huc certa per intervalla temporum convenire, ut scilicet una simul et remedia expiandis animis in Urbe reperiant et romanam auctoritatem præsentes agnoscant. Quod cum tam salutare ac frugiferum appareat, sane cupimus ut urbs Roma toto anno proximo majore qua fieri potest frequentia mortalium celebretur: ob eamque rem peregrinationis romanæ cupidis velut stimulos addituri, admissorum expiandorum privilegia, quæ liberalitate indulgentiaque Ecclesiæ passim concessa sunt, intermitti volumus: videlicet, quod plures decessores Nostri in caussis similibus consuevere, Indulgentias usitatas apostolica auctoritate ad totum Annum sacrum

suspendimus: verumtamen prudenti quadam temperatione modoque adhibito, ut infra scriptum est.

Integras atque immutatas permanere volumus et decernimus

I. Indulgentias *in articulo mortis* concessas:

II. Eam, qua fruuntur ex auctoritate Benedicti XIII decessoris Nostri, quotquot ad sacri æris pulsum de genu vel stantes *Salutationem angelicam*, aliamve pro temporis ratione precationem recitaverint:

III. Indulgentiam decem annorum totidemque quadragenarum Pii IX auctoriate an. MDCCCLXXVI iis tributam qui pie templa visitent in quibus Sacramentum augustum quadraginta horarum spatio adorandum proponitur:

IV. Illas item Innocentii XI et Innocentii XII decessorum Nostrorum decreto iis constitutas, qui Sacramentum augustum, cum ad ægrotos defertur, comitentur, vel cereum aut facem per alios deferendam ea occasione mittant:

V. Indulgentiam alias concessam adeuntibus pietatis causâ templum sanctæ Mariæ Angelorum Ordinis Fratrum Minorum extra Assisii mœnia a vesperis Calendarum Augusti ad solis occasum diei insequentis:

VI. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales Legati a latere, apostolicæ Sedis Nuntii, item Episcopi in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma consueta largiri solent:

VII. Indulgentias Altarium Privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliasque eodem modo pro solis defunctis concessas: item quæcumque vivis quidem concessæ sint, sed hac dumtaxat causa ut defunctis per modum suffragii directe applicari valeant. Quas omnes et singulas volumus non prodesse vivis, prodesse defunctis.

De facultatibus vero hæc constituimus et sancimus, quæ sequuntur.

I. Rata firmaque sit facultas Episcopis aliisque locorum Ordinariis impertiendi indulgentias *in articulo mortis* eamdemque communicandi secundum Litteras a Benedicto XIV decessore Nostro datas Nonis Aprilis An. MDCCXLVII:

II. Item ratæ firmæque sint facultates Tribunalis Officii Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, ejusque Officialium: Missionariorum quoque et Ministrorum qui vel ab

eodem Tribunali, vel a Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præposita, vel alias ab apostolica Sede ad id deputati fuerint: nominatim facultas absolvendi ab hæresi eos, qui, ejurato errore, ad fidem redierint:

III. Ratæ firmæque sint facultates, quas Officium Pœnitentiariæ Nostræ apostolicæ Missionariis, in locis Missionum earumque occasione exercendas, concesserit:

IV. Item facultates Episcoporum aliorumque sacrorum Antistitum circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis etiam Sedi apostolicæ reservatis, quemadmodum ipsis a sacra Tridentina Synodo, seu alias, etiam in publicis casibus, a jure communi ecclesiastico et ab apostolica Sede pro certis personis et casibus permissæ dignoscuntur. Idem statuimus de facultatibus Antistitum Ordinum religiosorum, quæcumque ipsis in Regulares sibi subjectos ab apostolica Sede tributæ sint.

Iis exceptis, de quibus supra memoravimus, ceteras omnes et singulas Indulgentias tam plenarias, etiam ad instar Jubilæi concessas, quam non plenarias, suspendimus ac nullas jubemus esse. Similique ratione facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Nobis et apostolicæ Sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis cuilibet quoquo modo concessa, suspendimus ac nulli suffragari volumus ac decernimus. Quocirca præsentium auctoritate Litterarum præcipimus ac mandamus, ut, præter Indulgentias Jubilæi, easque, quas supra nominatim excepimus, nullæ præterea aliæ uspiam, sub pœna excommunicationis eo ipso incurrendæ aliisque pœnis arbitrio Ordinariorum infligendis, publicentur, indicantur, vel in usum demandentur.

Quæcumque autem his Litteris decreta continentur, omnia ea stabilia, rata, valida esse volumus et jubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Earum vero exemplis aut transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem volumus haberi fidem, quæ haberetur præsentibus si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ suspensionis, decreti, declarationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire: si quis autem hoc attentare præ-

sumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo nonagesimo nono Pridie Cal. Octobris, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat. —
A. Card. MACCHI

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. Cugnonius

Adnotationes

I

De suspensione indulgentiarum

Jubilæo ordinario seu anni sancti proprium est et consuetum, ut ab aperitione Portæ sanctæ usque ad ejusdem clausuram, suspendantur omnes indulgentiæ consuetæ quæ non expresse reservantur. « Omnium primus, qui per occasionem *Anni Sancti* prædictam suspensionem faceret, fuit Pontifex Sixtus IV, sicut in ejus Decretali: *Quemadmodum*, sub titulo: *De pœnitentiis et remissionibus,* in Extravagantibus communibus videre est; atque id ea maxime de causa, ut fideles Romam ad consequendam plenariam indulgentiam, quam ipse per Annum Sanctum eisdem offerebat, invitaret; cujus postea exemplo, qui successerunt, Pontifices sese conformarunt » (Bened. XIV, Const. *Inter*

præteritos, § 17). Prædecessorum igitur suorum vestigiis insistens, SS^mus^ D^nus^ Leo Papa XIII, cupiens « ut Urbs Roma toto anno proximo majore quo fieri potest frequentia mortalium celebretur », indulgentias (et facultates), nonnullis exceptis, « ad totum Annum Sacrum » (Litt. *Quod Pontificum*) « a prima vespera Natalis Domini anno millesimo octingentesimo nono inchoandum, et ad primam vesperam Natalis Domini anno millesimo noningentesimo finiendum » (Bulla *Properante ad exitum sæculo*), suspendit ac nulli suffragari voluit ac decrevit.

« Verumtamen prudenti quadam temperatione modoque habito » hæc suspensio indulgentiarum decernitur, quia volunt Pontifices « nihilominus tum spiritualibus fidelium per universum orbem degentium necessitatibus paterna charitate consulere, tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quædam religionis et pietatis opera in christianorum animis conservare et fovere ; tum demum suffragia in fidelium defunctorum levamen atque subsidium erogari solita neutiquam imminuere ». (Bened. XIV, Const. *Cum Nos nuper*).

Ideoque a suspensione generali nominatim excipiuntur indulgentiæ sequentes :

I. Omnes indulgentiæ alio tempore concessæ, sive pro solis defunctis, ut solent esse indulgentiæ altaris privilegiati, sive directe pro vivis cum facultate tamen eas applicandi animabus purgantibus, sive etiam pro solis vivis, toto hujus anni sancti decursu lucrifieri possunt *pro animabus purgatorii*. Nulla igitur indulgentiæ concessio plane inutilis hoc anno evadit. (Const. *Quod Pontificum* n. VII).

II. Præterea etiam in quantum pro vivis concessæ fuerunt, integræ servantur :

1. Indulgentiæ quovis titulo concessæ fidelibus *in articulo mortis* constitutis. (Ibid. n. I).

2. Indulgentiæ tum quotidiana 100 dierum, tum menstrua plenaria, concessæ a Benedicto XIII per breve

Injunctæ Nobis d.d. 14 Sept. 1724, pro debita recitatione *Angelus Domini* vel *Regina Cœli* pro tempore. (Ibid. n. II, cf. *Raccolta* edit. 1898, n. 132).

3. Indulgentia 10 annorum et totidem quadragenarum, quam ex concessione Pii IX (Rescr. S. C. Indulg. d.d. 26 Nov. 1876) lucrantur, tam in Urbe quam extra eam, omnes fideles toties quoties vere contriti et saltem cum firmo confitendi proposito devote visitant ecclesias, in quibus SS. Sacramentum pro oratione XL horarum exponitur, ibidemque ad consuetas Romani Pontificis intentiones orant vel alias pro devotione preces recitant. Suspenditur autem indulgentia plenaria eodem rescripto concessa. (Ibid. n. III. Cf. *Raccolta* n. 66).

4. Indulgentiæ concessæ ab Innocentio XI et Innocentio XII concomitantibus SS. Sacramentum quod *in viaticum* (1) ad ægrotos defertur. Nempe: *a*/ indulgentia 7 annorum et 7 quadragenarum, si comitantur deferentes cereum vel facem et orantes ad mentem Summi Pontificis; *b*/ 5 annorum et totidem quadragenarum si illud comitantur ut supra, sed absque lumine; *c*/ 3 annorum et 3 quadragenarum, si legitime impediti mittunt aliam personam quæ suî loco lumen deferat; *d*/ 100 dierum si legitimo impedimento detenti, recitant *Pater* et *Ave* ad intentionem Romani Pontificis (Ibid. n. IV, cf. *Raccolta* n. 81).

5. Indulgentia Portiunculæ sed tantummodo pro visitantibus ecclesiam Assisiensem B. Mariæ angelorum, non vero pro visitatione aliarum ecclesiarum ad quas idem privilegium fuit extensum: in his enim indulgentia toties quoties solis defunctis applicari potest (Ibid. n. V).

6. Indulgentiæ quas S. R. E. Cardinales a latere, Apostolicæ Sedis Nuntii, item Episcopi, in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma con-

(1) Non autem ex devotione vel ad satisfaciendum præcepto Paschali: illæ enim indulgentiæ, de quibus *Raccolta* n. 80, non fuerunt concessæ ab Innocentio XI vel XII, et proinde a suspensione generali non excipiuntur.

sueta, largiri solent. (Ibid. n. VI). Attamen, juxta decr. S. C. Indulg. diei 22 Dec. 1824, suspensa manet (pro vivis) indulgentia plenaria adnexa solemni benedictioni Papali quam Episcopi impertiri consueverunt in aliquibus diebus solemnioribus, v. g. in festo Paschatis et Omnium Sanctorum (*Decreta auth.* n. 255, ad 1[m]).

Iis indulgentiis exceptis, iisque solis, « ceteræ omnes et singulæ, tam plenariæ etiam ad instar jubilæi concessæ, quam non plenariæ », locales, reales aut personales, a SS. D. N. Leone XIII suspenduntur ac nullæ esse declarantur.

Et quo magis efficax sit illa suspensio, prohibet Romanus Pontifex, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ aliisque pœnis arbitrio Ordinariorum infligendis, quominus aliquis publicet, indicat seu nuntiet, vel in usum demandet indulgentias suspensas. *In usum demandare* illas indulgentias censendi non sunt illi qui simpliciter eas lucrari conantur, sed illi qui alios ad hujusmodi conatum inducunt.

C. C.

II

De suspensione facultatum

Juxta decretum S. Congregationis Indulgentiarum, diei 15 Martii 1852 (*Decreta authentica*, n. 353), in Jubilæo tum ordinario, tum extraordinario, servandæ sunt omnes regulæ a Summo Pontifice Benedicto XIV traditæ, quibus non adversatur Bulla jubilæi. Porro, quæ de suspensione facultatum præfatis litteris *Quod Pontificum* constituit Leo XIII, prorsus consentanea sunt illis quæ Benedictus XIV, litteris *Cum nos nuper*, in causa simili, sancivit. Eædem ergo servandæ sunt regulæ. Ex variis autem Benedicti Constitutionibus eruitur hæc de suspensione facultatum tenenda esse principia:

1° Suspensio non obtinet nisi durante *Anno Sancto*, id est dum jubilæum ordinarium *Romæ* celebratur; non

anno sequenti quo ad totum orbem jubilæum extenditur; neque etiam in aliis jubilæis.

2° Unice agitur de facultatibus ab *Apostolicæ Sedis* liberalitate emanatis (Const. *Cum nos nuper*, in proœmio). Non suspenduntur facultates absolvendi, etc. ab Ordinariis locorum propria auctoritate concessæ. Bullæ enim de his non loquuntur, sed tantum de concessis a Summo Pontifice. Cf. Bellegambe, *De Jubilæo*, p. 96.

3° « Suspensio facultatum... pro hoc Anno Sancto... indicta..., non comprehendit ipsam *Romanam Urbem*, in qua hoc maxime anno præstat operariorum copiam et auxilia pro expediendis pœnitentibus non imminui ». Bened. XIV, Const. *Convocatis*, § LV. Cf. Const. *Inter præteritos*, §§ 32 et 89; et Leonis XIII Const. *Quoniam divinæ bonitatis*, § XXV (*Anal. eccl.*, an. 1899, p. 446 ss.).

4° Extra Urbem vero, suspenduntur non modo facultates illæ, quæ causa vel occasione indulgentiarum concessæ fuissent; verum etiam cæteræ quælibet, quocumque alio titulo, et causa concessæ, exceptis dumtaxat illis quas Summus Pontifex integras permanere decernit. Const. *Convocatis*, § LVI coll. Const. *Inter præteritos*, §§ 25-32.

5° Tandem, in suspensione facultatum hæc est servanda regula, quod, salvis facultatibus expresse et nominatim exceptis, suspensæ remaneant cæteræ omnes facultates absolvendi, etc. Cum præcipue facultates et indulta exprimantur, quæ sub revocatione minime comprehenduntur, sequitur illa, quæ excepta non sunt, comprehensa remanere. Const. *Inter præteritos*, §§ 25 et 32.

Si ulterius quæratur quænam in specie facultates suspendantur, quænam vero ratæ firmæque perdurent, respondemus juxta tenorem litterarum apostolicarum, opportunis interjectis adnotationibus quibus varia dubia diluantur:

A. Iis exceptis, de quibus infra memorabimus, suspenduntur omnes et singulæ « *facultates et indulta absol-*

vendi etiam a casibus.. Apostolicæ Sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis ».

Animadvertendum imprimis est non omnes omnino facultates apostolicas, durante Anno Sancto, esse suspensas; sed illas tantum absolvendi a casibus et censuris Sanctæ Sedi reservatis, commutandi vota, et dispensandi super irregularitatibus et impedimentis. Non ergo suspenduntur facultates et indulta quæ in aliis materiis a Sancta Sede concessa fuere; cujusmodi sunt v. g. facultates tenendi legendique libros prohibitos aliisque licentiam impertiendi, celebrandi bis de die, deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos, dispensandi super esu carnium, benedicendi ac indulgentiis ditandi rosaria, numismata et cruces, erigendi viam crucis, etc. etc.

Præterea, quod spectat suspensam facultatem « *dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis* », quæritur an voce « *impedimentis* » intelligantur etiam impedimenta *matrimonii*, et utrum vertente Anno Sancto suspendantur facultates quas Episcopi vel forsan confessarii a Sancta Sede habent super his impedimentis dispensandi. Minderer (*De indulgentiis necnon de jubilæo*, Venetiis, 1764, p. 617), hæc habet: « Nullus *confessarius* (non obstante quocumque privilegio alias sibi competente) potest dispensare in aliqua irregularitate, aut in aliquo *impedimento matrimonii*. Ratio est, quia tenor Bullæ generaliter cuicumque omnem facultatem adimit, quomodocumque, et ex quibusvis causis, sub quibuscnmque tenoribus et clausulis, concessa fuerit; languescunt ergo omnia privilegia *confessariorum* ». Dein, p. 619, proposito casu qualiter se resolvere debeat confessarius privilegiatus qui, cum sedet pro sacro tribunali, nanciscitur pœnitentem quem contraxisse impedimentum affinitatis advertit ex incestu cum consanguinea uxoris suæ in primo gradu voluntarie et scienter commisso, penitus tamen occulto, respondit

prælaudatus auctor: « Non potest (confessarius) dispensare cum suo pœnitente in impedimento petendi debitum. Ratio est, quia cum ei adempta sit facultas dispensandi, vel ex jure, vel ex consuetudine, vel ex quocumque privilegio descendens in impedimentis generaliter, nec suppetit ratio, quare excipiendum sit impedimentum affinitatis matrimonio superveniens in ordine ad petendum obligatorie debitum; generale siquidem dictum, generaliter est intelligendum. Dices: quid ergo faciendum in praxi cum tali pœnitenti durante suspensione, cum vix non semper urgeat rationabilis causa dispensandi, v. g. periculum infamationis, contentionum, etc. R. Pro hoc et aliis similibus casibus, *dum urget et periculum est in mora,* recurrat ad Vicarium generalem, ab eoque petat facultatem dispensandi... Id quod et in aliis casibus emergentibus circa censuras etc. observandum erit, cum *facultates Episcoporum illæsæ maneant, præsertim* quæ ipsis competunt *vi muneris episcopalis, in casibus necessitatis, et urgentibus;* non autem confessariis utut alias privilegiatis illæsa remanent sua privilegia ». Ex his patet Minderer in ea versari opinione quod *impedimenta matrimonii* comprehenduntur; quod certo cessant facultates *confessariorum* super his dispensandi; et quod illæsæ maneant facultates *Episcoporum*, eæ saltem quæ ipsis *jure quasi ordinario* competunt *in casibus urgentioribus.* Pariter Busembaum (1) docet non suspendi facultatem Episcoporum « dispensandi in irregularitatibus, in impedimentis matrimonii aut petendi debitum etc. quæ *ex jure communi* illis competunt »; quo innuere videtur suspendi facultates quas Episcopi *ex indulto* habent. Contrà, Bouvier (*Traité des indulgences*, Tournai, 1844. p. 315) absolute tenet minime suspendi facultates quæ Episcopis conceduntur ad habitualem diœcesium suarum gu-

(1) *De indulgentiis* N. XXIV, apud S. Alph., L. VI, n. 535, Resp. 2; Ball.-Palm., *Opus theol. mor.*, T. V, p. 658.

bernationem, dispensandi pro matrimoniis, ordinandi extra tempora, etc. Alii auctores plures, quos consulere contigit, nihil *expresse* (1) hac de re habent.

Quid ergo statuendum? Opinamur (si quid in re tam obscura opinari nobis liceat) voce « *impedimentis* » non comprehendi impedimenta matrimonii; et facultates Episcoporum dispensandi in his impedimentis generali facultatum suspensione non affici. Rationes sunt: *a*/ Quamvis suspendantur generaliter omnes facultates absolvendi et dispensandi, quocumque titulo fuissent concessæ (cf. *supra*, 4°), suspensio tamen illas imprimis spectat quas Romani Pontifices concedere consueverunt « ad faciliorem indulgentiarum consecutionem, et ad *impedimenta* removenda » (Ben. XIV, Const. *Inter præteritos*, § 28, coll. declaratione Datarii Gregorii XIII, apud Theodorum a Spiritu Sancto, *De Jubilæo*, Cap. XII, § 1, n. 4). Quænam autem sit *indoles* impedimentorum, de quibus in præsenti agitur, aliunde ex bullis Benedicti XIV apparet: sunt quædam vincula et *impedimenta* « quibus non semel *pœnitentium conscientia* irretitur » (Const. *Apostolica*, § 13, coll. Const. *Convocatis*, in proœmio); et ejusmodi quidem naturæ, super quibus *Prælati* etiam *regulares*, ratione sui muneris, dispensare valent pro sibi *subjectis* (Const. *Inter præteritos*, § 25).

(1) Dicimus *expresse;* quia varii auctores, recensendo facultates a suspensione exceptas, ita interpretantur § IV qui spectat facultates Episcoporum, ut manifeste excipiant facultates, quas ex indulto habent Episcopi, dispensandi etiam super impedimentis matrimonii. Sic, Konings, *Theol. mor.*, ed. 5ª, T. II, n. 1786, q. 15, nota b, dicit excipi facultates « quæ Episcopis de jure communi vel *per concessionem Apostolicam* ad habitualem diœcesium gubernationem, *aut* pro determinatis casibus vel personis indultæ permissæque dignoscuntur. Lehmkuhl, *Theol. mor.*, ed. 9ª, T. II, n. 544, absque ulla restrictione docet a suspensione non attingi « facultates Episcopis sive a Concilio Tridentino, sive *speciali privilegio a* S. *Sede* datæ. » Similia habent Aertnys, *Theol. mor.*, ed. 2ª, L. VII, n. 215, 2°; Melata, *Manuale de indulgentiis*, Romæ, 1892, p. 97. Sed huic interpretationi obstant verba « *pro certis personis et casibus* », quibus adsignificari videtur suspendi facultates *generales* absolvendi vel dispensandi quæ Episcopis ab Apostolica Sede permissæ dignoscuntur. Cf. *infra*.

b) Dein, si facultas Episcoporum dispensandi pro matrimoniis generali suspensione comprehendi dicatur, vix concipimus quomodo, inspecta rei momento, tum Pontificum Constitutiones, tum auctores generatim de ea sileant; neque videmus qua ratione, durante Anno Sancto, recto diœcesium regimini provideri queat.

Forsan quis animadvertet Pœnitentiariis Romanis speciales facultates, Anno Sancto duraturas, concedi, dispensandi etiam super nonnullis impedimentis, tam in matrimonio contracto, quam in contrahendo (1); indeque conjiciet facultates dispensandi pro matrimoniis Ordinariis aliàs concessas, hoc anno, suspensas esse. Verum, sedulo rem examinanti apparet non existere omnimodam correlationem inter facultates suspensas et eas quæ occasione jubilæi conceduntur, in specie hujusmodi correlationem non haberi inter facultates dispensandi pro matrimoniis quas Episcopi a Sancta Sede obtinent et illas quæ Anno Sancto Pœnitentiariis conceduntur: hi enim facultates habent magis restrictas, quas exercere non possunt extra actum sacramentalis confessionis (Ben. XIV, Const. *Convocatis*, § XXV), coll. Leonis XIII Const. *Quoniam divinæ bonitatis*, § XXVI. Notatu præterea dignum est nullam dispensandi super matrimonii impedimentis facultatem concedi aliis confessariis pro anno jubilæi deputandis vel eligendis. Denique, ex proposito argumento, si valeret, solummodo sequeretur suspendi, pro certis impedimentis, facultates dispensandi *pro foro interno*. Sed verba bullæ suspensionis generalia sunt: suspenduntur universim « *facultates... dispensandi etiam super... impedimentis* ». Jamvero « persuasum nobis est, ait Benedictus XIV, magnam esse vim generalitatis verborum » (Const. *Inter præteritos*, § 32); ideoque protestamur quod omnes Episcoporum

(1) Cf. Ben. XIV, Const. *Convocatis*, § XIII et ss.; Leonis XII, Const. *Annum auspicatissimum* (Bull. Rom. continuatio, T. XVI, p. 273); Leonis XIII Const. *Quoniam divinæ bonitatis*, § XII et ss.

facultates dispensandi super matrimonii impedimentis suspensæ sint, vel nullæ. Restat ut dicamus quid voce « *impedimentis* » hic intelligendum sit. Haud improbabiliter, ni fallamur, quis assereret hic agi de quibusdam impedimentis quæ in litteris suspensionis Sixti IV et Gregorii XIII memorantur; et facultatem dispensandi *super impedimentis* eam esse quam prædicti Pontifices suspenderunt, nempe « *super... male ablatis incertis, aut per usurariam pravitatem, aut alium illicitum modum extortis, dispensandi et componendi, aut illa sub certis modo et forma remittendi* » (1). Fortassis etiam voces *irregularitates* et *impedimenta* hic synonyma sunt et idem significant, ad majorem expressionem adhibita; vel nomine « *impedimentis* » veniunt nonnulla impedimenta canonica irregularitatibus affinia, ut sunt privationes dignitatum, graduum, vocis activæ et passivæ, inhabilitates, etc. Cf. Beringer, *Les indulgences*, ed. 2ª, p. 499; Bucceroni, *Theol. mor.*, ed. 2ª, T. II, n. 1372; Aertnys, *Theol. mor.*, l. c.; Boudinhon, *Le canoniste*, an. 1899, p. 668.

B. Ratæ firmæque præservantur:

I. Facultas *Episcopis aliisque locorum Ordinariis* impertiendi indulgentias *in articulo mortis*, eamdemque communicandi, secundum Benedicti XIV Litteras *Pia mater* datas 5 April. 1747.

Constat autem ex Benedicti XIV Const. *Cum nos nuper*, § 1, idem esse tenendum de omnibus hujusmodi facultatibus, etiam « *aliis quibuscumque*, communiter aut personaliter, seu pro certo personarum genere, gradu, aut numero concessis ».

De hac facultate vide Konings, *Commentarium in facultates apostolicas*, ed. 5ª, curante Putzer, n. 149, p. 254 ss.

II. Facultates Tribunalis Officii *Inquisitionis*, adversus hæreticam pravitatem, ejusque *Officialium*, et *Ministrorum* ad id deputatorum.

---

(1) Cf. cit. decretalem *Quemadmodum* (Extr. comm. L. V, tit. 9, cap. 4); et Theod. a Spir. Sto, *op. cit.*, Cap. XII, § 1, n. 1.

III. Facultates quas *Missionarii*, *in locis Missionum earumque occasione* exercendas, obtinuerunt vel a Tribunali Inquisitionis, vel a S. Cong. de Prop. Fide, vel a S. Pœnitentiaria.

Notetur nomine *Missionariorum* non venire eos sacerdotes qui in nostris regionibus *Missiones* seu exercitia spiritualia tradunt fidelibus, eaque de causa facultates speciales a S. Pœnitentiaria forte obtinuerunt (1); sed illos qui a S. Congr. de Prop. Fide mittuntur ad regiones infidelium et hæreticorum. Cf. Loiseaux, *Traité du jubilé*, p. 685; Daris, *De indulgentiis*, p. 330.

IV. Facultates *Episcoporum aliorumque sacrorum Antistitum* circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum:

a. In casibus *occultis*, etiam Sedi Apostolicæ reservatis (exceptis tamen censuris quæ in Const. *Apost. Sedis* speciali modo R. P. reservantur, vel quæ *post* hanc Constitutionem latæ et R. P. reservatæ sunt), quemadmodum ipsis a Sacra Tridentina Synodo, *Sess.* XXIV, cap. *Liceat*, 6 *De ref.*, permissæ dignoscuntur. Cf. Putzer, *op. cit.* pp. 37, 150 et 231; F. Piat., *Comment. in Const. Apost. Sedis*, p. 338; De Brabandere, *Comp. jur. can.*, ed. 6ª, nn. 1406, 1407 et 1495; Theol. Mechl., *De censuris*, pp. 20 et 192.

b. In casibus *tum occultis*, *tum etiam publicis*, quemadmodum a *jure communi* ecclesiastico ipsis permittitur. Sic, de jure communi, possunt Episcopi (et omnes confessarii), in casibus urgentioribus, absolvere a censuris et casibus Romano Pontifici etiam speciali modo reservatis (S. Off. 30 Junii 1886, coll. De Brabandere, *op. cit.*, n. 1406); possunt pariter Episcopi, vi Const. *Apost. Sedis*, absolvere a censuris Ordinariis reservatis, et certis in casibus ab excommunicatione, per se R. P. reservata, quam incurrunt percussores clericorum (cf. De Brabandere, *op. cit.*, T. II, p. 783 et p. 794 ss.);

(1) Ita Collet, *Traité des indulgences et du jubilé*, T. II, Chap. VII, n. 13.

possunt etiam quandoque dispensare in irregularitatibus vel votis, etiam R. P. reservatis (cf. Putzer, *op. cit.*, pp. 151 et 164); etc.

c. A suspensione etiam excipiuntur facultates quæ Episcopis ab Apostolica Sede per *speciale indultum* pro *certis personis et casibus* elargitæ fuerunt. (1)

V. Facultates *Antistitum Ordinum religiosorum*, quæcumque ipsis *in regulares sibi subjectos* ab Apostolica Sede tributæ sint. Cf. F. Piat., *Prælectiones juris regularis*, ed. 2ª, T. I, p. 570 ss.

Aliæ autem facultates absolvendi vel dispensandi, quas regulares contendunt sibi a sancta Sede fuisse concessas respectu sæcularium (cf. F. Piat., *op. cit.*, T. II, p. 328 ss.), certo suspenduntur. Cf. Bened. XIV Const. *Inter præteritos*, §§ 26 et 32; Theodorus a Spiritu Sancto, *op. cit.*, Cap. XII, § III, n. 2 ss.

Pro coronide quæritur utrum facultates absolvendi, etc. *Pagellæ* (cf. Putzer, *op. cit.*, p. 432), quam forte confessarius a S. Pœnitentiaria obtinuit, perdurent tempore jubilæi? Affirmant Konings (*Theol. mor.*, ed. 5ª, T. II, n. 1786, q. 15) et Marc (*Instit. moral.*, ed. 8ª, T. II, n. 1740), innixi decreto S. Pœnitentiariæ annî 1875, quod refertur apud *Acta S. Sedis*, T. VIII, p. 486 (2). Verum, declaratio prædicti decreti non spectat jubilæum *Anni Sancti;* et merito alii docent hujusmodi facultates, durante hoc anno, suspensioni obnoxias esse. Cf. Boudinhon, *l. c.*

C. V. C.

---

(1) Hunc § IV ita intelligunt Mocchegiani a Monsano, *Collectio indulgentiarum*, n. 470: Loiseaux, *Traité du jubilé*, p. 686; Bucceroni, *l. c.;* Boudinhon, *l. c.* Alii autem, uti jam notavimus (pag. 57, nota) eo interpretantur modo quo facultates Episcoporum quæ a suspensione eximuntur, valde dilatant, perinde ac si verba « *per certis personis et casibus* » superflua essent.

(2) Cf. etiam Bucceroni, *l. c.*, et Génicot, *Theol. mor.*, ed. 2ª, T. II, n. 415.

Ex S. R. et Univ. Inquisitione

Dubium circa tempus attendendum pro ecclesiasticis obligationibus adimplendis.

Beatissime Pater,

Die 27 Aprilis 1892 R^mus^ Archiepiscopus Ultrajectensis sequens dubium S. C. S. Officii solvendum proposuit:

« Quandoquidem a 1^a^ die mensis Maii 1892 omnia horologia viarum ferrearum per totam Neerlandiam in indicandis horis regulam sument tempus medium loci Greenwich in Anglia, quod tempus tertiam fere horæ partem retro distat a medio tempore in Neerlandia, diciturque *tempus zonarium*, Gubernium civile præscripsit ut et ipsa horologia officiorum publicorum expediendis litteris nuntiisque telegraphicis idem tempus medium loci Greenwich indicarent. Quia *insuper*, sive a magistratu civili, sive per usum, alia quoque horologia publica tempori præfato *multis saltem in locis* conformabuntur, quæstio exsurget: Utrum possint clerici et fideles per totam Neerlandiam in jejunio naturali, cæterisque ecclesiasticis obligationibus observandis, observare tempus medium loci Greenwich, an vero sequi debeant verum tempus juxta meridianum proprii loci? »

Huic dubio E^mi^ ac R^mi^ Domini Cardinales Inquisitores Generales feria IV, die 9 Maii 1892 respondendum decreverunt: *Affirmative ad primam, negative ad secundam partem.*

Nunc vero aliqui iterum dubitant, contenduntque, clericos et fideles in Neerlandia pro jejunio naturali aliisque ecclesiasticis præceptis observandis uti non posse prædicto medio tempore Greenwich, eo quod de facto alia horologia non multis in locis præfato tempori se conformarunt. Cum autem pro jejunio in primis naturali servando res non levis sit momenti, dignetur Sanctitas Sua benigne sequens solvere dubium:

Utrum, non obstante quod de facto non multis in locis alia horologia publica se conformarunt tempori medio

Greenwich, clericis et fidelibus in Neerlandia in jejunio naturali cæterisque ecclesiasticis obligationibus servandis, licitum sit sequi tempus illud medium Greenwich, quod inde a 1ª die mensis Maii 1892 per totam Neerlandiam in omnibus officiis publicis tam viarum ferrearum, quam litterarum et telegrammatum expediendorum introductum fuit?

Et Deus etc.

Feria IV, die 9 Augusti 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, relato supradicto dubio, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi Patres respondendum decreverunt:

Affirmative.

Sequenti vero feria VI, die 11 ejusdem mensis et anni, in solita audientia a SSmo D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Adsessori concessa, SSmus D. N. resolutionem Emorum Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

Adnotationes. — Præfato decreto denuo confirmatur doctrina — jam firmata per responsum S. C. C. de die 22 Julii 1893 (apud *Nouv. rev. théol.*, tom. XXVI p. 243) — juxta quam, pro exsolvendis obligationibus ecclesiasticis diei affixis, sequi licet tempus medium, item tempus *legale* (heure officielle), quamvis illud a tempore vero discordet.

Dicitur *sequi licet*, quia nemo ad hoc obligatur; quod declaravit S. Pœn. 29 Nov. 1882, ubi ad dub.: « Utrum ubi horologia adhibentur tempori medio accommodata, ipsis sit standum, tum pro onere divini officii solvendo tum pro jejunio naturali solvendo: vel debeat quis aut saltem possit uti tempore vero? Resp.: *Sequi sempus medium posse, sed non teneri.* (*Nouv. rev. théol.* tom. XV p. 129.)

« Imo poterit quis modo hanc, modo illam computationem temporis adhibere; non tamen eadem vice con-

jungere, ita ut idem spatium diei hodiernæ et crastinæ simul attribuat. Ita non posset quis completorium omittere, quia, secundum tempus verum, sequens feria VI jam incepit, et simul comedere carnes, quia, secundum tempus legale, feria V adhuc decurrit » Dignant, *Tract. de virt. Religionis* n. 107.

H. V. D. B.

Jurisprudence administrative

—

Donation d'une église, avec retenue d'une tribune — d'un terrain destiné à l'établissement du nouveau cimetière — et d'une parcelle de terre sur laquelle serait édifiée une maison qui devrait éventuellement servir de presbytère ou de maison vicariale.

—

Un arrêté royal, en date du 18 Novembre 1899 (*Moniteur*, p. 4862), autorise la fabrique d'église de la nouvelle paroisse de Wildenburg, commune de Wyngene (Fl. Occid.), à accepter la donation lui faite par la famille van der Bruggen, d'un bâtiment servant d'église ainsi que du terrain servant d'assiette et du fond attenant — et d'une maison servant actuellement de presbytère — à condition que les membres de la famille des donateurs, et leurs invités, auront *l'usage exclusif et gratuit de la tribune établie dans le chœur de l'église*, et que l'entretien et les frais de peinture de cette tribune seront à la charge de la fabrique.

Le même arrêté autorise la fabrique à accepter la donation d'un terrain, dont la famille van der Bruggen se réserve l'usage gratuit, aussi longtemps qu'une maison qui devra servir exclusivement de presbytère ou de *maison vicariale*, ne sera pas édifiée sur la dite parcelle; mais cette autorisation n'a été accordée qu'au vu d'une lettre par laquelle les donateurs déclarent que la clause de l'acte de donation, portant que la maison qui serait bâtie par la fabrique d'église devrait

éventuellement servir de *maison vicariale*, doit être considérée comme l'expression d'un simple vœu, et que d'ailleurs par cette clause ils n'ont pas voulu accorder au vicaire une habitation gratuite, mais seulement un droit de préférence lors de la location de la dite maison.

Il résulte enfin du dit arrêté que le gouvernement n'a pas voulu autoriser la fabrique à accepter une parcelle de terre, destinée à l'établissement du *cimetière* de la nouvelle paroisse.

Observations.

I. L'arrêté royal susmentionné, en tant qu'il permet aux donateurs de réserver pour les membres de leur famille, et leurs hôtes, l'usage gratuit d'une tribune établie dans l'église, est parfaitement conforme à la loi. En effet, aux termes de l'article 72 du décret du 30 Décembre 1809: « Celui qui aurait entièrement bâti une église, pourra retenir la propriété d'un banc ou d'une chapelle, pour lui et sa famille, tant qu'elle existera » ; et « tout donateur ou bienfaiteur d'une église pourra obtenir la même concession, sur l'avis du conseil de fabrique, approuvé par l'Évêque et par le ministre des cultes (cfr *Collationes*, T. III, p. 374 ss.). Rien d'étonnant, dès lors, que les fondateurs de l'église *obtiennent* une concession à laquelle ils ont *droit*.

Cependant, le gouvernement, dans une circonstance analogue, a donné une solution contraire. Une personne fit donation à la fabrique de l'église de S., d'une parcelle de terre et des bâtiments d'église érigés sur la dite parcelle, ainsi que du mobilier neuf destiné à garnir l'église, sous condition notamment qu'elle eût à perpétuité, pour elle et ses descendants, l'usage exclusif d'une tribune qu'elle avait fait établir dans la dite église ; condition de rigueur, sans laquelle la donation n'aurait pas lieu. La fabrique ne fut autorisée à accepter ces libéralités que moyennant une déclaration par laquelle la personne donatrice consentit à ce que la clause de l'acte de donation, relative à la tribune, fût considérée comme étant l'expression d'un simple désir (arr. roy. du 14 Mai 1897, *Moniteur*, p. 1993 ss.).

Pourquoi cette clause, reconnue légale aujourd'hui, ne le fut-elle pas en 1897 ? Mystère de la jurisprudence !

II. Nous avons vu précédemment (*Collationes*, T. II, p. 538 ss.) que l'administration ne reconnaît pas aux fabriques d'église le droit de fournir gratuitement un logement aux vicaires de la paroisse, ni même d'accepter les libéralités qui lui seraient faites pour ce but.

Nous renvoyons le lecteur à la critique que nous avons faite de cette jurisprudence, si peu conforme à la raison et au droit.

III. D'après la théorie libérale, les communes seules, à l'exclusion des fabriques d'église, ont qualité pour établir de nouveaux *cimetières*, et partant pour acquérir et posséder les terrains destinés à servir de lieux de sépulture. C'est par application de cette doctrine que le gouvernement a refusé à la fabrique de l'église de Wildenburg l'autorisation d'accepter la donation de la parcelle de terre destinée à l'établissement du cimetière de la nouvelle paroisse.

Cette jurisprudence exclusive, qui frappe d'incapacité les fabriques d'église, est contraire à tous les principes et ne repose sur aucune base juridique solide. Elle dénie aux fabriques d'église un droit résultant directement de leur mission, reconnu par l'ensemble de la législation, garanti par la liberté constitutionnelle des cultes, et confirmé par une pratique sémiséculaire, pour octroyer aux communes un monopole qu'aucun texte de loi ne leur accorde.

Le cadre de notre revue ne nous permet pas de développer ici cette argumentation, qui se trouve d'ailleurs longuement exposée dans les savants ouvrages qui ont *ex professo* traité cette importante question (1);

(1) Consultez, p. ex., Mgr Malou, *De l'administration des cimetières catholiques en Belgique;* Moulart, *De sepultura et cœmeteriis;* Woeste, *De la propriété des anciennes eglises, des anciens cimetières, et des anciens presbytères;* De Brabandere, *Jur. can. comp.*, T. II, n. 800 ss.

cependant nous ne voulons pas enregistrer, sans élever une protestation, les mesures arbitraires et attentoires aux droits des fabriques, prises par le pouvoir administratif ou judiciaire.

C. V. C.

Consultationes

I

Currente anno 1899, Titius pœnitens accessit ad confessarium diœcesis Brugensis, facultate absolvendi a reservatis non munitum, et confessus est incestum *consummatum,* anno 1898 *cum consobrina sua germana* perpetratum. — Eodem anno 1899, idem confessarius obvium habuit pœnitentem Caium in confessione exponentem copulam *onanisticam cum sorore* habitam per decursum prædicti anni 1898 : utrumque peccatum nondum fuerat clavibus subjectum.

Confessarius Titium et Caium absolvit extra necessitatis casum et extra tempora privilegiata. Quæritur utrum valide et licite ?

R. Solutio utriusque casus propositi reducitur ad solutionem duplicis quæstionis sequentis :

1°/ utrum peccatum sub antiqua disciplina, ante 1m Januarii 1899 vigente, reservatum, et *ante dictum terminum commissum*, possit a communi confessario valide et licite absolvi, nova jam obtinente disciplina, sub qua idem illud peccatum inter casus reservatos jam non recensetur.

2°/ viceversa utrum delictum, *admissum tempore quo nulli suberat reservationi*, absque speciali facultate valide et licite queat absolvi, quando, eo momento quo in confessione exponitur, communis confessarii jurisdictioni jam existit subtractum.

Nimirum ante 1899 reservatio attingebat incestum consummatum *usque ad secundum gradum* consanguinitatis, et nunc limitatur *ad primum gradum;* contrà incestus *onanisticus* etiam cum sorore olim liber erat a reservatione episcopali, nunc vero reservationi est obnoxius. Cfr. *Libellum*, 2ª editione, p. 59, cum *Libello*, 3ª ed., p. 48.

Jamvero *priorem quæstionem* solvendam censemus *affirmative*. Vis namque moderationis introductæ est ut, inde a 1ª Januarii 1899, sola attenta reservatione episcopali (1), communis confessarius, secus ac antea, plena gaudeat jurisdictione in peccata e censu casuum reservatorum expuncta, quomodocumque ad suum forum sint deducenda. Nec obstat quod peccatum absolvendum committi contigerit tempore quo reservatio in ipsum adhuc vigebat, cum reservatio *directe et primario* afficiat confessarium, cujus jurisdictio restringitur, adeoque tempus quo peccatum clavibus subjicitur, non autem ipsum delictum et tempus quo opere completur. Cf. *Libellum*, p. 2.

Plane diversum esset principium solutionis, si judicium esset ferendum de incurrenda *excommunicatione*, olim alicui delicto adnexa, nunc jam sublata: spectanda esset disciplina vigens tempore quo crimen fuerit opere completum potius quam quæ viget tempore quo fuerit in confessione expositum; censura namque afficit delictum eique adhæret.

Alteri quæstioni respondetur sub distinctione:

a/ *illicita* esset absolutio a præfato sacerdote impertita, cum ipsi, *antecedenter* ad confessionem, certò deficiat jurisdictio in ordine ad hujusmodi peccatum *directe* absolvendum. Quæ solutio nititur principio modò statuto, vi cujus attendenda est reservatio quæ

(1) Dicitur « sola attenta reservatione episcopali »: quia peccata ab episcopali reservatione libera, aliunde possunt reservari a Pontifice sive ratione peccati sive ratione censuræ.

obtinet tempore confessionis, non autem quæ viget tempore admissionis delicti.

b/ *valide* tamen absolveret confessarius, idque directe, (1) etsi nulla facultate munitus, modò « ipse pœnitens bona fide existimet peccatum suum non esse reservatum, vel sacerdotem, cui illud declarat, a reservatis absolvendi facultatem habere, et aliunde sit rite dispositus ». Cfr. *Libellum* p. 26. Nimirum Reverendissimus Episcopus Brugensis, benigne *supplet in ipso confessionis actu* jurisdictionis defectui (2), « ne propter ministri ignorantiam aut malitiam aliquis pereat, et ita casuum reservatio de se saluberrima in animarum perniciem vertatur ». Unde absolutio, si daretur, directe remitteret peccatum et reservationem auferret « ita ut, si pœnitens certo cognosceret errorem ..... recursum habere non deberet ad habentem facultatem a reservatis, nec onus subire iterum confitendi peccatum quod rite confessus est ». Ibidem.

Ad duplicem igitur casum propositum respondemus:

1/ Titium absolvit confessarius *valide et licite*, si aliunde nihil ad valorem vel liceitatem defuerit. Quæ solutio valeret pro raptu virginis, adulterio *publico non concubinario;* item pro abortu, apostasia, simonia et hæresi, in quantum horum quatuor delictorum rei ignorant censuram adnexam.

2/ Caium vero absolvit illicite quidem sed valide, modò pœnitens fuerit bonæ fidei, sensu exposito. Dicta applicabis sodomiæ inter masculos *attentatæ*, adulterio *concubinario occulto*.

A. D. S.

---

(1) Dicitur « directe »; quia, etiamsi non suppleret Episcopus, absolutio posset peccatum reservatum attingere *indirecte*, illud delendo simul cum reliquis peccatis non reservatis directe absolvendis, supposita bona fide pœnitentis. Cfr. *Collat. Brug.*, IV, p. 30-31.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, IV, p. 6...

II

Paulus conjugatus et Anna conjugata (vel etiam libera), *operarii*, prava concupiscentia erga invicem ducti, tendunt in regionem alienam, ubi per annum vel duos annos vivunt in adulterio. Quæritur utrum *prima vice a suo regressu* possint absolvi a communi confessario?

R. Profecto habendi sunt qua *adulteri concubinarii*, adeoque subsunt reservationi in diœcesi Brugensi nec absque facultate queunt absolvi, quamvis delictum reservationi obnoxium extra diœcesim commiserint: Juxta namque principium supra, sub I/, pluries invocatum, reservatio directe afficit confessarium adeoque et tempus et locum confessionis, non vero tempus et locum executionis peccati (1).

Nec tales sunt adulteri de quibus agitur, in quorum gratiam Episcopus Brugensis confessariis potestatem fecit a reservatis absolvendi, vi concessionis in *Libello* sub I, C, 6 et 7, p. 21-22, recensitæ. Soli nempe citantur operarii qui « *laborandi causa* » in alienam regionem sunt profecturi vel exinde sunt reduces; contrà Paulus et Anna e propriis recesserunt *peccandi causa*, ut liberius nimirum nefariæ concupiscentiæ facerent satis. Nec sane subest ratio cum illis indulgentius agendi, quæ valet pro miserandis nostris operariis, qui dura plerumque necessitate coacti, victum quærendi causa in exteras oras sese conferunt, ubi, mediis in periculis versantes, sæpe sæpius confessarium linguam callentem invenire non valent.

A. D. S.

---

(1) Plane diversa et hisce intacta est quæstio, quæ inter AA. agitatur, utrum *subditi* diœceseos, in qua peccatum commissum non reservatur, possint absque facultate absolvi in alia diœcesi, in qua illud delictum subest reservationi. Nostri scilicet adulteri supponuntur esse *subditi* diœceseos Brugensis in qua confitentur.

***

INDEX rerum et sententiarum ordine alphabetico digestus, *in hunc præsertim finem elaboratus, ut S. Pauli doctrina, tum dogmatica quum moralis, ex variis locis collecta, synthetice componatur, pro majore commoditate eorum qui ad conciones sacras præparandas commentario nostro utentur.* — **Appendix** nimirum **ad comment. epist. Paulin.** (6ª ed.) *Auctore* J.-A. Van Steenkiste, Can. Eccl. Cath. Brug., S. T. L. in Univ. cat. Lovan., et per 20 annos S. Script. Prof. in Semin. Brug. — *Brugis, apud Carolum Beyaert,* Bibliopolam. 1899. 1,25 fr.

Epistolas S. Pauli esse sacræ doctrinæ et eloquentiæ fontem inexhaustum, apud omnes Ecclesiæ doctores in confesso est. Quidquid enim ad suam instituendam aut alienam vitam dirigendam utile cogitari potest, omnis fere theologia speculativa, practica, moralis, ascetica, et mystica ex hoc divino fonte hauriri potest: et quidquid in omnibus aliis libris sacris sparsim, hic collectim et longe plura reperire est. Unde S. Thomas, *Prolog. comm. in Ep. Paul.*: « *Sicut inter Scripturas V. T. maxime frequentantur in Ecclesia Psalmi David... ita in N. T. frequentantur Epistolæ Pauli... Quia in utraque Scriptura fere tota theologiæ continetur doctrina.* » Testatur S. Augustinus (Conf. 7, 21) sese *præ ceteris Apostolum Paulum legere*, de quo: *Nihil,* ait (In Ps. 147, 25), *nobis isto viro notius, nihil suavius, nihil in Scripturis familiarius est* ». S. Chrysostomus autem omnem suam, haud exiguam sane scientiam assiduæ S. Pauli lectioni acceptam referre non dubitat: « *Non enim nos, ait, quæcumque scimus, si quid scimus, per naturale ingenium et acumen intellectus novimus, sed per continuum usum istius viri* (S. Pauli), *et per multam ejusdem lectionem.* » Stili verò sublimitatem vigoremque admirans S. Hieronymus: « *Quotiescumque*, ait (Epist. ad Pammach.), *lego Paulum Apostolum, videor mihi non verba audire, sed tonitrua... Quocumque respexeris, fulmina sunt.* »

Verùm abundè demonstravit experientia in epistolis Paulinis « esse *quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem* » II Petr. III, 16. Jam enim S. Chrysostomus (*In acta Ap. homil. ult.*) animadvertit Epistolas S. Pauli esse mare, quo è terra in cœlum vehimur, *in quo plerique hæretici naufragium faciunt.* Addit verò ad trajiciendum hunc oceanum tres naves necessarias esse, scilicet *studium*, *alacritatem*, ut nempe studium sit indefessum, atque *orationem*, ut Spiritus S. dirigat studium nostrum. Requiri insuper studii istius ducem etiam humanum, eumque pium æquè ac doctum, veterumque pariter ac neotericorum Interpretum minimè ignarum, inficias ibit nemo. Quarè Ecclesiæ Dei egregiè profuturum censemus sexta jam vice editum *commentarium R. A. D. Van Steenkiste in omnes S. Pauli Epistolas,* utpote qui summo labore, industria, ac doctrina collectus et concinnatus, necnon clara ac succincta methodo discentibus accommodatus, germanum illarum Epistolarum sensum ex SS. Patribus aliisque sive veteribus sive recentibus probatis auctoribus pressè ac solidè exponit et in apricum profert.

Quò autem faciliùs S. Pauli doctrinam, sive dogmaticam sive moralem, ex variis locis collectam, syntheticè componere valeat sacer concionator, adeoque ad conciones præparandas laudato commentario commodiùs uti, idem nuper Auctor *indicem* confecit *rerum et sententiarum Paulinarum, ordine alphabetico digestum*, eoque veluti necessaria appendice atque coronide præclarum opus suum adornavit et complevit. Cui proinde præter prædictum commentarium præsto etiam est novissima hæc ejusdem Auctoris lucubratio, is in quodcumque fere christianæ doctrinæ caput amplam, solidam ac vere salutarem concionem facili brevique negotio componere poterit. Faxit igitur Deus ut quod Auctor opus feliciter perfecit, in multorum cedat institutionem atque ædificationem.

G. V. D. P.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii.

—

I

Explica II Mach. XII, *43 Et, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. 44 (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret: superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), 45 Et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. 46 Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

II

Præmissa notione *sanctitatis*, expone per quid *formaliter* sancta sit humana Christi natura.

III

Caius catholicus Belga tendit Londinium; ibique, absque ulla prævia dispensatione, coram ministro hæretico matrimonium init cum Johanna, puella Londiniensi, Anglicana et baptizata. An et quare *valide* et *licite* contrahit Caius?

IV

Bertha, puella majorennis, oriunda ex parochia S^ti^ Ægidii Brugis, in qua domicilium habent ejus parentes, ab anno famulatum exercens in S^tæ^ Annæ, nuptias intendit inire cum Carolo ex S^tæ^ Walburgæ, et pridie matrimonii tendit in parochiam S^ti^ Jacobi, in

locata domo habitatura, cum animo ibidem perpetuò cum viro manendi. Coram quonam parocho Brugensi *valide* et *licite* contrahunt dicti sponsi?

V

Titius vicepastor a parocho delegatus ad assistendum matrimonio Pauli et Paulæ, delegat alterum vicarium qui reipsa nuptiis benedicit. Postea Titius matrimonium invalide contractum reputans, inscio parocho, Paulum et Paulam quodam sub prætextu arcessitos et nihil de nullitate suspicantes præsentibus duobus testibus interrogat utrum consensum conjugalem olim datum ratihabeant, quibus annuentibus dicit: *Ego vos conjungo...* eosque dimittit.

Modum agendi Titii dijudica.

VI

Quænam missa celebranda pro benedictione nuptiarum, quænam Orationes et Præfatio in ea dicendæ?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris 1899 propositas.

—

I

Q. Expone *ad Hebr.* XII, 16: *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua: 17 scitote enim quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

R. 16. *Ne quis* sit *fornicator*. Fornicationis fugam præ cæteris vitiis inculcat Apostolus, tum quòd homines sint in illam propensissimi, tum quòd illo ævo plerique Gentiles, quibus Judæi circumsessi, imo immixti vivebant, simplicem fornicationem pro nihilo ducerent: unde imminens periculum infectionis ac porrò defectionis à fide christiana. Nota tamen S. Scripturam fornicationis nomine ut plurimùm comprehendere omnem maris et feminæ concubitum extra torum legitimum.

Aut profanus, i. e. rerum sacrarum contemptor, *ut Esau*. Illud, *ut Esau*, non ad utrumque præcedens membrum, sed solùm ad proximum, *profanus*, referendum est; nam Apostolus in sequentibus Esau *profanum* fuisse solum probat, non *fornicatorem*, et quamvis Esau contra voluntatem parentum uxores duxerit alienigenas (Genes. XXVI, 34, 35), hoc tamen non fuit proprie fornicari, nec usquam legimus eum fuisse fornicatorem.

Qui propter unam escam, pro re vilissima, *vendidit primitiva sua,* jus primogenituræ quod, cùm ob alia, tùm præcipuè propter benedictionis paternæ prærogativam, (Cf. vv. sqq. 17 et 18) ceu sacrosanctum habebatur. Et re quidem vera sacrorum contemptor extitit cum, *accepto*

pane et lentis edulio, comedit, et bibit, et abiit; parvipendens quod primogenita vendidisset. Gen. XXV, 34.

17 *Scitote enim,* ἴστε γάρ. Græcum ἴστε melius vertunt alii *scitis*, tùm propter causalem particulam γάρ, tùm maximè quia Paulus Hebræos alloquitur legem et Scripturam scientes. — *Quoniam*, quòd *et*, etiam, i. e. quemadmodum ipse jus primogenituræ rejecerat, ita vicissim *postea*, postquam nempè audivit benedictionem sibi à fratre præreptam, *cupiens* θέλων, volens *hereditare* i. e. consequi seu acquirere (species ponitur pro genere: erat enim potius donatio inter vivos, quam hereditas exspectanda post obitum patris) *benedictionem*, *reprobatus est*, rejectus et repulsam passus est à patre Isaaco, nolente ei benedictionem impertiri quam ut primogenitus flagitabat.

Non enim invenit apud patrem suum Isaacum *pœnitentiæ* i. e. mentis mutationi *locum*, *quamquam cum lacrymis inquisisset*, postulasset *eam*, i. e. primogenituræ benedictionem, seu potius patris pœnitentiam: nam de *pœnitentia* proxime sermo fuit, idemque statuendum videtur objectum verborum *inquirere* et *invenire*. Sensus proindè est: Esau non potuit lacrymis suis à patre impetrare ut is animo mutato sententiam retractaret, benedictionemque Jacobo impertitam ad Esau primogenitum revocaret. Noluit enim Isaac datam Jacobo benedictionem revocare, licet deceptus eam dedisset, quia statim recordatus prophetiæ de præeminentia filii minoris (Gen. XXV, 23: *Major serviet minori*), totam istam rem ab ipso Deo geri animadvertit. Unde de Jacobo ait Gen. XXVII, 33: *Benedixi ei, et erit benedictus*, i. e. sententiam non muto: valebit, quam dedi, benedictio. Accepit quidem Esau alteram benedictionem (Gen. XXVII, 39, 40) sed illà quæ primogeniti erat longè minorem.

Ex hac expositione manifestum est quàm ineptè olim Novatiani ex hoc loco probare conati sint nonnulla esse peccata quæ Deus nunquam condonet, etiamsi homines

ex corde pœniteat. Non enim agitur hìc de pœnitentia et venia peccatorum Esau, sed de pœnitentia seu animi mutatione Isaaci, quam Esau nullis aut precibus aut lacrymis potuit extorquere. — Imperitè ergo Lutherus Epistolam ad Hebræos è canone sacrorum librorum expunxit, hoc argumento, quod hic locus pœnitentiam peccatoribus adimeret.

In typo igitur Esau non agitur proprie de remissione peccatorum, sed de recuperanda semel amissa paterna benedictione. In antitypo vero seu homine christiano, agitur, sicut suprà cc. VI et X, de extrema difficultate resipiscendi ab apostasia atque recuperandi salutem christianam semel abjectam, quasi diceret Apostolus, verbis utamur à Lapide: « Videte, o Hebræi, ne adinstar Esau, jus sanctum, quod per fidem Christi habetis ad hæreditatem cœlestem, vendatis pro terrenis opibus, ut malitis eas retinere, cum jactura fidei et regni cœlorum, quàm retinendo fidem, easdem perdere, quando Judæi vos persequuntur, urgentque ut vel bonorum, vel fidei jacturam faciatis... Nolite, *inquam*, profanare et abjicere Dei fidem et gratiam, ne fortè eam, ut Esau, recuperare non possitis, fiatisque reprobi. Ubi adverte, non per omnia similem esse causam Esau et Hebræorum. Nam Esau absolutè non potuit, utpote Deo nolente, recipere benedictionem paternam amissam ; nos veró in hac vita, fidem et gratiam Dei deperditam, absolutè possumus semper recipere: dicimur tamen subinde non posse, quia vix et ægrè eam recipere possumus, v. g. cum fidem ipsam, quæ omnis boni fundamentum est, abjicimus, et agnitam veritatem spontè deserimus, contemnimus et impugnamus. Tunc enim spontè cor nostrum in malo obduramus, omnemque Dei influxum et gratiam avertimus atque excludimus. »

G. V. D. P.

II

Q. *Explica et demonstra Christum secundum humanam naturam esse subjectum Patri, imo et sibi ipsi prout unà cum Patre et Spiritu sancto in natura divina supremus est omnium Dominus.*

R. I. **Explicatur** propositio. 1/ Considerandum est triplicem distingui posse modum subjectionis creaturæ ad Deum, quemadmodum bene exponit S. Thomas III, q. XX, a. 1. Primus modus est secundum participationem divinæ *bonitatis:* natura enim divina est ipsa essentia bonitatis, et natura creata habet quamdam participationem divinæ bonitatis, quasi radiis illius bonitatis subjecta. Secundus modus est secundum *potestatem* Dei, quatenus omnis creatura subjacet operationi divinæ dispositionis. Illis duobus modis omnis omnino creatura Deo subjicitur et consequenter etiam Christi humanitas. Sed datur et tertius modus, qui intellectuales solum respicit creaturas: ille scilicit quo propria voluntate creatura obedire tenetur Deo: de illa subjectione est sermo in sequenti demonstratione.

2/ Dicitur Christus subjectus Patri, imo et sibi ipsi prout una cum Patre et Spiritu Sancto in natura divina est supremus omnium Dominus: quemadmodum infra, in demonstratione, apparebit, subjectio de qua hic inquirimus, competit Christo, prout habenti humanam naturam, respectu divinæ naturæ, et quia hæc prorsus eadem est in unaquaque divina persona, ideo illa Christi subjectio etiam eadem est respectu et Patris et Filii et Spiritus Sancti.

II. **Demonstratur** propositio. Quilibet habens humanam naturam est secundum ipsam subjectus Deo; et quilibet est Deo subjectus est æqualiter subjectus et Patri et Filio et Spiritui Sancto. Atqui Christus vere habet humanam naturam. Ergo Christus secundum humanam naturam est subjectus Patri, imo et sibi ipsi

prout unà cum Patre et Spiritu Sancto in natura divina supremus est omnium dominus.

Minor demonstrata supponitur: cf. *Collat. Brug.* T. IV, p. 593 et seq.

Prima pars majoris declaratur: 1/ *Subjectio Deo est propria naturæ humanæ.* Etenim: « Fides et naturalis ipsa ratio nos docent, Deum esse *creatorem* hominis..... Atqui si Deus est hominis creator, est eo ipso etiam *dominus* hominis. Nam duplex est effectionis modus, nempe vel ex *aliquo*, vel ex *nullo* præexistente subjecto. Jamvero artifex qui primo effectionis modo operatur (ex. gr. sculptor, qui statuam fingit ex marmore) acquirit sane dominium in opus a se effectum: illud enim opus est *suum*, et in id, quod est *suum*, unusquisque jus habet. At multo magis tale dominium competit illi, qui altero productionis modo, i. e. per *creationem*, aliquid facit. Dixi, *multo magis*. Etenim opus ab aliquo per creationem effectum multo magis est *suum*, i. e. ejus qui ex nihilo illud eduxit, nempe est *suum*, non jam tantummodo quoad dispositionem partium vel compositionem, sed quoad *ipsam totam realitatem*. Quare dominium, quod creator in rem a se creatam habet, est dominium *absolutum*, non autem tantummodo *secundum quid*, est dominium *essentiale*, non autem *accidentale*. » Ferretti, *Institutiones Philosophiæ Moralis*, Vol. II, Thes. VIII. Cum igitur Deus sit essentialiter dominus absolutus omnis creaturæ, hæc etiam essentialiter et tota est Deo subjecta, ideoque modo suæ naturæ congruo addicta est Dei servitio: quapropter homo, quum sit intellectualis naturæ, officium habet obtemperandi Deo.

2/ Ad naturam igitur humanam necessario et semper pertinet moralis ad Deum subjectio: ut autem perspicuum fiat cur *quilibet habens naturam humanam* vere sit et dici debeat Deo subjectus, considerandum est quod « jus et officium non consequitur hypostasim præcise quia hypostasis est, (nam et equus et bos et planta

hypostases sunt et tamen nullius juris vel officii sunt capaces), sed consequitur hypostasim quia talis naturæ est, scilicet *rationalis:* quo fit ut pro sola diversitate vel specifica vel numerica naturarum (1) diversificetur etiam jus vel officium quod competit hypostasibus. » Billot, *De Verbo Incarnato*, Thes. XXXII. Ergo cuilibet subsistenti in natura aliqua competunt jura vel officia quæ huic naturæ essentialia sunt: ergo cuilibet subsistenti in natura humana competit moralis Deo subjectio seu officium Deo serviendi libere, quod naturæ humanæ essentiale est, ut supra ostendimus: hoc ergo officium competit et ipsi Christo quatenus habet naturam humanam. Et quia jus et officium alicui competit ratione naturæ, ideo etiam *nomen* jus vel officium significans non *immediate* suppositum denominat, sed *mediante natura* in qua subsistit suppositum: ideo quilibet, etiam Christus, in humana natura subsistens recte *dicitur subjectus* Deo. (2)

---

(1) Dicitur pro diversitate *vel specifica vel numerica* naturarum: sane aliud est jus quod divinæ, aliud quod humanæ competit naturæ: en differentia specifica. Sed inter homines, qui ejusdem sunt specici, datur diversitas numerica naturarum: ideo præter jura et officia quæ consequuntur naturam humanam qua talem alii alia habent jura et officia secundum quod eorum natura diversis determinationibus afficitur in supposito. Ita ex. gr. filius primogenitus quandoque solus habebit jus ad hæreditatem patris; homo qui perfecta gaudet sanitate officium quandoque habebit militiam adeundi, cujus officii alius incapax erit.

(2) Hinc animadvertes nomina quæ immediate suppositum denominant non posse prædicari de Christo nisi inquantum divinæ personæ convenire possunt: ideo Christus dici nequit *filius adoptivus* Dei. Cf. Collat. Brug. T. IV, p. 7. Nomina vero quæ suppositum non immediate, sed solum mediante natura in qua subsistit, denominant, convenire possunt Christo sive divinam, sive humanam designent naturam. Ideo recte dicitur: Christus est Rex regum et dominus dominantium; etiam recte: Christus est subjectus Deo, est servus Dei. Attamen quoad hæc ultima asserta convenit apponere determinationem *secundum humanam naturam,* ne ansa præbeatur hæresi Arii qui poneḃat Filium, etiam in ratione Verbi Dei, esse minorem Patre, negando Filium esse verum Deum. Ideo dicimus: Christus secundum humanam naturam est subjectus Deo.

Secunda pars majoris declaratur. Si Christus secundum humanam naturam est subjectus Deo, est subjectus et Patri et sibi ipsi in quantum unà cum Patre et Spiritu Sancto convenit in natura divina. Quum enim jus sit proprium naturæ, necesse est ut unius naturæ divinæ sit unum et idem jus, unum et idem dominium et quum sit una et eadem divina natura in tribus distinctis personis, ideo unaquæque divina persona idem dominium habet: ergo Christus secundum humanam naturam eodem modo subjectus est unicuique personæ, consequenter et sibi ipsi.

Nota. 1/ Propositio quam demonstravimus ex ratione theologica, confirmatur ex S. Scr. Nam in Is. XLII, 1, de Christo legitur: « Ecce servus meus ».

Præterea in I Cor. XV, 28, dicitur: « Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia. » Cfr. interpretationem Estii apud Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 36.

2/ « Quia nos non habemus exemplum unius personæ in duplici natura subsistentis, et non facili negotio circumloquimur relationem ejusdem ad seipsum secundum aliam et aliam naturam, ideo relationes et officia quæ homini Christo competunt respectu divinitatis in quibuslibet suppositis suis, solemus transferre ad solam personam Patris, sicut ipse nos Christus in Evangelio docuit. (1) Hac enim ratione vitatur periculum insinuandi distinctionem personæ Christi a persona Verbi, et simul perspicuitati sermonis consulitur, ac demum adhibetur modus loquendi fundatus in natura rerum, cum enim Pater sit principium in divinis, recte ea quæ divinitatis sunt, solent ei appropriari » Billot, *De Verbo Incarnato*, p. I, c. 3, § 2.

J. V. D. M.

---

(1) Ita v. gr. ait Christus: *Pater major me est* Jo. XIV, 28; vere dicere potuisset: ego secundum naturam divinam major sum me ipso secundum humanam naturam.

III

Q. *Expone quonam nexu ad invicem detineantur contractus matrimonialis inter christianos et sacramentum Matrimonii.*

R. 1°/ Contractus matrimonialis inter christianos a sacramento Matrimonii *realiter non distinguitur* sed ratione tantum. Unde

2°/ Contractus a sacramento *dissociari nequit*, ita ut inter baptizatos non possit haberi contractus legitimus quin eo ipso sit sacramentum.

Duas assertiones distinctas ponimus ob diversos errores et opiniones diversis modis illis oppositas.

Exponitur: A/ *Priori* nimirum *assertioni* duplex potissimum opponitur sententia:

a/ Error J. Nep. Nuytz, qui, vestigiis inhærens regalistarum, signanter Launoii, docebat *adæquatam* distinctionem contractum inter et sacramentum, contendens « Matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium,... ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse ».

b/ Opinio quam subjectis argumentis tuetur Estius, in IV Sent., dist. XXVI, § 10 et seq., post Melch. Canum (1), l. VIII, *De Locis theologicis*, cap. V, quatenus sacramentum Matrimonii constitueretur contractu tanquam materia, et benedictione sacerdotis tanquam forma, adeo ut *inadæquata* intercederet distinctio inter contractum et sacramentum, quasi inter partem et totum. Quam opinionem copiosissime confutatam videsis

(1) In hac sententia Canum præierunt AA. non pauci, a Bened. XIV allati, in opere *De synodo diæces.*, l. VIII, cap. XIII, n. 2, necnon plures sunt secuti quos citat laudatus Pontifex, l. c., n. 3. Imo ipsam sententiam dicit idem Pontifex « validissimis sustentari argumentis » (n. 2), et « tot Doctorum suffragiis communitam valde probabilem »; contrariam tamen opinionem fatetur communiorem esse (n. 4), eamque solam memorat in *Litteris apostol.* ad archiepisc. Goanum, 19 Martii 1758 (Collectanea de P. F., n. 1391).

apud Bellarminum, *De controversiis Christ. fidei*, l. unico *de Matrimonio*, cap. VI-VIII.

Alteri assertioni contradicit sententia propugnata a Salmant., Tract. IX *De Matrimonio*, cap. III, n. 73 et seq., necnon a Billuart, Dist. I, art. V, sub 5°. Censent nimirum sacramentum Matrimonii contractu constitui sed negant contractum inter christianos esse essentialiter et necessario sacramentum. Ita apud Salm., l. c., n. 78: « Respondeo igitur dicendum rationem Matrimonii adhuc inter fideles separabilem esse a ratione sacramenti: et ideo si aliquis intenderet contractum civilem celebrare matrimonii, et ex prava voluntate, simplicitate aut errore nollet recipere illud ut sacramentum est, tunc validum esset matrimonium in ratione contractus... non autem in ratione sacramenti » (1).

Primus error Nuytzii damnatur in Syllabo, n. 66 (Denzinger, n. 1615); sententia vero Salmant. et Billuart et a fortiori doctrina a Melchiore Cano et Estio proposita reprobatur in eodem Syllabo, n. 73, ubi legitur damnata propositio: « Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur ».

Cæterum utriusque asserti veritas adeoque et opinionum contradicentium falsitas eruitur vel ex hoc solo principio a Salmant. et Billuart admisso, quod *ipsum matrimonium a Christo fuerit in sacramentum elevatum.*

---

(1) Cf. Billuart, l. c., « Christus elevando contractum matrimonialem ad esse sacramentale non minuit vim contractus sed virtutem tantum supernaturalem superaddidit, sicut elevando ablutionem corporalem in Baptismo ad rationem sacramenti, non abstulit illi vim abluendi, sed virtutem tantum supernaturalem abluendi spiritualiter seu sanctificandi contulit, et sic de aliis sacramentis: sicut ergo qui ablueret sine intentione conferendi sacramentum vere et efficaciter ablueret corpus et non conficeret sacramentum, ita qui contractum matrimonii iniret sine intentione sacramenti, vere et valide contraheret et non faceret sacramentum, quia ad validitatem sacramenti requiritur intentio ».

Revera eo ipso evanescit inter matrimonium et sacramentum omnis distinctio realis, et insuper, quod negant allati AA., matrimonium, ubicumque inter christianos initi contingat, vi dictæ dispositionis dominicæ, existit sacramentum; nec prius exstat matrimonium quam sacramentum.

Quam alteram consequentiam diserte docent SS. PP. Ita Pius IX, in allocutione 27 Sept. 1852 super negotiis ecclesiasticis Reipublicæ Neogranatensis: « Cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit, Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicæ Legis sacramentis; ac *propterea* inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque *idcirco* quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, præter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum; ac proinde a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse..... ». Item Leo XIII in Encycl. *Arcanum*, exploratum esse dicit « in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere quin sit eo ipso sacramentum. *Nam* Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium ».

Porro frustra provocant AA. supra citati ad sacramentum Baptismatis, quatenus, sicut potest esse ablutio quin sit sacramentum, deficiente nempe intentione ministri conferendi quid sacrum, ita possit esse contractus matrimonialis inter fideles citra sacramenti rationem, penes illos nempe qui intendunt contractum non autem sacramentum.

Negatur enim paritas: nimirum ultro concedimus, sicuti in Baptismo ita et in Matrimonii sacramento, requiri intentionem agendi quid sacrum, penes contrahentes scilicet qui simul sunt ministri: at statim ac inter baptizatos intenditur contractus simul necesari, inten-

ditur, implicita intentione, ratio sacramenti, utpote quæ contractui essentialiter adhæret ratione elevationis ipsius contractus in sacramentum. Contrà optime potest quis intendere ablutionem quin intendat sacramentum Baptismatis; et ratio est quia ipsa ablutio non est in sacramentum adaucta: fuit tantùm, cum invocatione SS. Trinitatis, a Christo assignata tanquam materia et forma sacramenti, ac proinde non omnis ablutio est sacramentum sed illa tantum circa quam verificatur id quod postulatur pro omni materia et forma sacramentali, quæ nempe distincta intentione adhibetur ministerialiter.

Corollarium. Nupturientes igitur baptizati, qui intentionem habent contractum inire matrimonialem, sacramentum suscipiunt, et si prædominante voluntate excluderent a contractu rationem sacramenti, « nequidem contractum efficerent, cum illum non vellent nisi sub conditione impossibili », nempe separandi contractum a sacramento. Cf. Theol. Mechl., *De Matrimonio,* n. 27, qu. 2.

A. D. S.

IV.

Q. *Da definitionem sacramenti Matrimonii, ejusque materiam proximam et formam determina.*

R. I. *Definitio.*

Attento principio sub responso ad III^m^ quæst. statuto, quatenus nempe sacramentum Matrimonii sit ipse contractus ad rationem sacramenti elevatus, attenta simul constitutione sacramenti juxta exposita apud *Collat. Brug.*, tom. III, p. 517 et seq., apte definiri potest sacramentum Matrimonii: Contractus conjugalis seu viri et mulieris consensus mutuus in mutuum dominium coporum in ordine ad usum conjugalem, vinculum

inducens matrimoniale (1) exigitivum gratiæ, in hoc peculiariter ordinatæ ut inducti vinculi munera rite et sancte obeantur.

Hac nimirum ratione ipse assumitur contractus maritalis eique simpliciter superadditur dignitas sacramentalis, quatenus vinculum matrimoniale, quod ab omni conjugali contractu etiam inter infideles inducitur, inter christianos titulus evadat et dispositio prævia ad infusionem gratiæ sacramentalis.

Ipsum signum externum seu *sacramentum tantùm* est contractus seu consensus, intelligendo externam consensus expressionem; *res* autem *et sacramentum* est ipsum vinculum conjugale, quod per consensum proxime et immediate significatur et efficitur (2), et simul titulus extat postulans infusionem gratiæ ejusque specialis; *res* tandem sacramenti est præcise hæc gratia specialis, gratia nempe sanctificans, per se secunda, quæ, qua specialis est, ordinem dicit infallibilem ad gratias uberiores ad hoc ut conjuges sancte educent proles, pacifice communem agant vitam et reliquis officiis status matrimonialis debitè fungantur.

II. Quænam sit *materia proxima* et *forma* sacramenti, corollarii ad instar deducitur ex data definitione ac ulterius ex elevatione ipsius contractus ad dignitatem sacramenti, uti perspicue docet Billuart, *in Summam S^ti Thomæ*, ad Suppl., Dissert. I, art. 7°: « Dico 2°: materia proxima et ex qua sacramenti Matrimonii sunt verba contrahentium, prout exprimunt *traditionem* mutuam corporum; forma, eadem verba prout exprimunt *acceptationem* traditionis; eadem enim verba scilicet:

---

(1) Vinculum matrimoniale intelligitur nexus ille moralis, vi cujus conjuges ad invicem obligantur ad mutuò præstandum usum corporis in ordine ad prolis generationem et adstringuntur ad necessariò connexam individuam vitæ consuetudinem.

(2) Cf. S. Thom., Suppl., qu. XLII, art. 3^in, ad 2^m: « Sicut aqua Baptismi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem, ita actus exteriores et verba exprimentia consensum *directe* faciunt nexum quemdam... et hujusmodi nexus ex virtute divinæ institutionis *dispositive* operatur ad gratiam ».

accipio te in meam, et accipio te in meum, sic significant acceptationem ab una parte, ut etiam significent traditionem proprii corporis seu ejus dominii; sine enim hac mutua traditione et acceptatione, non subsisteret Matrimonium, et ideo eadem verba secundum diversas considerationes sunt materia et forma.

Prob. Sacramentum Matrimonii nihil est aliud quam contractus civilis elevatus ad esse sacramenti, nulla mutatione facta circa materiam et formam; ergo ea est materia et forma sacramenti quæ contractus. Subsumo: Atqui in contractibus civilibus, consequenter in matrimoniali, traditio rei seu consensus in traditionem exterius expressus est materia, acceptatio seu consensus in acceptationem exterius expressus est forma. Ergo. Prob. subsumptum: Illud habet rationem materiæ quod est *determinabile*, habet autem rationem formæ quod est *determinativum*... Atqui in omni contractu civili traditio est determinabilis, completurque in ratione perfecti contractus per acceptationem quæ se habet ut determinativum. Ergo ».

Cui sententiæ non obest Conc. Florent. (Denzinger, *Enchiridion*, n. 597) docens consensum mutuum esse *causam efficientem* matrimonii; nomine enim matrimonii hic venit, sicut non raro fit apud Auctores (cfr. S. Thom., Suppl., qu. XLIV), ipsum vinculum manens, quod utique fatemur et contendimus significari et efficienter causari per consensum mutuum, qui est sacramentum stricto sensu acceptum.

De hisce cfr., præ cæteris, S. Thom., *in IV Sent.*, Dist. XXIV, qu. 2, art. 1; Sanchez, *De Matrimonio*, L. II, Disp. V, n. 6-7; Salmant., Tract. IX, *De Matrimonio*, cap. III, Dub. II; Suarez, *De Sacram. in genere*, disp. II, sect. 1; Bellarminus, *De Controv. Christ. fidei*, l. un. *De Matrimonio*, cap. VI; Bened. XIV, *litt. Apost. ad archiep. Goanum*, apud *Collect.* de Prop. Fide, n. 1391; Palmieri *De Matr. christiano*, Thesi X, sub VII.

A. D. S.

V

Q. *An et quomodo parochus assistere potest matrimonio publici peccatoris, baptizati et nulli falsæ religioni aut sectæ hæreticæ adscripti?*

R. Parochus *non potest assistere* hujusmodi matrimonio, nisi *proportionata causa* assistentia legitimetur.

Explicatur. I/. Quod *per se non liceat* hanc præstare assistentiam sequitur

1°/ ex eo quod assistendo parochus *cooperaretur* sacrilegæ receptioni sacramenti Matrimonii, quod est sacramentum vivorum adeoque sacrilege suscipitur a conscio peccati mortalis (1). Quamvis enim non agat ministrum sacramenti, tamen præsentia sua auctoritatem præstat et firmitatem contractui, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri, adeoque vere et positive cooperatur nupturientium peccato, cooperatione, quam vocant, late dicta; jamvero cooperatio alterius peccato est actio male sonans, quæ nempe absolute spectata inordinationem quamdam importat sed adveniente ratione cohonestari potest (2).

Quodsi a prava voluntate contrahentium dependet malum et penes ipsos est pravos effectus quibus cooperatur parochus vitare, hoc reddit cooperationem magis remotam eamque facilius excusabit, absolute tamen non

---

(1) Abstrahimus a quæstione utrum ineuntes matrimonium in peccato constituti duplex committant peccatum, unum qua suscipientes sacramentum alterum qua ministri; cæterum etiamsi dicas speciale peccatum accedere ratione indignæ ministrationis, plerumque erit mere materiale, cum nupturiontes passim inconscii sint sui muneris ministerialis.

(2) Ipsa sane assistentia non est in se mala, et supponimus parochum non intendere peccatum contrahentis seu cooperationem esse materialem, quippe quæ sola legitimari potest; ideo nescimus quo tendat argumentum adductum a Ball.-Palm., *Opus morale*, IV, p. 502, quo rationem nostram evertere conatur, nobis opponendo, post Lugonem, *De Sacram. in genere*, Disp. VIII, n. 219, cooperationem parochi *non esse formalem*.

legitimat (1). De hisce cfr. Ill. ac Rever^mum^ Waffelaert. *Etude sur la Coopération*, p. 1-13.

Nec juvat arguere ex obligatione, quæ incumbat parocho, assistendi matrimonio, quatenus, uti docet De Lugo, l. c., « non potest negare suam assistentiam quam debet ut minister publicus » ; qua ratione « sicut uxor non peccat reddendo debitum conjugale viro petenti contra votum castitatis quod habet, sic nec parochus peccat assistendo, quia reddit quod ex munere suo debet ».

Nimirum parochus nullum habet officium ut intersit tali matrimonio : « sponsi nempe in tantum habent jus ad assistentiam parochi, in quantum hic tenetur ex officio incumbere eorum bono spirituali; unde cum in hoc parochi assistentia non conferret ad bonum sed ad ipsorum ruinam, idcirco neque sponsi jus habent neque parochus tenetur assistere ». S. Alph., l. VI, n. 54. Proinde ex hoc titulo non excusatur a cooperatione ad malum; contrà excusatur uxor in reddendo debito comparti voto castitatis adstrictæ, cum hæc compars petendo illicite quidem agat, at jure suo utatur erga conjugem quæ ex justitia ad reddendum tenetur.

2°/ Etiamsi non cooperaretur sacrilegio nupturientium, adhuc teneretur parochus, seposita causa proportionata, denegare assistentiam suam, ex eo quod « tenetur ex justitia,... incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas avertendo a peccatis ». S. Alph., l. c.

Cæteroquin hæc sententia conformis habetur cum decretis Romanis. Ita in decr. C. S. O. 30 Januarii 1867 (apud *Collat. Brug.*, III, p. 350 ad III), quæstio de

(1) Unde liquet ad rem non esse quæ in suffragium contrariæ sententiæ adducuntur ab eodem Ball.-Palm., l. c ; « neque quis dicitur cooperari malo alterius, quando actio per se est bona et rite fit, ac solum ex prava conscientia cujuspiam est ipsi peccaminosa » ; quasi nulla jam esset cooperatio possibilis in ministro ministrante quodvis sacramentum indignis : sacramenti enim susceptio est in se optima et nonnisi ex prava conscientia recipientis huic fit peccaminosa.

modo agendi parochi, matrimonium postulante viro qui officia christiana adimplere abnuit, solvenda remittitur ad probatos Auctores et signanter ad Bened. XIV, *De syn. diæc.*, l. VIII, cap. XIV, n. 5, ubi docetur doctrina exposita; clarius adhuc in decr. 17 Apr. 1820, citato in *Theol. Mechl.*, n. 32.

II/ Quod parochus licite assistat *proportionata de causa*, et remoto scandalo, jam constat ex modò dictis, ex quibus apparet hanc assistentiam non esse intrinsece malam sed actionem male sonantem dumtaxat, cui adhæret utique inordinatio quædam sed inordinatio *abstergibilis:* est quasi causa cum duplici effectu æque immediato, quam causam ponere non prohibetur modò bonus effectus malum compenset nec malus effectus intendatur. Supponitur autem parochum frustra conatum esse matrimonium impedire, in quod totis viribus incumbere semper tenetur.

Inter causas proportionatas enumerat *Theol. Mechl.*, n. 32, « si bonum tertii, v. gr. prolis natæ, bonum publicum, familiæ, bonum ipsorum contrahentium, peccata impedienda aut scandala vitanda requirant ut duo matrimonio jungantur. Sæpe sufficiens ratio assistendi matrimonio indigni, est proles nata vel nascitura legitimanda, scandalum illicitæ cohabitationis seu matrimonii mere civilis præveniendum aut tollendum; item periculum partis bene dispositæ: quoties enim pars digna sine gravi incommodo a matrimonio cum indigno abstinere nequit, ipsi sane licet contrahere et parochus in ejus favorem assistere potest.

Porro notetur a/ diversam requiri causam pro diversis casibus occurentibus, ratione scilicet habita majoris vel minoris indignitatis aliarumve circumstantiarum; b/ non esse procedendum in hujusmodi adjunctis nisi prævie consulto Episcopo, si res moram patiatur.

Et hæc quidem spectant publicos peccatores *communes* inter quos numerantur qui rudimenta fidei culpabiliter ignorant, necnon illi qui fidem non abjecerunt

sed eam profiteri officiaque christiana adimplere renuunt; dantur autem quædam peculiariter attendenda pro quibusdam *peccatoribus specialis generis;* sepositis, juxta tenorem quæstionis propositæ, non baptizatis et etiam baptizatis alicui falsæ religioni vel sectæ hæreticæ adscriptis.

Ita 1°/ Matrimonio notorie *excommunicati vitandi* (qualis esset nominatim excommunicatus et uti talis publice denuntiatus vel notorius clericorum percussor), nunquam assistere posset nisi *gravissima et vix non extrema* necessitate urgente, propter vetitam communicationem in divinis.

2°/ Quod spectat publice excommunicatum *toleratum,* vel sectæ condemnatæ *franco-muratorum* aut simili notorie addictum (1), utrum, quomodo et quibusnam sub cautelis sit permittenda assistentia hujusmodi viri matrimonio, casu quo gravia mala ex denegatione orirentur, prudenter dijudicandum relinquitur Ordinario, ad quem est recurrendum, et qui, habita circumstantiarum ratione, pro casibus particularibus ea decernat quæ magis expedire judicaverit. Cfr. resp. S. Pœnit., 10 Dec. 1860; decretum C. S. O., 21 Aug. 1861; decr. C. S. O., 21 Febr. 1883 (apud *Collect. de Prop. Fide,* nn. 1528, 1529 et 1534); et decr. 28 Junii 1865, reassumptum in decretis C. S. O., 23 Aprilis 1873 (*Collect.,* n. 1532), et 30 Januarii 1867, ad II^{m}, quod alterum decretum refertur in decr. C. S. O. 25 Mai 1897 (*Collat. Brug.,* III, p. 350).

In responso 1860 et decreto 1883 *omittenda* dicitur *celebratio Missæ* (adeoque et benedictio *solemnis*, quæ

---

(1) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Jus. Canon.* (Ed. 6^{a}), 1457 et notatim n. 1319^{2}, ubi docetur « *socialismum* sub censu societatum generis massonici reponendum esse », utpote societatem « quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinatur »; etsi tamen non omnes qui cuicumque socialistico cætui nomen dant, subsint censuræ per Const. *Apost. Sedis* latæ, et multi habeantur qui ratione ignorantiæ finis socialismi a dicta excommunicatione excusentur.

infra missam impertitur), nisi saltem, uti additur in decr. 1883, gravia adjuncta id aliter exigant. Juxta decretum 1865, uti citatur in decr. 1873, excludendus est *omnis ecclesiasticus ritus* (1); uti vero refertur in decreto 1897, hanc restrictionem non habet et integrum negotium committitur prudenti judicio Episcopi, saltem « donec, uti habet decr. 1883, Apostolica Sedes generale decretum in hac re non ediderit » (2).

3io/ « Quodsi agatur de matrimoni inter unam partem catholicam et alteram (baptizatam) *quæ fidem abjecit* (quales sunt plerique increduli moderni et liberi cogitatores, qui petunt matrimonium coram Ecclesiæ facie unice ut desiderio sponsæ satisfaciant), at nulli falsæ religioni aut hæreticæ sectæ sese adscripsit, quando parochus nullo modo potest hujusmodi matrimonium impedire, in quod totis viribus incumbere tenetur, et prudenter timet ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, *rem deferendam esse ad R. P. D. Episcopum*, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur, (3), inspectis omnibus casus adjunctis, permittere poterit ut parochus matri-

---

(1) Cfr. etiam *Instructionem C. S. O.*, 5 Julii 1878, ad Ordinarios Imperii Brasil.: « Nullo modo tolerari potest... ut matrimonia, quæ a massonibus contrahuntur, cum omni solemnitate ritus catholici celebrentur.., Quando vero parochus nullo modo potest hujusmodi matrimonium impedire, et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, res deferenda est ad Ordinarium, qui, sicut ei opportuna nunc facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adjunctis permittere poterit, ut parochus matrimonio *passive* intersit, id est *absque benedictione alioque ritu ecclesiastico,* tanquam testis authorizabilis, dummodò cautum omnino sit catholicæ educationi universæ prolis, aliisque similibus conditionibus » apud *Collect.*, n. 1863.

(2) In diœcesi Brugensi nunquam permittitur celebranda missa et cautelæ semper exiguntur signanter circa educationem prolis et periculum perversionis pro parte catholica.

(3) Ad quæstionem reformatam: « An verba decreti C. S. O. fer. IV, die 30 Jan. 1867 ad I: « rem deferendam esse ad R. P. D. Episcopum, qui sicut ei nunc opportuna facultas tribuitur », extendi possint ad omnes Episcopos » responsum est anno 1899: affirmative, facto verbo cum Sanctissimo ». *Anal. eccl.*, VII, p. 144.

monio *passive* intersit tanquam testis authorizabilis dummodò cautum sit omnino catholicæ educationi prolis aliisque similibus conditionibus ». Ex decr. C. S. O. 30 Jan. 1867, ad I, relato in decr. 1897, l. c.

Passive assistere est « materiali præsentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes ageret (parochus) meri testis, ut aiunt, qualificati seu authorizabilis, ita ut, audito utriusque conjugis consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat ». Ex *Litt. Apost.* Gregorii XVI 30 Apr. 1841 (Collect. n. 1428). Unde prohibetur usus cujuscumque vestis sacræ ita ut assistat parochus, juxta vulgatum dictum, in nigris; omittendæ sunt cæremoniæ Rit. Rom. scil. verba: *ego vos conjungo...*, benedictio annuli, orationes et a fortiori Missa cum benedictione solemni: « huic autem mere passivæ assistentiæ non repugnat ut parochus partes interroget de consensu eumque recipiat » Putzer, *Comment. in Const. Apost.*, n. 219.

Conditiones quibus cautum sit oportet sunt, præter catholicam educationem *universæ* prolis, ut pars a fide apostata promittat parti catholicæ liberum fore religionis exercitium et ut pars catholica totis viribus curet compartis conversionem.

A. D. S.

VI

Q. *Indica ordinem cæremoniarum, inde a regressu ad altare post distributionem S. Communionis extra missam usque ad finem functionis.*

R. Rituale Tit. IV, Cap. II, *Ordo administrandi Sacram Communionem*, nº 6 ita disponit: « Ubi vero omnes communicaverint Sacerdos reversus ad altare dicere poterit: *O sacrum convivium...*, *Panem de cœlo...* Minister respondet *Omne delectamentum...* Tempore paschali additur: *Alleluia.* »

« Omnibus communicatis (ita Ill. Vanderstappen *de administ. Sacr.* tit. IV, sect. III, cap. 3) revertitur sacerdos ad altare per gradus anteriores, sinistra tenet pyxidem ante pectus: dexteram ponit ad oram pyxidis ita ut pollex et index uniti sint supra cuppam, reliqui autem digiti teneantur extra cuppam. Ad altare reversus reponit sacramentum super corporale, et manibus super altare intra limites corporalis positis, genuflectit et statim assurgit. » — Antiphona *O Sacrum* cum reliquis dicitur non in via, dum regreditur sacerdos ad altare, sed postquam ad altare reversus fuerit: « Reversus ad altare dicere poterit » ait Rituale. Hæc autem dictio *dicere poterit* insinuat istius antiphonæ recitationem non esse de præcepto sed de consilio tantùm. (Cfr. Baruffaldus, tit. 24, n. 68). Tempore paschali additur *Alleluia* quæ additio facienda est tum antiphonæ, tum versiculo sequenti *Panem* et responsorio *Omne* juxta decretum 2 Junii 1883 *in Cuneen.* ad XI, et fieri etiam debet per totam octavam SS. Corporis Christi juxta doctrinam auctorum. (Baruffald. l. c., 69; Gardellini *Instr. Clem.* § XXXI, 2; Zualdi *Cæremoniale missæ privatæ* p. III, cap. III, 3.; Erker *Enchiridion liturgicum* sect. IV, tr. III, cap. 3; S. Alph. *de Cærem. missæ* cap. 12). Quum tamen tempore paschali (et infra octavam Corporis Christi) administrandum est SS. Eucharistiæ sacramentum, ante vel post missam de Requie in paramentis nigris, omittendum est *Alleluia* juxta decretum S. C. R. 26 Nov. 1878 *in Senen.*

Pergit Rituale: « Mox sacerdos dicit ℣ *Domine exaudi...* ℟ *Et clamor...* ℣ *Dominus...* ℟ *Et cum... Oremus. Deus qui nobis... per omnia sæcula sæculorum.* ℟ *Amen.* Tempore Paschali dicitur Oratio: *Spiritum nobis... Per Christum Dominum nostrum.* ℟ *Amen.* »

Circa hanc rubricam notanda sunt sequentia: a/ « Versiculi et oratio sunt de præcepto » juxta declarationem S. Congr. Rit. decreto 30 Aug. 1892 *in Strigonien.* Dubitari posset utrum nomine versiculorum, qui de

præcepto sunt recitandi, comprehendatur etiam ℣ *Panem de cœlo.* Quod de solo consilio sit hic versiculus, aliqua ratione erui posset ex hoc quod in Rituali to *dicere poterit* non minus videtur cadere in hunc versiculum quam in Antiphonam *O Sacrum.* Unde utrumque dicendum esset de consilio. Sed huic interpretationi (ut animadvertit Cavalieri, tomo IV, dec. 66, n. 29) obstat idem Rituale quod, *de communione infirmorum* nº 21, omissa Antiphona *O Sacrum*, de præfato versu *Panem* subdit: « deinde dicit », quod præceptum importat non consilium. Non leve igitur inde fit argumentum quod to *dicere poterit* super antiphonam tantum appellet non super sequentem versum *Panem* etc. Insuper decretum citatum 30 Aug. 1892 in genere declarat *versiculos* esse de præcepto, unde concludere licet etiam versum de quo quæritur obligatorium esse.

b/ Præmittitur orationi ℣ *Dominus vobiscum*, quamvis auctores plures olim censuerint esse omittendum.

c/ Oratio *Deus qui nobis* conclusionem habet longiorem: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre* etc., dum contra Oratio dicenda tempore paschali *Spiritum nobis* conclusionem habet breviorem: *Per Christum* etc.

d/ Hæc oratio *Spiritum* dicenda est toto tempore paschali et, ut notat Martinucci (lib. I, cap. 24) non iis tantum diebus quibus Corpus Domini præbetur fidelibus ut adimpleant præceptum paschale; dicenda est etiam si communio administratur ante vel post missam *de Requie* juxta decr. citatum 26 Nov. 1878.

c/ Versiculi et Oratio sicuti etiam Antiphona recitanda sunt mediocri seu intelligibili voce ut audiri possint a Ministro, qui præcipiente Rituali respondere debet.

« Antequam reponat sacramentum, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in pyxidem deponat et eosdem digitos, quibus tetigit sacramentum, abluat et abstergat purificatorio... Postea genuflectens reponit Sacramentum in tabernaculo et clave obserat. » Ita Rituale nº 8.

Post reditum ergo ad altare, genuflexione facta, sacerdos pollicem et indicem dexteræ diligenter supra pyxidem excutit et extergit, hanc sine nova genuflexione cooperit, pollicem et indicem dexteræ non disjungens; dein « antequam reponat sacramentum » in tabernaculo, digitos eosdem in vasculo præparato purificat et purificatorio abstergit. Hæc omnia fiunt dum *interim* sacerdos recitat antiphonam *O Sacrum* vel saltem, juxta dicta, versus et Orationem, prout præscribit recens decretum *in Parisien.* 14 Januarii 1898 ad III: « Rituale Romanum... hæc habet; *Sacerdos reversus ad altare dicere poterit: O Sacrum convivium* etc... Quæritur: utrum istæ preces convenienter dicantur, junctis manibus antequam cooperiatur pyxis et digiti abluantur? S. Congregatio rescribendum censuit: Negative et preces dicendæ sunt infra ablutionem et abstersionem digitorum. » — Circa finem Orationis SS. Sacramenti, sacerdos, sinistra super altare posita, tabernaculum dextera aperit, in eo pyxidem deponit, genuflectit, tabernaculum claudit et clave obserat. Post distributionem ergo sacræ Communionis *duæ tantum* genuflexiones sunt faciendæ, prout ordinatur eodem decreto 14 Januarii 1898: « Utrum sacerdos duas genuflexiones facere debeat, unam statim ac deposuit pyxidem super altari et antequam eam cooperiat: alteram priusquam, reposita in tabernaculo pyxide, ipsius tabernaculi ostiolum claudat »? Resp. « Affirmative juxta decretum *in Romana* d.d. 23 Decembris 1862 (1) et praxim Basilicarum Urbis ».

« Deinde extenta manu dextera, benedicit iis qui communicarunt, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris* ✝, *et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos, et maneat semper.* ℟ *Amen* ». (Rit. n° 9).

---

(1) Hoc decreto S. Congregatio statuerat: « A sacerdote redeunte ad altare post fidelium communionem, genuflectendum antequam cooperiat sacram pyxidem; et iterum genuflectendum antequam, pyxide in tabernaculo reposita, ipsius tabernaculi ostiolum claudat ».

Hæc benedictio, quando sacra communio distribuitur in paramentis nigris immediate ante vel post missam de Requie, omittitur, juxta decretum generale S. C. R. 23 Julii 1868 et aliud recens *in Strigonien.* 30 Augusti 1892 quo statuitur: « Benedictio (quando citra missam administratur S. Communio) semper danda est, unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post missam defunctorum, sub formula *Benedictio Dei* etc. »

Quoad autem modum dandi hanc benedictionem non concordant auctores, quorum aliqui sequentem indicant: « Sacerdos manibus junctis ante pectus vertit se ad populum, mox sinistra posita infra pectus, dexteram elevat linea recta dicens clara voce: *Benedictio Dei omnipotentis* et prosequens: *Patris et Filii* † *et Spiritus Sancti* signum crucis format, dein manus iterum jungit ante pectus dicens: *descendat super vos et maneat semper.* Quibus dictis ad altare se vertit eadem via, qua se ad populum converterat ». Ita Erker l. c. cap. 4, 220; idem docent Martinucci l. c., n. 13; Zualdi l. c., 6. Alii alium commendant modum magis conformem benedictioni quæ datur in fine missæ, cum elevatione oculorum et manuum absque tamen osculo altaris (1), scilicet. « Sacerdos dicit hæc verba *Benedictio Dei omnipotentis* facie ad altare versa oculos elevando, manus extendendo, easque elevando usque ad humeros, tum oculis dimissis manibusque junctis caput inclinando, uti fit in fine missæ; deinde conversus ad populum dicit *Patris et Filii et Spiritus Sancti*, eumdem signando, sinistra posita infra pectus; manibusque junctis absolvit *descendat super vos et maneat semper.* » (De Herdt tom. I, n° 275, juxta Merati et Cavalieri; ita etiam S. Alph. l. c., 3; Baldeschi part. I, cap. 3, art. 2.). Favet huic praxi decretum S. Congregationis Rituum 12 Aug. 1854 *in Lucionen.* (quod tamen non occurrit in collectione authentica

(1) Osculum altaris prohibetur decr. *in Veronen.* 18 Martii 1833.

Gardelliniana): « Ad quæstionem enim: « An Sacerdos in fine administrationis communionis extra missam, proferens verba: *Benedictio Dei omnipotentis*, *Patris* etc. debeat extendere manus eodem ritu ac dum dicit in fine missæ: *Benedicat vos omnipotens Deus*, sicut docent Cavalieri tom. IV, cap. 4, decr. 13, n. 41 et alii, aliis contradicentibus, et Rituali hunc ritum non indicante? vel dicendo hæc verba tenere manus junctas et tantum inclinare caput? » S. Congr. respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». Item favet consuetudo existens in Diœcesi Brugensi, quæ consuetudo innititur *Pastorali Brugensi* quod hunc secundum modum exhibebat. Posterior ergo hic modus apud nos servandus.

Responso a ministro *Amen*, sacerdos se vertit ad altare, complicat corporale illudque in bursa reponit, descendit ab altari, genuflectit in plano, caput bireto operit et in sacristiam recedit. Si autem communio data est ante missam celebrandam, corporale relinquit extensum, desuper calicem ponit et prosequitur alia præstanda in celebratione missæ.

H. V. D. W.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. IV, pag. 497.)

ARTICULUS II.

De divina voluntate.

178. Post consideratam scientiam Dei, oportet jam de divina voluntate agere: voluntas enim intellectum consequitur, ita quidem ut ex eo ostendat S. Thomas esse in Deo voluntatem, quod est in eo intellectus. « Quælibet res, *ait* (1), ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem, ut, quando non habet ipsam, tendat in eam, et quando habet ipsam, quiescat in ea; et idem est de qualibet perfectione naturali, quod est bonum naturæ. Et hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis. Unde et natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem similem habitudinem habet, ut scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo; cum vero non habet, quærat ipsum; et utrumque pertinet ad voluntatem. Unde, in quolibet habente intellectum est voluntas, sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis. Et sic oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus. Et sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle. »

Est igitur in Deo voluntas, non in modum potentiæ activæ aut receptivæ actus aut modi realis, sed ut perfectio simpliciter, ut actus purus, perfectus; est nempe voluntas Dei ipsa divina substantia, seu secundum rem a divina essentia non differt, ex quo jam statim deducitur divinum velle esse æternum ac immutabile.

(1) 1ª, q. XIX, art. 1, in corp.

179. Cum divinum velle sit secundum rem divinum esse, et ratione tantum ab eo differat secundum modum intelligendi ac significandi, patet objectum divinæ voluntatis princeps et formale esse ipsam bonitatem divinam, reliqua vero extra Deum bona esse objectum secundarium et materiale tantum, quod non ratione sui sed ratione divinæ bonitatis et propter ipsam vult Deus.

Et inde, « sicut intellectus Dei est unus et simplex, quia multa non videt nisi in uno, ita velle Dei est unum et simplex, quia multa non vult nisi per unum, quod est bonitas sua (1). »

Quod itaque velit Deus alia extra se, non inde est quod non habeat bonum perfectum in se, ut accipiat quod non habet, sed inde quod superplenitudinem boni habet in se, ut diffundat bonum extra se, se volens ut finem, alia ut ad finem, in quantum condecet divinam bonitatem etiam alia ipsam participare (2).

Ex quibus deduces Deum seipsum velle naturaliter ut finem, quoniam necessariam habitudinem habet divina voluntas ad bonitatem suam, utpote ad proprium suum objectum ; alia vero a se Deum velle, in quantum ordinantur ad suam bonitatem ut in finem, cum autem divina bonitas esse possit sine illis, ex quibus nihil perfectionis ei accressit, eadem velle Deum non naturaliter, sed omnino libere. Quamquam, posito quod velit, non potest non velle, quia æterna est Dei voluntas nec potest mutari (3).

180. Ubi nota discrimen inter scientiam divinam, divinamque voluntatem relate ad creaturas. « Sicut divinum esse in se est necessarium, ita et divinum velle et divinum scire. Sed divinum scire habet necessariam habitudinem ad scita, non autem divinum velle ad

(1) Ead. q. XIX, art. II, ad 4.
(2) Lege hunc art. II.
(3) Lege S. Thomam, ead. q. XIX, art. III.

volita: quod ideo est, quia scientia habetur de rebus secundum quod sunt in sciente, voluntas autem comparatur ad res secundum quod sunt in seipsis. Quia igitur omnia alia habent necessarium esse secundum quod sunt in Deo, non autem secundum quod sunt in seipsis habent necessitatem absolutam, ita quod sint per seipsa necessaria, propter hoc Deus quæcumque scit ex necessitate scit; non autem quæcumque vult ex necessitate vult (1). »

Unde eadem ratio est de voluntate Dei respectu creaturarum et de scientia Dei consequente hanc voluntatem, nempe scientia visionis creaturæ, quæ scientia libera aliquando vocatur, non vero de scientia simplicis intelligentiæ et quæ causa est rerum. Eadem ratio est, uno verbo, de omni actu ad extra seu actu libero Dei, procedente suis modis et a divina scientia et a divina voluntate et a divina omnipotentia, de quo actu difficilis quæstio est quid tandem in se sit, et quomodo libertas et immutabilitas Dei conciliari intelligantur, de qua agemus postquam hanc tractationem de scientia, voluntate et omnipotentia Dei absolverimus.

In hac autem re, quam nunc versamus, de habitudine scientiæ divinæ et voluntatis divinæ ad creaturas, non modicum lumen ex revelata Trinitate mutuamur, ut ostendit Ferrariensis, in lib. IV, cap. 13. Ibi primum notat sequentia: « Nullum inconveniens est Spiritum sanctum spirari ut amorem Dei et amorem omnis rei amatæ a Deo..., quia videlicet illo actu quo Deus et se et omne amabile diligit, producitur Spiritus sanctus, secundum quod omnem creaturam in seipso amat, utpote tamquam in bono divino contentam, non tamen, sicut seipsum necessario absolute amat, ita et necessario omnem amat creaturam; sicut eodem actu quis fertur in finem et in id quod vult propter finem, non tamen eadem necessitate fertur in utrumque, quando

(1) Eod. art. III, ad 6m.

finis sine illo, quod quis vult propter finem, potest haberi. » Deinde addit: « Non est eadem ratio de amore et de verbo, quia intellectio divina est ex eo quod res est in divino intellectu secundum suam similitudinem, in quantum divinum esse est similitudo naturalis omnium quidditatum; ex hoc enim sequitur quod Deus naturaliter omnem quidditatem creatam intelligat, loquendo de simplicis intelligentiæ notitia, et consequenter quod Verbum ab ipso naturaliter procedens sit a notitia non solum Dei sed etiam creaturarum, quantum ad earum quidditates: velle autem est per hoc quod voluntas in volitum inclinatur, et ideo cum voluntas non feratur naturaliter sed libere in esse creaturarum, secundum quod in seipsis sunt, non habet amor divinus a Deo naturaliter procedens, in quantum hujusmodi, quod sit amor creaturarum sed tantum amor Dei, licet secundum rem eodem amore feratur Deus in seipsum et in creaturam. »

Ex quibus, collato textu Augustini supra n. 170 relato, jam perfecte intelliges quod pluries jam inculcavimus (1), natura prius esse Verbum gigni, sed et Spiritum sanctum procedere, quam res finitas a Deo intelligi, per prius enim dicitur Verbo tota Trinitas, quam creatura. Et rursum ex modo dictis, collata doctrina de divina beatitudine supra n. 161, non minus clare perspicies, quasi a fortiori natura prius esse Verbum et Spiritum sanctum procedere, quam creaturas a Deo amari, multoque magis a Deo esse volitas et produci, atque ut futuras seu aliquando existentes a Deo cognosci seu videri.

Notemus præterea ex hic traditis et eadem doctrina de beatitudine divina quæ ad libertatem simulque immutabilitatem Dei in operatione ad extra explicandas utilissima erunt.

181. Nunc pergamus divinam voluntatem explicare.

---

(1) Vid. supra, n. 177, 162.

Voluntas Dei est rerum causa, nulla vero causa est divinæ voluntatis, quod similiter de scientia Dei ostendimus, modumque causalitatis hujus declaravimus. Nunc igitur causalitas voluntatis divinæ modusque proprius hujus causalitatis breviter proponenda sunt, sicut postea de causalitate divinæ omnipotentiæ faciendum erit. Quod ut facilius præstemus, a nostra causalitate causandique modo nobis melius notis ad divina ascendamus. Nam : « unius et ejusdem effectus etiam in nobis est causa scientia ut dirigens, qua concipitur forma operis, et voluntas ut imperans : quia forma, ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc quod sit vel non sit in effectu, nisi per voluntatem. Unde intellectus speculativus nihil dicit de operando. Sed potentia est causa ut exsequens, quia nominat immediatum principium operationis. Sed hæc omnia in Deo unum sunt (1). » Et revera Deus per essentiam agit nec differt actio divina secundum rem ab essentia ejus, sed ex hoc ipso sequitur quod agat per modum intellectus et voluntatis, cum essentia Dei sit ejus intelligere et velle (2). Quomodo autem voluntas Dei est causa rerum, præclare demonstrat S. Thomas, ubi ostendit Deum ad extra agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ. « Quod quidem apparere potest tripliciter. Primo quidem ex ipso ordine causarum agentium. Cum enim propter finem agat intellectus et natura [agens intellectualiter et agens naturaliter], necesse est ut agenti per naturam prædeterminetur finis et media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu. Sicut sagittæ prædeterminatur finis et certus modus a sagittante. Unde necesse est quod agens per intellectum et voluntatem sit prius agente per naturam. Unde, cum primum in ordine agentium sit Deus, necesse est quod per intellectum et voluntatem agat. Secundo, ex ratione

(1) 1, q. XIX, art. 4, ad 4m.
(2) Cf. ibid., ad 2m.

naturalis agentis, ad quod pertinet ut unum effectum producat, quia natura uno et eodem modo operatur, nisi impediatur. Et hoc ideo, quia secundum quod est tale, agit ; unde quamdiu est tale, non facit nisi tale. Omne enim agens per naturam habet esse determinatum. Cum igitur esse divinum non sit determinatum [limitatum ad tale vel tale esse], sed contineat in se totam perfectionem essendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturæ : nisi forte causaret aliquid indeterminatum et infinitum in essendo, quod est impossibile (1)... Non igitur agit per necessitatem naturæ, sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis et intellectus ipsius. Tertio, ex habitudine effectuum ad causam. Secundum hoc enim effectus procedunt a causa agente secundum quod præexistunt in ea : quia omne agens agit sibi simile. Præexistunt autem effectus in causa secundum modum causæ. Unde cum esse divinum sit ipsum ejus intelligere, præexistunt in eo effectus ejus secundum modum intelligibilem, et per modum intelligibilem procedunt ab eo, et sic per consequens per modum voluntatis. Nam inclinatio ejus ad agendum quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Voluntas igitur Dei est causa rerum (2). »

182. Addidimus supra nullam esse divinæ voluntatis causam : quod rite exponit S. Thomas, hac q. XIX, art. 5, in corp. : « Cum voluntas consequatur intellectum : eodem modo contingit esse causam alicujus volentis, ut velit, et alicujus intelligentis, ut intelligat. In intellectu autem sic est quod si seorsum intelligat principium et

---

(1) Nihil enim extra Deum, esse potest infinitum. Hic, ut patet, agitur de Deo, ut est actus ad extra ; non vero, ut est actus ad intra, sub quo quidem respectu producuntur seu procedunt hypostases infinitæ unius ejusdemque infinitæ essentiæ, in quibus invenitur ratio principii et principiati respectu ad invicem, non vero proprie ratio causæ et effectus in eis est.

(2) Ead. q. XIX, art. 4, in corp.

seorsum conclusionem, intelligentia principii est causa scientiæ conclusionis. Sed si intellectus in ipso principio inspiceret conclusionem, uno intuitu apprehendens utrumque, in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum: quia idem non est causa suî-ipsius, sed tamen intelligeret principia esse causas conclusionis. Similiter est ex parte voluntatis, circa quam sic se habet finis ad ea quæ sunt ad finem, sicut in intellectu principia ad conclusiones. Unde si aliquis uno actu velit finem, et alio actu ea quæ sunt ad finem, velle finem erit ei causa volendi ea quæ sunt ad finem; sed, si uno actu velit finem et ea quæ sunt ad finem, hoc esse non poterit, quia idem non est causa suiipsius. Et tamen verum erit quod velit ordinare ea quæ sunt ad finem in finem. Deus autem sicut uno actu omnia in essentia sua intelligit, ita uno actu vult omnia in sua bonitate. Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipsos intelligit effectus in causa, ita velle finem non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem. Sed tamen vult ea quæ sunt ad finem ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc. »

Hæc doctrina magni momenti est et notabilis in ordine ad prædefinitionem rerum infra explicandam.

183. Quemadmodum divina scientia est certissima ac infallibilis, ita voluntas Dei est infrustrabilis et semper impletur. Quod argumento S. Thomæ compendiose contracto probatur. Sicut potest esse aliquid quod non est homo, vel vivum, sed non potest esse aliquid quod non sit ens: ita potest fieri aliquid extra ordinem alicujus causæ particularis agentis, non vero extra ordinem causæ universalis sub se comprehendentis omnes causas. « Cum igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator qui quantum in

se est recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur (1) ».

Dices: Deus vult omnes homines salvos fieri. Sed non omnes salvantur. Ergo Dei voluntas non semper impletur.

Respondeo. Deus non simpliciter vult salutem omnium, sed secundum quid, in quantum dat omnibus quo salvarentur, si vellent. Unde simpliciter vult salvari, qui volunt seu libere cooperantur divinæ gratiæ, et simpliciter non vult salvari, qui sua culpa damnantur. Velle Dei simpliciter semper impletur. Vocatur quoque hæc voluntas *consequens*, consideratis scilicet omnibus circumstantiis particularibus; cui opponitur voluntas *antecedens*, id est, non rei ut in se est, in se enim res est in particulari, sed rei abstracte a determinatis adjunctis. Adverte tamen alios aliter hos terminos intelligere, ne auctores legendo erres. Idemque valet de cæteris divisionibus seu distinctionibus divinæ voluntatis, de quibus legi possunt S. Thomas, hac q. XIX, art. 11 et 12, aliique passim.

184. Quoniam de voluntate Dei salvandi, damnandive homines loquimur, exsurgit quæstio an voluntas Dei sit malorum. Jamvero, sicut vidimus Deum malum non scire nisi per oppositam formam boni, quo privat, ita jam concludere licet Deum mala non velle. Revera, appetitus omnis est boni, nec mali esse potest, et, quando videtur creatura malum appetere, id non fit nisi per accidens, ratione boni cui conjungitur malum. Imo, numquam appeteretur malum, nec per accidens, nisi bonum, cui conjungitur malum, magis appeteretur quam bonum quod privatur per malum. Jamvero, Deus nullum bonum magis vult quam suam bonitatem, quamquam inter alia bona, unum magis vult quam aliud. Unde, malum culpæ, quod privat ordine ad bonum

(1) Ead. q. XIX, art. VI, in corp.

divinum, Deus nullo modo vult aut velle potest; malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult, volendo aliquod bonum cui conjungitur tale malum. Sicut volendo justitiam, vult pœnam, et volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi. Ita fere Angelicus Doctor (1), qui ibidem (2) paucis verbis multa enuntiat, addens: « Deus neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri. Et hoc est bonum ».

185. Quemadmodum divina scientia est ipsa divina substantia, adeoque immutabilis ac invariabilis, ita divina voluntas. Imo directe ex immutabilitate divinæ cognitionis concluditur immutabilitas divinæ volitionis cum S. Thoma: « Circa hoc considerandum est, quod aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet velle, quod prius non voluit, vel desineret velle quod voluit. Quod quidem accidere non potest, nisi præsupposita mutatione vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiæ ipsius voluntatis. Cum enim voluntas sit boni, aliquis de novo dupliciter potest incipere aliquid velle. Uno modo sic, quod de novo incipiat sibi illud esse bonum, quod non est absque mutatione ejus. Sicut, adveniente frigore, incipit esse bonum sedere ad ignem, quod prius non erat. Alio modo sic, quod de novo cognoscat illud esse sibi bonum, cum prius hoc ignorasset.... Ostensum autem est supra, quod tam substantia Dei quam ejus scientia est omnino immutabilis. Unde oportet voluntatem ejus omnino esse immutabilem (3) ».

Heic notabile est elementum solutionis infra versandæ quæstionis de conciliandis immutabilitate et libertate

(1) Ead. q. XIX, art. IX, in corp.
(2) Ad 3m.
(3) Ead. q. XIX, art. 7, in corp.

Dei in operando ad extra, quam quæstionem supra nuntiavimus (1).

186. Sed nunc oritur alia quæstia de concilianda libertate creaturæ cum voluntate Dei immutabili atque infrustrabili, quæ semper impletur. Solutionem repetit S. Thomas ex ipsa efficacia divinæ voluntatis, optime quidem. « Cum enim, *ait* (2), aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam : non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi vel essendi....., Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri. Vult autem quædam fieri Deus necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes, sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit ».

Quæ quidem vides omnino convenire cum iis, quæ de divina scientia diximus : nempe, ante omne decretum absolutum seu efficax voluntatis divinæ, sub hypothesi tantum hujusmodi efficacis voluntatis, quæ aptare causam liberam eamque in actu primo ad agendum disponere potest, non tantum ut agat, sed ut modo libero agat, præscit Deus scientia media effectum futuribilem liberum, si vere futuribilis est; quod quidem decretum si jam, actus vere futuribilis cum sit, absolutum fiat, efficaci voluntate Deus reapse vult effectum liberum, eoque ipso aptat causam liberam, quæ libere aget, et consequitur scientia visionis ejusdem liberi effectus.

(Continuabitur).

---

(1) Num. 180.

(2) 1ª , q. XIX, art. 8, in corp.

Ordo Missæ

SEU

precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 26.)

—

52. *Hanc igitur oblationem.* Hæc oratio connectitur (*igitur*) cum præcedenti hoc modo : « Quoniam (inquit) Sanctis tuis communicantes et eorum memoriam venerantes hoc tibi sacrificium offerimus, Domine ; ideo suppliciter quæsumus ut tu ipse placatus meritis et precibus gloriosæ Dei genitricis, Sanctorum Apostolorum, Martyrum et omnium electorum tuorum, accipias et placide acceptes *hanc oblationem servitutis nostræ*, quam scilicet nos ministri facimus in vero cultu, soli Deo debito ; quin imò etiam hanc oblationem *cunctæ familiæ tuæ*, totius scilicet Ecclesiæ catholicæ, quæ tibi devota famulatur et vota offert. — Unde quod hic dicitur *servitutis nostræ*, pro clero positum censetur qui hujus oblationis ex ordinatione divina est minister et peculiarem altari famulatum ministeriumque, pro suo quisque gradu, impendit. Quod vero subjungitur, *sed et cunctæ familiæ tuæ*, pro populo laico adjectum traditur, qui etiam voto et pia devotione concurrit ad hanc oblationem, et de familia Domini numeratur, cum etiam sit membrum et pars Ecclesia » (1).

Ut placatus accipias. Ut jam observavimus (suprà n. 24), sacrificium divinum in se, seu ratione victimæ, spectatum non potest non esse Deo acceptissimum, siquidem eo offeratur Dei filius, *in quo ipse sibi complacuit;* sed potest esse Deo minus gratum, ratione offe-

(1) Clichtoveus, in h. l.

rentium, qui peccatores sunt et forte minus dispositi ad tantum mysterium accedunt. Subjunguntur tres gratiæ quas, mediante oblatione nostra, obtinere intendimus:

1/ *Ut dies nostras in tua pace disponas.* — Petimus np. per hanc nostram mortalem vitam, pace Dei frui, quam Christus nobis attulit, « ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris » (Cant. *Benedictus*).

2/ *Atque ab æterna damnatione nos eripi.* — Hanc liberationem ab æterna damnatione sua morte promeruit nobis Christus Redemptor: ast ut hoc Salvatoris meritum de facto nobis applicetur, requiritur nostra cum divina gratia fidelis cooperatio et quidem cooperatio usque ad finem vitæ perseverans; hoc igitur donum perseverantiæ hic efflagitamus, et opportune quidem, cum passionis et mortis Christi Salvatoris memoriam celebramus.

3/ *Et in electorum tuorum jubeas grege numerari.* — Similiter petit Ecclesia in oratione *pro vivis et defunctis* ut « eorum nomina prædestinationis liber adscripta retineat »; item in hymno *Te Deum:* « æternùm fac cum sanctis tuis in gloria numerari ». Hisce postulationibus « petimus a Deo *consecutionem* electionis nostræ et æternam beatitudinem, in qua numerus electorum congregandus est. Hæc autem consecutio ex nostra libera cooperatione dependet, videlicet ab executione bonorum operum, quæ sunt media a Deo præordinata in eum finem. Dum ergo oramus et petimus numerari in grege electorum, gratiam a Deo postulamus quæ necessaria est ad ea media exequenda et finem consequendum » (1). Quare meritò observat Estius: « Ejusmodi orationibus non petimus immutari æternum Dei propositum, sed causam pro effectu ponimus, orantes ut Deus nos vel alios ad se convertat, et in sancta

(1) Quarti, l. c., dub. 4.

conversatione confirmet, atque ad æternam felicitatem perducat, qui sunt effectus prædestinationis » (1).

53. Per illam orationem, ità præscribente rubrica, sacerdos manus tenet extensas super oblata: hic ritus ab antiqua lege videtur desumptus (*Levit IV et VIII*), ubi sacrificans jubetur ponere manus super caput victimæ immolandæ pro peccato; quo significabat eamdem victimam sibi substitui et quasi peccatis suis onerari, seseque unà cum ea Deo consecrari. Ita nunc sacerdos simili ritu exprimit Christum, divinam victimam, nostra peccata in se suscepisse cruenta suî immolatione in cruce expianda; atque se populumque christianum cum Christo jamjam mystice immolando Deo offert, ut ejus virtute sacrificii remissionem peccatorum atque vitam consequatur æternam.

*
* *

54. *Quam oblationem... ut nobis corpus et sanguis fiat... Jesus Christi.* Ad hæc ultima orationis verba recte animadvertit S. Thomas: « Non videtur ibi sacerdos orare ut consecratio impleatur, sed *ut nobis fiat fructuosa:* unde signanter dicit: *ut* NOBIS *fiat corpus et sanguis* » (2); quæ observatio clavem præbet interpretationis totius orationis, quæ pluribus visa est inter difficiles difficillima.

Hic igitur iterum iterumque rogat sacerdos ut divini sacrificii oblatio *quatenus ab ipso est et ab omnibus aliis offerentibus suprà designatis*, Deo sit grata et sibi ipsisque valde salutaris. Ergo non petitur, sicuti plures

---

(1) In 4. Sent. lib. I, dist. 70, § 22. — Cfr. Bened. XIV, l. c. cap. IV, n. 4; ubi advertit quòd « optimum æstimare possumus esse prædestinationis indicium, sese ad ejusmodi sanctarum precum spiritum et arcana sensa conformare, id est, nihil quidquam aliud, quam Dei pacem cupere, nihil præter mortem æternam metuere, et perseverantiæ donum a Deo enixe petere, ut in eorum adscribamur numerum, qui æterna gloria perfruentur ».

(2) P. III, q. LXXXIII, art. IV, ad 7m.

opinantur, ut oblata transsubstantientur in corpus et sanguinem Christi: hic enim effectus transsubstantiationis est ex opere operato adeoque independens ab omni opere operantis vel Ecclesiæ vel cujuscumque operantis, sed ut corpus et sanguis Christi mox sub speciebus panis et vini præsentia sistenda et sic immolanda nobis sint ad salutem et benedictionem; qualis effectus salutaris, sine certis dispositionibus per Dei gratiam acceptis, obtineri nequit, et ideo iterata ac instanti prece postulatur. (1)

Hunc in finem petitur ut Deus illam *oblationem nostræ servitutis sed et cunctæ familiæ suæ* (vid. suprà) faciat *in omnibus benedictam* seu totam quantam benedictione cœlesti eam fæcundet; eamque dignam reddat quæ in libro vitæ uti meritoria adscribatur *(adscriptam);* ut eam *ratam* seu legitimam, omnibusque qualitatibus requisitis ornatam esse faciat; ut nos eam animo puro et spiritu perfectæ adorationis offerre concedat (*rationabilem*), sicque ipsa evadat *acceptabilis* oculis majestatis suæ; quatenus hac ratione perficiatur jam divinum ac tremendum mysterium corporis et sanguinis Domini non in judicium et condemnationem sed in propitiationem et sanctificationem *(ut* NOBIS *corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui. D. N. J. C.)*

55. Dum istam orationem recitat sacerdos *trino crucis signo* signat oblata in honorem SS^mæ^ Trinitatis, a qua tanta efflagitatur gratia, per virtutem et merita sacrificii crucis, cujus instat mystica renovatio; dein separatim signat hostiam et calicem, quo significat panem et vinum jam convertendum in idem corpus Christi quod fuit immolatum, in eumdem sanguinem Christi, qui fuit effusus, in *cruce* pro salute hominum. — Cum dicit: *dilectissimi Filii tui D. N. J. C.*, elevat et jungit manus ante pectus ac caput cruci inclinat, quasi præ suavi et

(1) Cf. Billot, *De Ecclesiæ sacram.* T. I, p. 490. — Lambrecht, *Compend. Ordin. Missæ explic.*, p. 15.

ardenti amoris affectu amantissimum Salvatorem in altare descendentem amplecti vellet.

*
* *

5°. Consecratio. — « Post multas oblationes verbis hactenus expressas, sequitur tandem realis oblatio, qua idem Christus incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit. Quod si hactenus necessaria fuit puritas, humilitas et reverentia, multò major nunc requiritur, cum ad tremendum mysterium non sine timore et horrore perficiendum appropinquas... Considera te hic Christi personam gerere, totumque hominem internum et externum ad ejus majestatem et sanctitatem compone; et cura ne quid sit in te dissonum a persona quam sustines » (1).

Qui pridie... omnes. Hisce verbis refertur quomodo ipse Christus primùm adorandum Eucharistiæ sacramentum instituerit et confecerit; atque jubetur sacerdos plures ponere actus similes illis qui de Christo narrantur (uti panem in manus sumere, oculos in cœlum levare, gratias agere caput inclinando, hostiam benedicere); quo ritu expressius significatur eum hoc loco Christi personam gerere, ejusque loco et virtute agere. Id si recogitet sacerdos, profectò cum summa reverentia ac pio mentis affectu sanctas illas actiones perficiet, quò minus indigne tantam personam repræsentet. Cum dicit: *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, consideret quam puræ esse debeant manus suæ, in ordinatione oleo sancto unctæ ut essent, « manus sacratæ et sacrantes tremenda mysteria » (2). — Cum oculos in cœlum elevat, illuc et mentem dirigat, tacite rogans Deum Patrem Omnipotentem ut de sede majestatis suæ mittat ad nos divinum Filium suum, auctorem salutis ac sanctificationis nostræ. — Cum dicit *gratias*

(1) Card. Bona, *Tract. ascet. Missæ*, Cap. V., § IX.
(2) S. Bern. *Tr. de mor. et off. Ep.*, C. II, n. 4.

agens, et ipse inclinato capite reverenter et ex intimo corde gratias agat ob tanti sacramenti institutionem ac renovationem. — Dum signat hostiam signo crucis, iterum in mentem sibi revocet hoc momento sacrificium crucis, unde omnis benedictio in nos dimanavit, mystice renovari.

Hoc enim est corpus meum. — « Verba consecrationis dicuntur et *recitative* et *formaliter* seu *significative*. Sacerdos enim et commemorat quæ verba Christus in ultima cœna dixerit et, intendens ea applicare materiæ præsenti ac facere quod significant, simul exercet actum suæ potestatis. Atque hinc est quod *propriissime* dicatur conficere *in persona Christi*, quia non tantum utitur potestate a Christo accepta, sed eam exercet ejus personam repræsentans et loquens ejus verbis, *quasi esset ipsemet Christus* » (1). Inde est quod dicit: « Hoc est corpus *meum* » non verò: « hoc est corpus *Christi* ».

57. Sacratissimis illis verbis *distincte*, *reverenter* et *secretò* (Rubr.) pronuntiatis, sacerdos sacram hostiam inter pollices et indices super altare tenens *genuflexus adorat*. Hic pie observat De Ponte: « Quando sacerdos sacram hostiam manu tenens genua flectit, Dominum hunc adorare debet adeo profunda reverentia, ut cor suum usque ad ipsam abyssum humiliet, quasi desiderans in terræ profundum descendere ob tantæ majestatis reverentiam. Et memor quod angeli descendant e cælo, ut huic Domino in sacrificio adsint, cogitare debet in eo momento se circumdari angelorum exercitu,

(1) Sylvius, in 3m, q. 78, art. 1. — Cfr. Bened. XIV, l. c. lib. II, Cap. XV, n. 3 sqq. — Lahousse, *De Euchar.* n. 98, qui scribit « verba consecrationis a sacerdote proferri debere *assertive*, *operative*, cum intentione exercendi ipsam propositionis significationem seu operandi conversionem »; et meritò addit: « Nullus tamen scrupulus movendus; nam eo ipso quod habetur voluntas consecrandi, seu faciendi quod Christus instituit aut Ecclesia facit, implicita et sufficiens adest voluntas proferendi verba in sensu assertivo ».

et simul cum illis adorare et laudare communem omnium Dominum et creatorem » (1).

« Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum hostiam, et *intentis in eam oculis* (quod et in elevatione calicis facit), populo reverentur ostendit adorandam » (rub.) (2) — « Ad elevationem Christum in cruce exaltatum contemplare, et ora ut omnia trahat ad seipsum. Varios etiam virtutum actus eosque intensissimos elicies, nunc hos, nunc illos, fidei, spei, amoris, adorationis, humilitatis, et similium, *mente* dicendo: *Jesu, Fili Dei, miserere mei. — Dominus meus et Deus meus. — Amo te, Deus meus, et adoro toto corde et affectu....* (3).

58. *Simili modo postquam cœnatum est*, i. e. post esum agni paschalis, secundum ritum Judaicum, et absoluta cœna communi quæ priorem mysticam ac religiosam subsequebatur; seu *post agnum typicum, expletis epulis* (4). « Celebrato (igitur) veteri pascha quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit pascha, se ipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit » (5). — *Accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas...* « *Hunc* autem calicem dicens sacerdos, qui celebrat, non eum demonstrat calicem secundum *numerum*, quem manibus tenet: manifestum est enim Christum

---

(1) *De Christ. hom. perf.* T. IV, tr. II, cap. XII, § 2.

(2) Proinde hostia est elevanda ad talem saltem alitudinem « ut capitis verticem sufficienter excedat, quo videri ac adorari a populo possit ». Ill. Van der Stappen, Tr. *de celebr. missæ*, p. 154.

(3) Card. Bona, l. c.

(4) Communiter docent Exegetæ, institutionem SS^mæ Eucharistiæ per utramque consecrationem panis sc. et vini, subsecutam fuisse duplicem illam cœnam, quamvis S. Luc. et S. Paulus (I Cor. XI, 21) verba *postquam cœnavit* non ponant nisi ante consecrationem calicis.

(5) Conc. Trid. Sess. XXII *De Sacrif. Missæ*. cap. I.

id vasculum idem numero in manus suas non accepisse; sed ad intellectum, demonstrat similem secundum speciem, non quidem secundum speciem substantiæ aut figuræ : quia fortasse ex alia secundum speciem materia compositus erat calix quem Christus accepit, aut alterius formæ per artem inductæ, quam calix ille, quem manibus tenet sacerdos consecrans; sed similem quantum ad usum et liquoris continentiam. Sicut enim in hoc calice quo sacerdos consecrationem vini perficit, continetur vinum aqua mixtum; ita et in eo calice quem Christus accepit continebatur vinum aquæ permixtum, ut uno animo sentiunt omnes. Quare nomine calicis, non intelligendum est hic solum vas potorium, sed idipsum cum vino contento in eo » (1). — Vocatur autem hic calix *præclarus,* i. e. excellens, multùm clarus seu nobilis et sanctus; alludi videtur ad Ps. XXII, 5: « Calix meus inebrians, quam præclarus est ».

59. *Item tibi... omnes: Hic est enim calix sanguinis mei*, i. e. Hoc enim quod in isto calice sub his vini accidentibus continetur sanguis meus est. — *Novi et æterni testamenti*, scil. « sanguis quo sancitur et confirmatur novum illud fœdus quod olim per Prophetas promissum, Deus nunc, proprio suo Filio mediatore usus, cum hominibus inire dignatur » (2). — Sicut testamentum vetus, quod erat figura novi, confirmatum fuit per victimarum sanguinem super populum respersum, dicente Moyse: « Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum (*Exod.* XXIV, 8) », item testamentum novum Christus, mediator illius, proprio sanguine sancivit, dicens: « Hic est sanguis meus novi testamenti » Matth. XXVI, 27. — Cfr. *Hebr.* IX, 15-20). — Dicitur novum testamentum *æternum*, quia aliud jam non est ei successurum, sicut novum successit veteri, sed ad finem usque mundi perseverabit; dein quia hoc

(1) Clichtov. *op. cit.* in h. l.
(2) Liagre, *in Matth.* XXVI, 27-28.

testamento Christus nos *æternæ* hæreditatis seu æternorum bonorum et cœlestis gloriæ constituit hæredes. — *Mysterium fidei*, nempe tum ipsa præsentia sanguinis Christi sub specie vini arcana res est rationi impervia, quam sola fides attingit et agnoscit: tum ejusdem sanguinis effusi et oblati virtus et efficacia ad nos redimendos et justificandos item objectum est fidei. — *Qui pro vobis et pro multis effundetur:* « Qui *pro vobis* sumentibus scilicet, et *pro multis*, id est, aliis. Illi *multi* vel intelliguntur *omnes electi*, vel *omnes omnino*, nam pro omnibus *sufficienter* effusus est sanguis Christi, pro electis vero etiam *efficaciter* » (1). — *In remissionem peccatorum:* videlicet primarius mortis Christi finis fuit *reconciliare nos Deo*. Hæc quippe reconciliatio fons et caput est omnium novi Fœderis gratiarum. Nam justitiam, et adoptionem filiorum, et vitam æternam, nisi obtenta prius remissione peccatorum, nulla ratione assequi valemus » (2).

60. *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.* — *Hæc* quæ ego modo feci, consecrando panem et vinum et convertendo illa in Corpus et Sanguinem meum, quotiescumque et vos feceritis, *in mei memoriam facietis*, maxime recolentes passionem et mortem meam, proinde amorem illum ineffabilem quo dilexi vos et tradidi memetipsum pro vobis. — Sane una causa institutionis hujus dignissimi sacramenti in Ecclesia militante fuit, ut ipsum esset signum memoriale et repræsentativum ipsius summi sacrificii quod Christus obtulit in cruce, in qua sustinuit mortem in corpore et sanguinem suum fudit in pretium redemptionis nostræ... Idcirco ad repræsentandum distinctius passionem Christi, immolatione hujus sacrificii sanguis separatim in calice consecratur, quia in ipsa passione Christi sanguis ejus fuit a corpore separatus: et propter hoc in canone potius

(1) Sylvius l. c., art. 3.
(2) Liagre, l. c.

ad consecrationem sanguinis quam corporis additur ea particula : *Hæc quotiescumque.... facietis*, licet ad utrumque referatur; quia expressior est repræsentatio et significatio passionis Christi per sanguinem quam per corpus : nempe corpus esse potest sine passione, sanguis autem separari non potest a corpore sine ipsius vulneratione » (1). — Cæterum nonnisi per alterius speciei consecrationem completur sacrificium missæ, sacrificii crucis repræsentativum.

61. Dum sacerdos dicit: *Hæc quotiescumque* etc., genuflectit et SS. Sanguinem reverenter adorat. Dein sese erigit et ambabus manibus calicem cum Sanguine sumit, eumque elevans *populo adorandum ostendit* (rub.) Ad hanc elevationem pio ac grato animo recogitet celebrans eumdem sanguinem in cruce pro ipsius totiusque mundi redemptione et salute fuisse effusum ipsumque tanquam pretium animæ suæ Deo Patri præsentet, et mente roget divinum Salvatorem ut ille sanguis purificans descendat super ipsum ad emundandam animam suam ab omni inquinamento peccati, seu ut semper abundantius salvifici sanguinis merita ipsi applicentur; — vel etiam corde oret cum Ecclesia: « Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti ».

(Sequetur). H. V. D. B.

---

(1) Clichtov. l. c. — Idem animadvertit S. Thom. : « Sanguis seorsum consecratus a corpore expressius repræsentat passionem Christi et ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de passione Christi et fructu ipsius quam in consecratione corporis » 3 p. q. LXXVIII. art. 3. ad 7.

Quelques considérations

sur la base philosophique du socialisme scientifique contemporain.

3. Quelle fut donc l'influence exercée par la philosophie hégélienne sur le socialisme Marxiste?

Hégel fournit au Marxisme la *méthode dialectique* que nous venons d'esquisser.

Toutefois Hégel est idéaliste; il part de la notion de l'être, de l'*Idée*, dont l'être prend ensuite naissance et se développe progressivement. Pour lui la dialectique est l'évolution spontanée de l'Idée; les réalités extérieures, le monde visible, l'humanité, l'histoire ne sont que l'image fuyante, la forme phénoménale du mouvement évolutif de l'Idée.

Avec les philosophes neo-hégéliens, Marx rejeta résolument l'idéalisme de Hégel. Il y substitua le matérialisme historique et appliqua à sa nouvelle conception économique la dialectique hégélienne. Voici d'ailleurs comment il s'exprime à ce sujet: « Pour Hégel, le mouvement de la pensée qu'il personnifie sous le nom de l'Idée, est le démiurge de la réalité, laquelle n'est que la forme phénoménale de l'Idée. Pour moi, au contraire, le mouvement de la pensée n'est que la réflexion du mouvement réel, transporté et transposé dans le cerveau de l'homme..... Hégel a défiguré la dialectique par le mysticisme; mais ce n'en est pas moins lui qui a le premier exposé le mouvement d'ensemble. Chez lui elle marche sur la tête; il suffit de la remettre sur les pieds pour lui trouver la physionomie tout à fait raisonnable » [1]. — F. Engels dit à son

---

[1] *Miseère de la philosophie*. Cfr. *Van Overbergh*, l. c., p. 420.

tour : « De cette manière la dialectique des idées fut elle-même réduite à n'être plus que le reflet conscient du mouvement dialectique du monde réel, et la dialectique hégélienne, qui se tenait sur la tête, fut dès lors posée sur les pieds » (1).

Marx part donc de l'être matériel pour arriver aux idées, aux notions dans le cerveau ; notions qui, d'après lui, ne sont que les images des choses réelles dans un organe matériel. Hégel procède *à priori* de la « loi des antinomies » qu'il pose en principe à l'explication des phénomènes visibles ; Marx au contraire conclut *à posteriori* de l'observation du monde matériel et perceptible à l'existence de la loi. Pour Marx, la matière n'est plus le produit mobile et fuyant de l'Idée absolue ; au contraire l'idée est la réalité matérielle réflétée dans le cerveau humain. Partant, ce n'est pas *l'Idée* qui évolue, c'est le monde matériel, la seule réalité d'après Marx, « qui se meut, se transforme, devient et périt. L'observation intellectuelle de ces transformations de la matière, de ces phénomènes changeants, provoque directement de nouvelles conceptions dans le cerveau, une évolution parallèle de la conscience, de tout l'ordre idéologique, simple image du devenir et du périr. Ce qui se réflète dans le cerveau, dans l'esprit, ce sont des choses et des phénomènes en mouvement. *Le mouvement des choses est donc la loi de la pensée.* Cette loi est appelée la *dialectique* ou la méthode philosophique du mouvement, méthode que Marx le premier, a appliquée, rigoureusement et universellement, à la science économico-historique. D'après le marxisme, une forme économique donnée, support de toutes les superstructures idéologiques de l'époque, subit, elle aussi, la loi de l'éternel devenir. Au moment où tel état économique se pose (*thèse*), un autre état économique s'élabore déjà dans son sein, s'oppose (*antithèse*), et de la fusion des

(1) Engels, *Ludwich Feuerbach*. Cfr. *Van Overbergh*, l. c. p. 421.

deux *(synthèse)* surgit une nouvelle forme sociale » (1). En un mot, la base du socialisme scientifique c'est la théorie philosophique du matérialisme historique. Voilà son caractère essentiel et fondamental; tous les autres caractères de la sociologie nouvelle n'en sont que des compléments nécessaires ou des applications logiques. Il convient donc que nous dégagions du *Manifeste Communiste* et de ses interprétations autorisées, la théorie générale du matérialisme historique.

4. Exposé du Matérialisme historique.

D'après le *Manifeste Communiste* la base vraie de l'histoire à toutes les époques, le facteur unique ou tout au moins dominant dans les constitutions sociales qui se succèdent, c'est la constitution économique, c'est-à-dire les rapports de production de la vie matérielle de l'humanité. Ce sont les conditions économiques de la production matérielle et le régime de la propriété, qui déterminent le développement historique du genre humain, son évolution sociale et politique, ses institutions familiales, sa vie intellectuelle, religieuse et morale. Lorsque la structure économique de la société se transforme, toutes les *superstructures* sociales et intellectuelles évoluent avec elle. « La » religion, « le » droit, « la » morale et « la » philosophie en tant que vérités éternelles et immuables n'existent pas: tous ces principes n'ont qu'une valeur relative. L'histoire est là pour prouver qu'à toutes les périodes marquantes de production matérielle correspondent des théories religieuses, juridiques et morales particulières.

Ouvrons à présent le *Manifeste Communiste* et voyons si telle en est bien la formule fondamentale.

L'économie comme facteur historique décisif est tellement mise à l'avant-plan à travers tout le *Manifeste*, que nous devons nous borner à citer quelques passages saillants.

---

(1) Hitze, *o. c.* p. 286 (N. d. T.)

« Les propositions théoriques des communistes ne reposent nullement sur des idées et des principes inventés ou découverts par tel ou tel réformateur du monde. Elles ne sont que l'expression en termes généraux, des conditions réelles d'une lutte de classe existante, d'un mouvement historique évoluant sous nos yeux » (1).

L'idéologie socialiste n'est donc que le reflet de l'évolution économique contemporaine. Voici la thèse énoncée d'une façon plus générale: « Mais ne nous querellez pas, tant que vous appliquerez à l'abolition de la propriété bourgeoise l'étalon de vos notions bourgeoises de liberté, de culture, de droit, etc. Vos idées sont elles-mêmes les produits des rapports de la production et de la propriété bourgeoises, comme votre droit n'est que la volonté de votre classe érigée en loi, volonté dont le contenu est déterminé par les conditions matérielles d'existence de votre classe. » (2)

Le texte le plus caractéristique est certes le suivant: « Quant aux accusations portées contre les communistes au nom de la religion, de la philosophie et de l'idéologie en général, elles ne méritent pas un examen approfondi.

Est-il besoin d'un esprit bien profond pour comprendre que les vues, les notions et les conceptions, en un mot, que la conscience de l'homme change avec tout changement survenu dans les relations sociales, dans son existence sociale?

Que démontre l'histoire de la pensée, si ce n'est que la production intellectuelle se transforme avec la production matérielle? Les idées dominantes d'une époque n'ont jamais été que les idées de la classe dominante.

Lorsqu'on parle d'idées qui révolutionnent une société tout entière, on énonce seulement le fait que dans

(1) p. 31.
(2) p. 37.

le sein de la vieille société les éléments d'une nouvelle société se sont formés et que la dissolution des vieilles idées marche de pair avec la dissolution des anciennes relations sociales..... La révolution communiste est la rupture la plus radicale avec les rapports de propriété traditionnels; rien d'étonnant à ce que, dans le cours de son développement, elle rompe de la façon la plus radicale avec les vieilles idées traditionnelles. » (1)

Voici d'ailleurs comment Marx, onze ans après la publication du *Manifeste*, pose le matérialisme historique *en théorie*, dans la préface de sa *Critique de l'économie politique :* (2)

« Le résultat auquel je parvins (vers 1845) et qui servit depuis de fil conducteur à nos études, peut être brièvement formulé ainsi: dans la production sociale des moyens d'existence les hommes contractent des rapports déterminés, nécessaires et indépendants de leur volonté, des rapports de production, qui sont corrélatifs à un stade déterminé du développement de leurs forces productives. Tout l'ensemble de ces rapports forme la structure économique de la société, c'est-à-dire qu'elle est la *base réelle* sur laquelle s'élève une superstructure juridique et politique, et à laquelle correspondent des formes sociales déterminées de conscience. *Le mode de production de la vie matérielle détermine en général le processus social, politique et intellectuel de la vie.* Ce n'est pas la conscience de l'homme qui détermine son existence, mais c'est au contraire son existence qui détermine sa conscience. »

Ailleurs (3) Marx s'exprime comme suit : « Voici mon

---

(1) *Manifeste* p. 41 ss.

(2) *Zur Kritik der politischen Œkonomie*: Nous citons d'après Van Overbergh, *l. c.*

(3) Van Overbergh *l. c.* p. 289 s. — L'auteur cite un passage significatif d'une lettre de F. Engels écrite en 1890 et publiée en 1895 par le *Sozialistische Akademiker :* D'après la conception matérialiste de l'histoire, la production et la reproduction de la vie réelle sont les *moments décisifs en*

opinion. Le mode déterminé de production et les rapports sociaux qui en découlent, en un mot, la structure économique de la société est la *base réelle* sur laquelle s'élève ensuite l'édifice juridique et politique de telle sorte que le mode de production de la vie matérielle domine *en général* le développement de la vie sociale, politique et intellectuelle ».

Le lecteur aura remarqué déjà que la formule du matérialisme historique si nette et catégorique dans le *Manifeste*, paraît un peu plus atténuée dans les autres écrits de Marx. Il semble insinuer en effet qu'à côté de l'économie comme facteur prépondérant et décisif, il existe d'autres facteurs historiques secondaires.

Ce point de doctrine a soulevé de longues polémiques entre théoriciens socialistes. M. Van Overbergh « qui a revu à cet effet toute l'œuvre de Marx et de Engels » précise ainsi la pensée des auteurs du *Manifeste* :

« D'après Marx et Engels, le facteur économique est non seulement le facteur prépondérant, mais le facteur décisif. C'est la base réelle de l'histoire. C'est lui qui *en général* domine le développement de la vie sociale, politique et intellectuelle. C'est lui qui en dernière instance est l'élément essentiel de l'histoire. Les autres facteurs ne jouent qu'un rôle presque toujours accessoire, parfois, mais exeptionnellement, un rôle décisif; d'ailleurs ils n'ont d'influence prépondérante que sur la *forme* des mouvements historiques et non sur le fonds ; ils agissent sur le milieu économique, mais celui-ci seul détermine en dernière analyse l'évolution sociale ».

Il va sans dire que cette conception matérialiste de l'histoire écarte du coup l'influence prépondérante des

---

dernière instance dans l'histoire. Ni Marx, ni moi-même, n'avons jamais rien voulu dire de plus. *Quand on fausse notre doctrine* et qu'on nous fait dire que le « moment » économique est le seul décisif, on nous prête par là une opinion « *absurde* » et « *abstraite* ». On pourrait y ajouter une citation d'une autre lettre publiée par la *Leipziger Volkszeitung* (20 Octobre 1895). Cfr. *Stimmen aus Maria-Laach*, 1899, Sechstes Heft p. 4 et 5.

courants religieux et des mouvements politiques, ainsi que l'impulsion de la libre volonté individuelle, fût-elle marquée du sceau du génie. Les événements historiques ne sont que la résultante inconsciente et fatale des forces matérielles en lutte. Tout porte l'empreinte d'une inéluctable nécessité (1). « Les lois de la production capitaliste, écrit Marx (2), se manifestent et se réalisent avec une nécessité de fer. » La conséquence logique, dont le caractère immoral et funeste saute aux yeux, c'est que le matérialisme historique supprime totalement la responsabilité des individus et des groupes sociaux.

Certains chefs du parti socialiste belge professent assez ouvertement le matérialisme historique. Les débats parlementaires des dernières années peuvent nous éclairer à ce sujet. Voici comment M. Anseele exposa sa théorie dans la séance du 26 Juillet 1895 : « Nous autres, sur les causes qui influent sur la vie des hommes et des peuples, sur la manière de penser, de sentir et de vivre, nous avons des opinions qui diffèrent des vôtres. Il y a, à ce point de vue, un abîme entre vous et nous et je veux expliquer notre manière de voir à ce sujet, pour bien vous montrer que nous sommes des gens nouveaux en tout, des révolutionnaires en morale aussi bien qu'en économie politique.

« Les modes même du sentiment et de la pensée sont déterminés dans l'homme par la forme essentielle des rapports économiques de la société où il vit. Dans la conduite des individus interviennent des forces sociales, des forces collectives, des forces historiques, dont la puissance dépasse celle des mobiles individuels et égoïstes. *Ce qu'il y a d'essentiel* dans l'histoire, ce sont les rapports économiques, les rapports de production des hommes entre eux.

« C'est selon que les hommes sont rattachés les uns

---

1 Ch. E. Bernstein, *Die Voraussetzungen des Sozialismus und die Aufgaben der Sozialdemokratie*, Stuttgart 1899, p. 2.

2 *Le Capital*, éd. de Paris, Librairie du Progrès, Préf. p. 10.

aux autres par telle ou telle forme de société économique qu'une société a tel ou tel caractère, qu'elle a telle ou telle conception de la vie, telle ou telle morale, ou qu'elle donne telle ou telle direction à ses entreprises. De plus, ce n'est pas selon une idée abstraite de justice, ce n'est pas selon une idée abstraite de droit que les hommes se meuvent: ils se meuvent parce que le système social formé entre eux, à un moment donné de l'histoire, par les relations économiques de production est un système instable qui est obligé de se transformer pour faire place à d'autres systèmes; et c'est la substitution d'un système économique à un autre, par exemple de l'esclavage à l'anthropophagie, c'est cette substitution qui entraine, par une correspondance naturelle, une transformation équivalente dans les conceptions politiques, morales, esthétiques, scientifiques et religieuses; en sorte que le ressort le plus intime et le plus profond de l'histoire, c'est le mode d'organisation des intérêts économiques » (1).

M. Vandervelde a plusieurs fois émis des opinions qui se ressentent visiblement de l'influence de la théorie du matérialisme historique. « Je ne vous demande donc pas de vous exclamer, disait-il dans la séance du 24 Juillet 1895 (2), lorsque je dis que la situation morale et intellectuelle d'un peuple est indissolublement liée à sa situation matérielle. Ne nous accusez pas, Messieurs, d'un grossier matérialisme; rappelez-vous ces paroles d'un grand écrivain: « l'idéal est une fleur qui a ses racines dans les conditions matérielles de l'existence ». Si les sociétés actuelles valent mieux que les sociétés primitives, c'est, avant tout, que les hommes ont moins de peine à se procurer le pain quotidien. Et le temps viendra où des sociétés meilleures produiront une effervescence plus belle encore des intelligences et des sentiments ».

---

(1) Chambre des Représentants, *Annales parlementaires* 1895 p. 2292.
(2) *Ibid.* p. 2263.

Telle est, dans les grandes lignes, la base philosophique du socialisme scientifique.

Nous pourrions compléter cet exposé et développer en détail la théorie marxiste de l'évolution organique du facteur économique et de l'évolution corrélative des institutions et des idées, puis esquisser le moteur de ce mouvement évolutif, c'est-à-dire la lutte des classes.

Nous croyons néanmoins qu'il serait plus opportun de nous arrêter ici, sauf peut-être à développer quelques points saillants plus tard. — Dans la prochaine livraison nous présenterons quelques remarques critiques au sujet de la théorie générale que nous venons d'exposer.

(A suivre)

A. C.

De Jubilæo anni sancti 1900

Jubilæum anni 1900 est jubilæum *ordinarium* seu *anni sancti,* quod jure quodam statuto, inde a tempore Pauli II (1), quolibet vigesimo quinto anno recurrere solet (2), et durat a solemni apertura Portæ sanctæ, ante

(1) Primum, cujus servantur documenta, jubilæum fuit Bonifacii VIII (1300) qui statuit ut centesimo quoquo anno celebraretur. Illud autem vitâ humanâ longius spatium successive contraxerunt: Clemens VI ad annum 50m, Urbanus VI vero ad 33m et tandem Paulus II ad 25m: pro annis 1475, 1500, 1525, etc.

(2) Post jubilæum ordinarium anni 1750, a Benedicto XIV indictum, duo tantum anni sancti modo ordinario et solemnitatibus consuetis, v. g. aperitione et clausura *portæ sanctæ,* celebrata sunt: a Pio VI a. 1775 et a Leone XII a. 1825. Anno enim 1800 lugebat Ecclesia Pium VI die 29 Aug. 1799 in exilio Valentiæ mortuum, Sacrum Collegium Româ expulsum. Urbem sub potestate extranea gementem, vacantemque usque ad 14 Martii 1800 sedem Pontificiam. Anno 1850 similiter Pius IX in exilio degebat Gaëtæ, dum tyrannica usurpatione Mazzini sociique Romam opprimebant. Anno 1875 celebratum quidem fuit jubilæum ratione temporis ordinarium, sed ob nimis recentem Romæ expugnationem, omissæ sunt solemnitates ordinariæ, nolensque Pontifex omnes christianos ad Urbem, factam sibi extraneam, convocare, jubilæum extendit ad universum orbem catholicum.

primas vesperas Natalis Domini, ad ejusdem clausuram post primas vesperas festi Nativitatis anni sequentis (1). Hoc jubilæum communiter acquiri tantum potest in Urbe a visitantibus quasdam Basilicas Romanas: sed ne ullus ab hoc beneficio arceatur, solent Romani Pontifices jubilæum anno sequenti extendere ad universum Orbem.

Aliis autem temporibus, ob rationes speciales v. g. coronationem novi Pontificis, magnam calamitatem, vel insigne beneficium, conceduntur interdum jubilæa extraordinaria, quæ modo diverso celebrari consueverunt.

Ad solvenda dubia quæ in hac materia occurrere solent, imprimis diligenter inspiciatur tenor constitutionum quibus jubilæum indicitur et ordinatur; deinde applicentur regulæ quas olim Benedixtus XIV variis constitutionibus sapientissime condidit (2) et quæ, juxta decr. S. Cong. Indulg. diei 15 Martii 1852, posteriori etiam tempore servandæ sunt, in quantum eis non adversatur bulla jubilæi.

Hæc præ oculis habentes investigare conabimur: I/ quinam fideles præsens jubilæum consequi valeant; II/ quænam sint opera injuncta; III/ quinam sint jubilæi favores.

§ I. *Quinam fideles lucrari valent jubilæum?*

I. Regula generali omnes utriusque sexus Christifideles, dummodo designatas Basilicas *in ipsa Urbe* visitent, aliaque opera injuncta adimpleant.

II. Quoniam autem plures ab itinere Romano impediuntur, SS. D. N. Leo XIII, prædecessorum vestigiis inhærens, nonnullis, ob impedimenta in litteris apostolicis expressis verbis determinata, benigne concedit

---

(1) Juxta antiquum *stylum Nativitatis* ab Ecclesia olim usurpatum, quo annus novus inchoatur in festo Nativitatis Domini.

(2) Quas vide collectas ap. *Decreta Authentica*, Append. XVIII, pp. 493-524.

exemptionem ab onere visitandi reapse dictas Basilicas. Duplex autem est hæc exemptio, prior in ipsa bulla indictionis, altera vero in constitutione *Æterni Pastoris* (1) accurate descripta.

A. In *ipsa bulla indictionis* (*Coll. Brug.* IV, p. 413-414) statuitur exceptio in favorem utriusque sexus fidelium qui, extra Urbem (2) degentes, a/ de facto iter Romanum, jubilæi consequendi gratia, aggressi fuerint, et b/ in itinere, sive domum vix reliquerint, sive Romam jam attigerint, vel morbo vel alia causa legitima impediantur, quominus præscriptas visitationes aut incipiant aut partim jam peractas debito compleant numero.

Si autem quæratur quænam causa, præter morbum, censenda sit legitima, auctores plura tradunt exempla: v. g. si peregrinans in via acciperet nuntium mortis patris, fratris, prolis, si hostes patriam invasissent, si Romæ vel in regionibus quas percurrere deberet, eruperet lues contagiosa, si detineretur infirmitate aut impedimento, quo iter perficiendum non quidem impossibile fieret, sed nonnisi maxima difficultate aut expensis multo majoribus absolvi posset. Probe advertendum est requiri ut hæc impedimenta superveniant itineri non solum statuto et præparato sed reapse incepto.

B/ In constitutione *Æterni Pastoris* (suprà p. 43) a visitandis Basilicis Romanis eximuntur tres classes fidelium privilegiatorum, quos nempe, tam in Urbe quam extra eam, a visitandis Basilicis impediunt « aut *septa monasterii*, aut *ineluctabilis captivitas* aut *corporis infirmitas* ». Hæ autem personæ sunt:

1° Omnes *feminæ religiosæ* seu sanctimoniales latissimo sensu, sive habeant vota solemnia et clausuræ legibus detineantur, sive non; item novitiæ, mulieres aut puellæ quæ educationis, sustentationis, famulatùs aut alia de causa legitima, in monasteriis, domibus

(1) Vid. suprà p. 43 sqq.
(2) Cf. Bened. XIV, Const. *Inter præteritos*, § 16.

religiosis, gynecæis, aut conservatoriis communi cum supradictis religiosis contubernio utuntur (sub nn. I, II, III, et IV); item anachoretæ et eremitæ, quales describuntur sub n. V, sed in nostris regionibus non inveniri solent.

2° Omnes utriusque sexus fideles qui aliqua *custodia, captivitate* vel *exilio* non voluntarie detinentur, prout evolvitur sub n. VI. Hoc privilegio gaudent etiam qui aliqua sententia judicis in domibus mendicantium (dépôts de mendicité) detinentur. Detentio autem quævis debet tamdiu durare ut inde impossible fiat iter Romanum.

3° Illi qui actu vel habitu sunt *infirmi* et, qui eis æquiparantur, senes septuagenario completo majores. Quos ita enucleate describit Benedictus XIV: « infirmos pariter utriusque sexus, tam laicos quam ecclesiasticos, sive sæculares, sive cujuslibet Ordinis, Congregationis et Instituti regulares, a/ qui nempe extra Urbem *actu* aliqua laborant corporis infirmitate, a qua juxta medici judicium non ita tempestive liberari poterunt, ut intra jubilæi annum ad Urbem se conferre valeant; b/ vel qui, licet ex hujusmodi infirmitate *convaluerint,* non tamen sine gravi incommodo et recidivæ periculo (1) Romanum iter conficere possent; c/ quive etiam *habitualiter* infirma valetudine utuntur, adeo ut iter hujusmodi suscipientes in actualem facile morbum, aliudve corporis incommodum incidere possent; d/ ac denique senes septuagenario majores » (Constit. *Paterna charitas*, § 4).

Quæritur autem — quæstio valde practica — utrum hoc privilegium exemptionis ab itinere Romano concedatur præfatis personis *omnibus*, an vero illis tantum quæ ita sunt animo dispositæ *ut de facto peregrinationem Romanam instituerent, nisi impedirentur iis præcise impedimentis ob quæ a visitandis Basilicis eximuntur.*

---

(1) Loco; « sine gravi incommodo *et recidivæ periculo* », Leo XIII dicit tantum: « sine gravi incommodo ».

Omnes enim auctores, quos consulere potuimus et qui quæstionem expresse tractant, requirunt hanc voluntatem hypotheticam sed seriam visendi limina Apostolorum nisi detinerentur præfatis impedimentis (1).

Censemus tamen hanc animi dispositionem pro præsenti jubilæo non requiri tanquam conditionem sine qua non jubilæi acquirendi.

Quæ sententia ut stabiliatur, ponenda est essentialis distinctio inter disciplinam ante Benedictum XIV vigentem et eam quæ ab hoc Pontifice pro Jubilæo ordinario a. 1750 inducta, a successoribus Pio VI (1775), Leone XII (1825) et Leone XIII (1900) servata est.

1° In bulla *Pontificia sollicitudo* Urbani VIII (1625), quam hujus successores Innocentius X (1650), Clemens X (1675), Innocentius XII (1700) et Benedictus XIII (1725), vel nullis vel paucis mutatis, ad verbum resumpserunt, constanter legimus — in ea præcise parte in qua exponuntur jubilæi lucrandi conditiones — privilegium exemptionis a visitandis Basilicis concedi « sanctimonialibus... anachoretis... ac utriusque sexus Christifidelibus tam carceratis quam infirmis prædictis tantum *et qui alias, impedimentis* LONGÆ CARCERATIONIS AC DIUTURNÆ INFIRMITATIS *cessantibus, ad hanc Almam Urbem pro thesauris spiritualibus hujusmodi consequendis venturi fuissent,* vere pœnitentibus et confessis... ». Merito igitur doctores Benedicto XIV antiquiores omnes hujusmodi conditionatam voluntatem, tanquam conditionem sine qua non, exigunt a carceratis et infirmis. Immerito tamen nonnulli hanc conditionem extendunt ad moniales et anachoretas.

2° Sed inde a Benedicto XIV, qui in disciplina jubilæi plurima mutavit et dubia quantum fieri poterat removit, omnino diversus est tenor bullarum, quibus jubilæum anni sancti ad personas impeditas extenditur.

---

(1) Cf. inter alios J. LOISEAUX. *Traité du jubilé* 1859, p. 256, aliosque ibi citatos.

In his quidem talia legimus quæ supra relatis similia videntur:

« Ad complures alios..., ait Benedictus XIV, mentis Nostræ oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsi, hujusmodi iter avide aggrederentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitæ propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas vel corporalis infirmitas detineret (1). » — « Cum ingentem, scribit Leo XII, eorum numerum mente concipiamus, qui legitima causa præpediti ad beatorum Apostolorum limina... uti iisdem in votis esset, convolare... (2) » Et rursus Leo XIII: « Placuit igitur fructu vacuam non redire multorem fidem ac pietatem, qui hujusmodi iter summo cum studio essent aggressuri, nisi eos aut septa monasterii aut ineluctabilis captivitas aut corporis infirmitas impediret (3). »

His tamen nobis non videtur statui *conditio sine qua non*. Nam:

a/ Illa verba inveniuntur non jam, ut olim, in parte dispositiva bullarum, sed in proœmio. In sequentibus autem partibus Romani Pontifices successive exponunt objectum præcisum constitutionis (Leo XIII, *Quam ob rem vi præsentium*... supra p. 42); accurate specificant « qui sub hac providentia comprehenduntur » (p. 43); « istos omnes monent, hortantur et obsecrant in Domino » ut omnia præstanda quam perfecte adimpleant (p. 44); tandem præcisis terminis definiunt conditiones jubilæi consequendi (« Itaque omnipotentis... » p. 45). Jamvero in his omnibus ne verbulo quidem alludunt ad voluntatem conditionatam peregrinationem Romanam aggrediendi.

---

(1) Constit. *Paterna Charitas* (*Bullarium* t. VIII, p. 178) quam ad verbum resumpsit Pius VI (1775).

(2) Constit. *Studium paternæ charitatis*, § 1 (*Bullarii Romani continuatio* t. XVI, p. 290).

(3) Constit. *Æterni Pastoris* (suprà p. 42).

b/ Præterea Benedicti XIV prædecessores hanc conditionem non requirebant a monialibus et anachoretis propter naturam vitæ religiosæ : « summopere optandum est, aiebant, ut vitæ rationem quæ eas Angelis quodammodo æquat, constantissime retineant. » Sed inde a Benedicto XIV, jam nulla ponitur distinctio inter moniales aut anachoretas et carcere aut infirmitate detentos. Esset ergo, in materia gratiosa, quam Benedictus XIV in pluribus ampliavit, restrictio maxima, afficiens præcise illas personas quibus præcipue favere intendebat, « Evangelicæ nempe perfectionis sequaces animas, lectissimam portionem gregis dominici (1) ». Illa autem coarctatio, nullo adjecto motivo, exprimeretur quasi obiter, in bullarum præambulo, verbis multo minus urgentibus quam antea fieri solebat (2).

Sed si præcitati textus non imponunt conditionem Jubilæi acquirendi, quid igitur significant? Exprimunt, ut nobis videtur, causam quæ *partim* movit Romanos Pontifices ad privilegium concedendum. Pontifices nempe impeditorum multorum lucrandi jubilæum, adeoque petendi Romam vota, non jam, ut olim, se accepisse dicunt, sed ut factum per se probabile merito supponunt, et inde partim moventur ut non illis tantum, sed, inspecto bono communi, omnibus similiter impeditis gratiam jubilæi concedant absque visitatione Romana instituenda.

Diximus *partim*, quia Pontifices indicant et aliam causam finalem, bonum nempe commune promovendum orationibus bonisque operibus personarum privilegiatarum, ut luculenter apparet ex sequentibus Pontificum verbis : « Horum nos fidei ac desideriis favere, ait Benedictus XIV, nec non spiritualibus indigentiis consulere, *simulque pias preces supplicationesque eorum om-*

(1) Benedicti XIV constitutio *Paterna charitas*.

(2) Cum verbis Urbani VIII citatis confer præsertim textum præcitatum Leonis XII, qui tamen dicit se constitutioni Benedicti XIV *Paterna charitas* « plane inhærere ».

nium, inter quos Evangelicæ perfectionis sequaces animæ, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur, Nostris congregatæque Nobiscum Fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam Omnipotentis Dei misericordiam, adjungere cupientes... (1) » — Et Leo XIII: « Quæ quidem relaxatio atque benignitas non istorum tantum necessitati aut utilitati prospiciet, sed *in communem omnium salutem redundabit. Conjunctis enim tot hominum precibus et lacrymis, quos vel innocentia vitæ et religionis ardor, vel pœnitentia, vel calamitas segregavit a ceteris, divinæ misericordiæ placandæ spem licebit multo validiorem fovere* (2). »

Censemus igitur ab omnibus præfatis personis nihil aliud requiri, quam ut verificetur impedimentum a Pontifice specificatum, ut habeant *intentionem* lucrandi jubilæum et opera ad hoc injuncta rite adimpleant.

Quodsi nobis objiciatur auctoritas non spernenda tot auctorum primæ sane notæ, respondemus: a/ e medio tollendos esse — legionem omnino prævalentem — illos qui scripserunt ante Benedictum XIV (3), simul cum Theodoro a S. Spiritu (4) et Collet (5), qui unice provocant ad constitutiones Pontificum Benedicti XIV prædecessorum; b/ quærendo utrum auctores posteriores non plus æquo passi sint influxum doctorum antiquiorum, quorum auctoritati multum deferunt (6); c/ opponendo eis plurium silentium, quod negationi fere æquivalet, quia qui non requirit aliquam conditionem, eo ipso ejus necessitatem negat (7). Tandem ampl. D. Planchard (*Nouv. Revue Théol. Française* 1899, p. 738) sententiam negantem ex professo docet.

---

(1) Const *Paterua Charitas*, l. c.

(2) *Æterni Pastoris* (suprà p. 42).

(3) V. g. Amort, Bellegambe, Gobat, Schmier, Viva, etc.

(4) *Tractatus de Jubilæo*, c. VII, n. 3., anno 1750 editus, sed jam anno 1749, adeoque ante bullam Benedictinam, approbatus.

(5) *Traité de Jubilé*, t. II, ch. IV, n. III.

(6) V. g P. S. Minderer. *De indulg. et jubilæo*, t. II, p. 497 (ed. 1764); J. Loiseaux. *Traité du Jubilé*, l. c.

(7) F. Zaccaria. *Dell' Anno Santo* (Roma, 1824), t. II, lib. III, c. V, § 2, p. 141-159; *Revue ecclés. de Metz*, 1900, p. 12.

§ II. *De operibus injunctis ad jubilæum lucrandum.*

A. **Generalia requisita.**

1° Ante omnia necessaria est *intentio* lucrandi jubilæum, sed sufficit virtualis.

2° Oportet omnia opera injuncta devote et personaliter *rite adimplere* quoad tempus, modum, finem, prout exprimitur in concessionis documento. « Quodsi unum ex operibus injunctis vel in toto vel in parte notabili ex ignorantia, negligentia vel impotentia omittatur, si qua ex conditionibus temporis, loci, etc., quocumque motivo non servetur, excepto casu legitimæ commutationis, indulgentia non acquiritur. » *Raccolta*, ed. 1898 p. VIII.

3° Quamvis disputetur utrum in statu peccati mortalis constitutus non valeat aliquam indulgentiam lucrari in suffragium animarum purgantium (cf. Decr. S. Cong. Indulg. 22 Febr. 1847), absque dubio ad lucrandam jubilæi indulgentiam requiritur *status gratiæ* saltem quando ultimum opus perficitur, in quo indulgentia acquiritur (Bened. XIV, const. *Convocatis* n. 47 et *Inter præteritos* §§ 73-76). Summopere tamen suadendum est ut omnia opera in statu gratiæ peragantur.

4° Indulgentiam jubilæi sibi comparare nemo potest, faciendo *opera ad quæ ex alio titulo obligatur,* nisi Romanus Pontifex hoc expresse concedat (Bened. XIV, *Inter præteritos*, § 53). Hujusmodi autem concessionem non habemus pro hoc jubilæo.

5° Opera præscripta non debent peragi eo *ordine* quo indicantur in bulla, sed unusquisque ea perficere potest ordine qui ipsi placuerit.

B. **Opera specialiter injuncta** pro jubilæo anni 1900 consequendo sunt 1° confessio, 2° communio, 3° Basilicarum Romanarum visitatio cum precibus ad intentionem Romani Pontificis, nisi quis obtinuerit visitationum dispensationem (vi bullæ indictionis) vel commutationem (juxta constit. *Æterni Pastoris*).

1° *Confessio.* — « Cum confessio sacramentalis in

hoc jubilæo sit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo qui solis peccatis venialibus teneatur, si hoc lucrari jubilæum velit. » (BENED. XIV. Const. *Convocatis* n. XLVI. Cf. *Inter præteritos*, §§ 77-78).

« Si quis post confessionem peractam in lethale peccatum, quod Deus avertat, inciderit, antequam omnia omnino opera pro Jubilæo hoc lucrando injuncta expleverit, *confessionem denuo præmittere* debebit, priusquam ultimum saltem ex aliis injunctis operibus expleat, ut indulgentiam hoc jubilæo concessam consequatur. » (Ibid. n. XLII. Cf. *Inter præteritos* § 79).

Evidenter non sufficit confessio sacrilega. Non tamen requiritur *absolutio* sacramentalis v. g. pro illis personis qui nullum habent peccatum mortale confitendum et remittendum. Nam, juxta decr. S. C. Indulg. 20 Aug. 1822, 15 Dec. 1841 ad 2m, et 6 Maii 1852 ad 2m in fine, confessio quidem requiritur, non vero absolutio. Ab hac autem regula non est excipienda confessio jubilæi, nisi bulla concessionis expresse exigat absolutionem sacramentalem, quod non invenitur in bullis Leonis XIII. In hac confessione æque ac in alia oportet ut confessarius congruam imponat pœnitentiam sacramentalem quam pœnitens persolvere tenetur (BENED. XIV. *Inter præteritos* §§ 64-65).

Non sufficit confessio instituta in ordine ad satisfaciendum præcepto ecclesiastico vi cujus debet homo in peccato mortali constitutus semel saltem in anno confiteri. (Cf. suprà p. 135, n. 4).

2° *S. Communio.* — Requiritur ut sit simul spiritualis et sacramentalis, h. e. non mere spiritualis sed nec sacrilega. Licet unica communione possint fideles satisfacere præcepto Paschali et lucrari indulgentiam plenariam consuetam, id tamen non sufficit ad acquirendam indulgentiam jubilæi seu in forma jubilæi, ad quam « requiritur peculiaris confessio et communio » (Dec. S. C. Indulg. 1 Maii 1844).

3° *Visitatio Basilicarum et preces.*

a Omnibus communiter præscribitur ut visitent quatuor Basilicas Romanas, S. Petri nempe in Vaticano, S. Pauli in via Ostiensi, S. Joannis Lateranensis et S. Mariæ Majoris, quæ tamen visitari possunt eo ordine quo unicuique placuerit.

Visitatio hæc quatuor Basilicarum sumitur per modum unius stationis, saltem eo sensu quod omnes una eademque die visitari debent (BENED. XIV, *Inter præteritos*, § 11). Hæc autem series seu statio iteranda est, semel saltem in una die, per 20 dies continuas aut interruptas ab illis qui Romæ degunt cives aut incolæ (1), per dies vero 10 ab illis qui Romam peregre veniunt.

Verum unicuique liberum est, et quidem singula vice, sequi vel diem naturalem, a media nocte ad mediam noctem, vel diem ecclesiasticam, a primis vesperis ad solis occasum diei insequentis (2). Quum autem dies naturalis partim concurrat cum die ecclesiastica sequenti, posset quis, absoluta jam priori serie quatuor visitationum in una die naturali v. g. 6ª Martii, sequentem seriem sive partim sive totaliter instituere post ejusdem diei naturalis horam qua incepta jam censetur dies ecclesiastica insequens (festum S. Thomæ) (3). Non posset tamen in hac 7ª Martii ante vesperas perficere tertiam seriem.

Requiritur ut visitatio fiat *devote* « consilio atque animo exhibendi honorem Deo aut Sanctis ejus; ut tam in itinere quam in eas (ecclesias) ingrediendo, modeste incedatur, atque in hisce aliquis actus religionis exerceatur. Ex quo deduci potest quod si quis nullo pio fine, sed mera ductus curiositate visitatum ecclesias se coniert, aut animi relaxandi, seu quod dicitur, deambulationis habendæ gratia, iter conficit, jubilæum minime consequitur ». (BENED. XIV, *Inter præteritos*, § 76).

---

(1) Quinam illi sint, vide ap. BENED. XIV, *Convocatis* n. XLIV.

(2) BENED. XIV, *Inter præteritos*, § 13.

(3) Cf. *Nouv. Rev. Théol.* VII, p. 174.

Ecclesiarum visitationem comitentur oportet piæ *preces* quæ vocales sint et recitentur ad intentiones a Romano Pontifice in bulla (p. 44) expressas. Hos fines tamen orans non debet distincte et explicite præ oculis habere: sufficit enim orare generatim « ad intentionem Romani Pontificis » (S. C. Indulg. 12 Jun. 1847).

b/ Cum illis qui *in ipso itinere præpediuntur* (suprà p. 129, sub A), super visitationes nondum factas, Romanus Pontifex, ratione « piæ eorum voluntatis », ita liberaliter dispensat ut loco visitationum et precum nihil addere jam debeant, et jubilæum lucrari valeant, dummodo rite confessi sint et S. Communione refecti.

c/ Personæ autem *privilegiatæ*, in constit. *Æterni Pastoris* enumeratæ (cf. p. 129, sub B), etiam eximuntur ab obligatione visitandi Romanas Basilicas, sed in subrogationem visitationum debent peragere « alia religionis, pietatis, charitatis opera » ipsis apostolica auctoritate injungenda.

Hanc autem commutationem « juxta singulorum statum, conditionem ac valetudinem ac loci et temporis rationes » pro sibi respective subditis, facere possunt ac debent, sive per se sive per prudentes confessarios, extra Urbem, Episcopi aliique locorum Ordinarii vel Prælati regulares. « Hujusmodi autem (commutandi) auctoritas... ad visitationes Basilicarum restringitur, ac proinde ad alia opera injuncta nec potest nec debet extendi; exempli gratia, ad confessionem, ad communionem aut etiam ad preces, quæ a Basilicarum visitatione separari possunt. » (Bened. XIV, *Inter præteritos* § 53). (1)

Si quis autem jam inchoatis illis operibus quæ in locum visitationum subrogantur, morbo opprimatur, indulgentiam jubilæi nihilominus acquiret, quin opera subrogata perficiat, dummodo rite confessus, sacram

(1 Pro diœcesi Brugensi, cf. litteras Rev^{mi} D. G. J. Waffelaert Episcopi Brugensis, datas die 15 Dec. 1899.

communionem suscipiat et oret ad intentionem Romani Pontificis. Const. *Æterni Pastoris*, suprà p. 45.

(Sequetur). C. C.

E Sacra Pœnitentiaria

Utrum qui ratione infirmitatis excusati sunt a lege abstinentiæ, possint in diebus jejunii carnes simul et pisces edere.

Eme Princeps, (1)

Titius ægrotans indiget, jejunii diebus, non solum plures sumere refectiones, sed imò carnes comedere; poterit-ne *simul* piscibus uti?

Mihi videtur affirmative respondendum. S. Officium (die 23 Jan. 1875) obligat *ad non permiscendas epulas* etiam illos qui « *carnes sumunt vi indulti*, et non tantum *eos* qui jejunant »; remittit ad Decretum diei 24 Martii 1841, ubi « etiam ii qui excusantur *ab unica comestione propter impotentiam vel laborem*, edunt carnes *vi indulti* et proinde tenentur *ad non permiscendas epulas* ». Non loquitur de iis qui edunt *carnes* ob morbum; unde sinit supponere vel permittit credere quod ii qui edunt carnes non vi indulti, non tenentur *ad non permiscendas epulas*.

Hanc opinionem tenent Ballerini-Palmieri, Op. Mor. T. II, tr. VII, n. 26 (editio 2.ª p. 797); Génicot (Prof. Lovanien.) T. I, n. 444 (edit. 2ª); D'Annibale, T. III, n. 138 (editio 3ª); Bucceroni, Instit. T. I, n. 1607.

S. Purpuram reverenter deosculans, me profiteor.

Devotissimum filium in Xto
N. N.

18 Decembris 1898.

Sacra Pœnitentiaria, consideratis expositis, respondet: *Oratorem sententiam auctorum, quos citat, tuta conscientia sequi posse.*

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 9 Januarii 1899.

B. Pompili, *S. P. Corrector.*

(1) Ex italico versum.

Adnotatio: Hoc responso recedere videtur S. Pœnitentiaria a disciplina severiori quam tuebatur olim, dum ad quæsitum: « Utrum diebus jejunii tempore Adventus a Pio VI præscripti, permissis tamen lacticiniis, ei *cui propter infirmitatem licitus est esus carnium*, interdicta sit promiscuitas carnis et piscium? » die 8 Januarii 1834, respondit: « Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem ». Cfr. *Nouv. rev. théolog.* tom. XIV, p. 322.

Jurisprudence des Cours et Tribunaux

Règlement des funérailles — interprétation des dernières volontés du défunt — compétence du juge en référé.

—

I

Arrêt de la Cour de Cassation, du 3 Juillet 1899.

(*Pasic.*, I, p. 318 ss.)

Nous avons rapporté dans cette Revue (T. IV, p. 476 ss.), et commenté, le texte d'une ordonnance en référé du président du tribunal de Bruxelles, en date du 1er Avril 1899, décidant qu'un nommé J. L. devait être enterré religieusement, conformément à ses dernières volontés exprimées par la réception libre des secours de la religion.

Le procureur général, M. Mesdach de ter Kiele, déféra cette décision à la Cour de Cassation, à l'effet de la faire casser « dans l'intérêt de la loi, du chef de violation de ses dispositions et d'excès de pouvoir ».

« Le premier grief dont cette décision est susceptible, d'après M. Mesdach, consiste à avoir reconnu au défunt le droit de régler ses funérailles. Cette faculté excède ses pouvoirs, par le motif qu'elle doit recevoir son exécution à une époque où sa volonté aura cessé d'exister ».

Ensuite, « la nation se désintéresse des choses de religion ». Aux yeux de la loi civile, « il n'existe pas de droits religieux, rien que des intérêts ; d'où cette conséquence que le juge est tenu à la même discrétion, et comme il n'est institué que pour le règlement de *droits* en litige (civils ou politiques, Const. art. 92), il s'ensuit qu'en prescrivant des obsèques suivant un culte déterminé, il a franchi les limites de l'autorité judiciaire et s'est porté dans le domaine d'un autre pouvoir ».

La Cour de Cassation n'a pas admis les théories de M. le procureur général ; et, contrairement aux conclusions de celui-ci, elle a rejeté le pourvoi, et confirmé la thèse adoptée par le président du tribunal de Bruxelles dans l'ordonnance susmentionnée.

Voici le dispositif de l'important arrêt rendu par la Cour suprême :

ARRÊT.

LA COUR ; — Attendu que l'homme, maître de sa personne pendant la vie, dispose librement de sa dépouille pour l'époque où il ne sera plus et règle ses funérailles comme il l'entend, à condition de respecter les lois et les bonnes mœurs ;

Que cette faculté, dont l'exercice n'entraîne pas par lui-même et nécessairement disposition de biens, ne dérive pas du droit de tester ;

Qu'elle découle de la personnalité et de la liberté humaine ;

Que, bien qu'elle ne soit pas expressément reconnue et réglementée par la loi, elle a été de tout temps et universellement admise comme de droit naturel ;

Que, si elle a été formellement consacrée en France par une loi des 15-18 Novembre 1887, les auteurs de cette loi ont pris soin de déclarer qu'elle n'introduit dans la législation française aucun principe nouveau ;

Que le droit pour le défunt de régler le mode de ses funérailles constitue, en tant que manifestation de la liberté individuelle et de la liberté de conscience, non pas un simple intérêt moral, sans garantie et sans sanction, mais un véritable droit susceptible d'être poursuivi en justice ;

Attendu qu'en cas de conflit entre ceux qui se disputent le droit de présider à des funérailles, le juge doit assurer la stricte exécution des volontés du défunt, et que, lorsque celles-ci ont varié ou paraissent incertaines, il lui incombe de rechercher quelles ont été ses volontés dernières et définitives ;

Que, pour être obligatoire, la volonté du défunt ne doit pas se traduire expressément en une forme déterminée, mais qu'elle peut s'induire d'indices de toutes sortes dont l'appréciation est abandonnée à la prudence du juge ;

Attendu spécialement que le juge ne saurait se dispenser de cette vérification, lorsque le conflit porte sur le caractère civil ou confessionnel à donner aux obsèques ;

Que, loin de constituer un excès de pouvoir et la violation des intimités de la conscience, la recherche, dans ces circonstances, des sentiments ostensibles dans lesquels le défunt est mort et de ses volontés dernières au sujet du mode de ses funérailles, a pour but de garantir à sa personnalité, se survivant à elle-même dans l'expression de ses volontés suprêmes, la liberté de ses croyances ou de ses opinions, comme la liberté de concourir aux actes d'un culte ou de s'en abstenir ;

Attendu que, d'après les constatations de l'ordonnance dénoncée, feu J. L., qui par un testament du 17 Décembre 1897 avait institué un légataire universel et manifesté le désir d'avoir des funérailles civiles, est mort en 1899 « dans les croyances de la religion catholique, apostolique et romaine, après avoir reçu librement les secours religieux qu'elle procure à ses fidèles » ;

Attendu que, du fait ainsi constaté souverainement, l'ordonnance déduit que, d'après ses dernières volontés, le défunt a voulu des obsèques religieuses, et dispose en conséquence « que J. L. sera enterré et qu'il sera procédé à son service funèbre par le clergé catholique » ;

Attendu que le dispositif ainsi formulé n'emporte pas

injonction au clergé catholique d'avoir à prêter son concours aux funérailles de J. L.;

Que le juge des référés n'a pu ni entendu statuer qu'entre les parties en cause et sur le litige dont il était saisi;

Que le débat existait exclusivement entre les parents du défunt, qui prétendaient lui ménager des funérailles religieuses, et le légataire, qui voulait lui assurer des obsèques civiles;

Que le juge vide ce conflit en décidant que J. L. a voulu des funérailles religieuses et que ses parents sont, sous ce rapport, les véritables dépositaires de ses volontés dernières, ce qui implique pour ces parents, à l'encontre des prétentions du légataire, autorisation de faire procéder à l'inhumation et aux obsèques, à charge par eux de réclamer des ministres du culte un concours que ceux-ci demeurent libres d'acorder ou de refuser;

Qu'il suit de ces considérations que le juge des référés, en statuant comme il l'a fait, n'a pas commis d'excès de pouvoir, ni contrevenu à l'article 895 du code civil;

Par ces motifs, rejette...

II

Réduction d'un legs fait à un établissement public — droits de succession — fruits.

—

Arrêt de la Cour d'appel de Liège, 23 Juin 1899.

(*Pasic.* 1900, II, p. 43).

Il arrive fréquemment que le gouvernement, usant (et abusant) du droit de tutelle administrative qu'il exerce sur les établissements publics, réduit en faveur des héritiers légaux du testateur les libéralités faites au profit des dits établissements.

Nous ne ferons pas ici la critique de cette jurisprudence, laquelle, appliquée aux legs *pieux*, est manifestement contraire à la légalité et aux droits de l'Eglise; nous voulons uniquement signaler à l'attention des établissements institués, notamment des fabriques d'église, certaines décisions judiciaires qui les intéressent.

1° Lorsqu'un arrêté royal réduit, en faveur d'un héritier légal du testateur, le legs fait à un établissement public, cet héritier est tenu de payer les droits de succession au prorata de son émolument; et il ne pourrait être déchargé de cette obligation que si l'arrêté royal l'en exonère expressément. Arrêt cité, et arrêt de la même Cour, 29 Novembre 1897 (*Pasic.* 1898, II, p. 105).

2° La réduction, par le gouvernement, d'une libéralité au profit d'un établissement d'utilité publique, n'en modifie pas le caractère. En conséquence, elle n'enlève pas à l'établissement institué légataire universel le bénéfice de la saisine de l'hérédité entière, en l'absence d'héritiers réservataires. Partant, le dit établissement a droit à la jouissance des fruits et revenus de toute la masse successorale depuis le jour du décès du testateur jusqu'à la date de l'arrêté de réduction; et les héritiers légitimes n'ont aucun droit aux fruits et intérêts afférents, pour ce temps, à la portion qui leur a été attribuée par le gouvernement. Arrêt cité, et arrêt de la Cour de Cassation, 8 Décembre 1898 (*Pasic.* 1899, I, p. 44).

C. V. C.

Consultationes

I

An *singulis* dominicis diebus facienda est benedictio aquæ ante missam principalem?

R. Affirmative, saltem in ecclesiis in quibus fit aspersio Cleri et populi, et exceptis Dominicis Paschæ ac Pentecostes pro iis ecclesiis in quibus pridie benedictus fuerit fons baptismalis.

Quod responsum probatur ex Rubricis Ritualis et Missalis Romani. Rituale enim tit. VIII, cap. 2.

« *Ordo ad faciendam aquam benedictam* » ita disponit nº 1 : « *Diebus dominicis* et quandocumque opus fuerit, præparato sale et aqua munda benedicenda... sacerdos,.. primo dicit « *Adjutorium nostrum* » etc. (sequuntur preces recitandæ), et nº 4 : « *Post benedictionem aquæ* sacerdos *Dominicis diebus* antequam incipiat missam aspergit altare, deinde se et ministros, ac populum, prout in Missali præscribitur. »

In Missali autem sub eodem titulo : « *Ordo ad faciendam aquam benedictam* hæc leguntur : « *Die Dominica* in sacristia præparato sale et aqua benedicenda, sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus... primo dicit : « *Adjutorium* etc... *Finita benedictione* Sacerdos celebraturus.... accedit ad Altare... et primo ter aspergit Altare deinde se » etc. ; ex qua dispositione rubricæ Missalis, sicuti etiam Ritualis, clare eruitur aspersionem peragi debere cum aqua prævie *in ipsa Dominica* ab ipso Celebrante vel ab alio benedicta. Exceptionem autem pro Dominicis Paschatis et Pentecostes idem Missale (ibidem) statuit : « In die Sancto Paschæ et Pentecostes, ubi est Fons baptismalis, fit aspersio cum aqua pridie benedicta in Fonte Baptismi et ante infusionem Olei et Chrismatis accepta ».

Dicimus autem in responso : *saltem in ecclesiis in quibus fit aspersio Cleri et populi.* Quamvis enim plures auctores doceant eam benedictionem et aspersionem singulis Dominicis esse faciendam in omnibus ecclesiis, aliqui tamen (uti *Ephem. liturg.* anno 1895, p. 170) hanc obligationem limitant ad Cathedrales et Collegiatas ; vel (uti Schöber, *Cærem. Miss. Solemn.*, art. VI et Erker, *Enchiridion liturgicum*, Sect. IV, tract. 4, cap. 2) innixi etiam textui Cæremonialis Episcoporum lib. II, cap. 31, § 3 : « in omnibus Dominicis per annum *solet fieri* aspersio aquæ benedictæ », quæ verba præceptum strictum non important, docent juxta decretum 9 dec. 1878 *in Milwaukien.* aspersionem et benedictionem « præscriptam tantum esse ante missam conventualem, quando

hæc celebratur cum cantu et ministris ». Notat tamen Erker (l. c.) plerumque ex mandato Ordinarii vel ex consuetudine vigente fieri solere aspersionem etiam in ecclesiis non collegiatis ante missam principalem sive lectam sive cantatam. Quæ praxis in nostra Diœcesi obtinet saltem in ecclesiis parochialibus.

Quando autem vel ubi fit hæc aspersio, omnes conveniunt et benedictionem aquæ esse faciendam, seu aspersionem fieri debere juxta dispositionem Missalis et Ritualis cum aqua in ipsa Dominica benedicta.

Ubi vero aspersio omitti potest, omitti etiam forte poterit benedictio in Dominica, dummodo tamen hæc aliis diebus fiat « quandocumque opus fuerit » (Rit., l. c. n. 1), ut servari possit quod præcipit Cæremoniale Episcoporum lib. I, cap. 6, § 2 : « Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur » et ut juxta Rituale, l. c., n. 5, « christifideles possint de ista aqua benedicta in vasculis suis accipere et secum deferre ad aspergendos agros, domos, vineas et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et sæpius aspergi possint ».

H. V. D. W.

II

Quæritur quænam a confessariis potissimum sint attendenda, durante anno sancto 1900, circa disciplinam Reservationis et signanter circa *facultatem absolvendi a reservatis?*

R. I. Confessarii alias privilegiati, nempe qui ratione officii vel quovis alio titulo, ex concessione episcopali (1), facultate gaudent absolvendi a casibus et censuris tam Episcopo quam S. Pontifici etiam speciali modo reservatis, exceptis duobus casibus in Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ* relatis, confessarii, inquam, illi attendant dictam facultatem, vertente hoc anno sancto, *suspendi*,

(1) Idem valere pro facultatibus in Folio seu Pagella a S. Pœnitentiaria confessario concessis docetur apud *Collat. Brug.*, V, p. 61.

in quantum attingit a/ censuras in Constit. *Apost. Sedis speciali modo* R. P. reservatas, b/ censuras ibidem *simpliciter* R. P. reservatas, sed ita ut suspendatur dicta facultas pro casibus *publicis* tantùm, et c/ censuras post laudatam Constit. S. P. reservatas.

Ratio est quod potestas delegati non excedit potestatem delegantis. Jamvero, vi Bullæ *Quod Pontificum*, per decursum præsentis anni Jubilæi suspenditur facultas Episcopi relaxandi censuras quascumque Sedi Apostolicæ reservatas, salva firma remanente facultate, quam habet Episcopus *ex jure communi*, vi cujus, sic providente Conc. Trid., SS. XXIV, cap. *Licceat* VI, *De Reformatione*, collata Const. *Apost. Sedis*, § *Firmam*, subditos suos in diœcesi absolvere valet, per se vel per delegatum, à censuris in dicta Constit. *Apost. Sedis* S. P. *simpliciter* reservatis et *occultis*. Cfr *Tr. de cas. reserv.*, (ed. 1898) p. 15-16; *Collat. Brug.*, tom. V, p. 60.

II. Ad tramites ejusdem dispositionis restringenda sunt, pro toto hoc anno sancto, verba *Tr. de cas. res.*, p. 30, quatenus, casu quo postulatur facultas absolvendi ab aliquo casu reservato, petenda sit simul facultas generalis « ab omnibus aliis casibus et censuris annexis, tam Episcopo quam R. P. reservatis, in decursu ejusdem confessionis occursuris ». Necessario scilicet excipiuntur, præter duos jam memoratos casus semper excipiendos, censuræ *speciali modo* reservatæ et reliquæ de quibus sub I.

III. Casu quo pœnitens in confessione exponat peccatum obnoxium hujusmodi censuræ, puta excommunicationi *specialiter* S. Pontifici reservatæ, quam pœnitens, positis ponendis, reipsa incurrit, frustra recurret confessarius ad Episcopum quasi hic per seipsum facultatem concedere valeat; sed pro opportuna facultate recurrendum est ad Majorem Pœnitentiarium.

IV. Attendatur sedulo integras et immutatas remanere *dispositiones juris communis* circa absolutionem a casibus et censuris *in certis adjunctis* impertiendam. Nimirum

1°/ *in articulo mortis* quivis confessarius potest, (directe) absolvere quosvis pœnitentes a quibuslibet casibus et censuris quomodocumque reservatis, non exceptis absolutione complicis et falsa denuntiatione confessarii, salvo onere imponendo sic absoluto a casu vel censura *speciali modo* R. P. reservata standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerit. Cfr *Collat. Brug.*, IV, p. 32.

2°/ *Extra periculum mortis:*

a/ *quoad censuras*, « in casibus *vere urgentioribus* in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiæ, super quo confessariorum conscientia oneratur » ; vel etiam « in casu quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro pœnitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis », cuilibet sacerdoti approbato licet absolvere, « injunctis de jure injungendis, a censuris *etiam speciali modo* S. P. reservatis (non exclusa absolutione complicis), sub pœna tamen reincidentiæ, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarium absolutus *recurrat ad S. Sedem* ». Decretum C. S. O. 23 Junii 1886, et 16 Junii 1897. Cfr *Collat. Brug.*, IV, p. 230 et seq.

Absolutionem a confessario datam nota esse *directam* (C. S. O. 19 Aug. 1891), et ulterius *circa recursum* imponendum adverte :

1/ potest recurrere pœnitens ad S. Sedem, nempe ad S. Pœnitentiariæ Præfectum per medium confessarium qui jam absolvit, vel per alium et etiam « per seipsum directe quando intercedit rationabilis causa, mentito nomine », sollicitando, si opus sit, « ut Emus Præfectus *in forma gratiosa* absque executore mandatum concedere dignetur ». Putzer, *Comment. in facultates Apost.*, n. 146 ad finem.

2/ « Quando neque confessarius (puta quia ad eum redire nequit pœnitens) neque pœnitens epistolam ad S. Pœnitentiariam mittere possunt et durum sit pœni-

tenti adire alium confessarium, in hoc casu licet confessario pœnitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis, *absque onere mittendi epistolam* ». Decr. C. S. O. 9 Nov. 1898. Quod ultimum tamen non valet, juxta decr. C. S. O. 7 Junii 1899 (apud *Nouv. Rev. théol.*, XXXI, p. 666), si pœnitens est *sacerdos*.

b quoad peccata *absque censura* reservata, puta falsam denuntiationem confessarii, præsto est, in casu urgenti, absolutio *indirecta*, juxta principia exposita apud *Collat. Brüg.*, IV, p. 30-31.

V. Omnibus confessariis approbatis concedit Rom. Pont. Leo XIII, in Bulla *Æterni Pastoris* (1), ut personas, a quibus in confessarios *prima vice* eliguntur in ordine ad indulgentiam jubilæi lucrandam, « absolvere possint a quibusvis peccatis etiam Apostolicæ Sedi *speciali modo* reservatis, *excepto casu hæresis formalis et externæ*, imposita pœnitentia salutari aliisque juxta canonicas sanctiones rectæque disciplinæ regulas injungendis ». Item excipiuntur duo casus comprehensi in Constit. *Sacramentum Pœnit.*

Episcopus autem Brugensis, in litteris 15 Decembris 1899, confessariis in diœcesi approbatis, relate ad eosdem fideles, pariter concedit « facultatem absolvendi a peccatis et censuris quibuscumque, Ipsi ex proprio statuto reservatis ».

Nota. Supra exposita de suspensione facultatum, durante Jubilæi anno, intelligenda sunt et moderanda juxta *declarationem* S. Pœnitentiariæ Apostolicæ 21 Dec. 1899, quæ sic habet:

« A pluribus locorum Ordinariis et Confessariis propositum est huic S. Pœnitentiariæ dubium:

An suspensio facultatum facta per Bullam *Quod Pontificum* (2), editam pridie Kalendas Octobris 1899, ratione Jubilæi, comprehendat, nulla facta exceptione, facul-

(1) Vide suprà, p. 42 et seq.
(2) Vide suprà, p. 47 et seq.

tates in folio typis impresso, a S. Pœnitentiaria Ordinariis (1) et Confessariis concedi solitas pro foro interno?

Sacra Pœnitentiaria, facta relatione SS. Dno N. Papæ Leoni XIII, declarat suspensionem hanc non extendi ad pœnitentes illos, qui tempore confessionis, judicio Ordinarii vel confessarii, *sine gravi incommodo hic et nunc ad Urbem accedere nequeunt* ». Cfr. *Revue ecclésiastique* de Metz, 1900, p. 11; *Acta S. Sedis*, XXXII, p. 320.

A. D. S.

Institutiones Theologiæ dogmaticæ, Auctore Petro Einig, S. Th. et Ph. D. ejusdem S. Theologiæ in Seminario Trevirensi professore. — Treveris ex officina ad S. Paulum.

Hujus operis quatuor jam Tractatus prelum reliquerunt, nempe *De gratia divina* (Mark 2,80), *De Deo Uno et Trino* (Mark 2,80), *De Deo Creante et Consummante* (Mark 3,00). *De Verbo Incarnato* (Mark 3,20); quibus operibus auctor sacram Theologiæ doctrinam ordine dicendorum logicæ omnino consentaneo exponit, ac dilucide, copiose, argumentis solidis pertractat atque defendit.

In *thesibus* proponit auctor illas veritates quæ fere omnes ad ipsam catholicam doctrinam pertinent; in *corollariis* vero et *scholiis* ulteriores dogmatis explicationes, ex. gr. explicationem simplicitatis Dei, distinctionis divinorum attributorum, scientiæ divinæ, cooperationis Dei in operibus creaturarum, unionis hypostaticæ in Christo, libertatis Christi, etc. Quæ methodus omnibus non placebit, nec sine ratione: etenim illæ maxime philosophicæ dogmatum elucidationes improprie omnino vocantur *corollaria* dogmatum, illæ præsertim circa quas

(1) Hæ facultates, quales habet Episcopus Brugensis a Pœnitentiaria ad quinquennium concessas, exhibentur in *Libro Manuali*, p. 177.

magna viget inter doctores controversia, nec etiam recte vocantur *scholia*. Præterea auctor aliquando nimia quadam brevitate notiones philosophicas proponit et sententias exinde sequentes, ita ut illæ non penitus pertractentur nec in tota sua luce appareant: quæ tamen res est maximi momenti præsertim quando agitur de manuducendo in acquirenda theologiæ *scientia*. Interdum etiam desideratur ulterior interpretatio verborum S. Thomæ quæ sola plerumque refert auctor in demonstratione *ex ratione*, quamvis optima Aquinatis loca elegerit. Quapropter illa quæ dicitur theologia *scholastica* minorem forsitan quam par est, in his operibus habet partem. Hanc tamen se callere ostendit auctor eo quod dilucide varias sententias indicat quamvis non evolvat, suamque opinionem necnon et rationem qua probatur. Ideo etiam sub hoc respectu utillima evadit horum tractatuum lectio theologo qui in his quæstionibus jam versatus est.

Maximæ autem æstimationis digni sunt illi tractatus quoad illud theologiæ munus quod vocatur pars *positiva*: qua in re uberrimos nobis auctor communicat fructus amplæ suæ eruditionis, recti perspicacisque judicii. Theses omnes clarissimis proponuntur verbis quorum significatio, ubi requiritur, ante demonstrationem nitide determinatur. Ad demonstrationem ex S. Scriptura, loca plura sapienter selecta affert auctor et ita proponit ut vis argumenti appareat. Traditio quoque Ecclesiæ ostenditur magna textuum segete ex variis SS. Patrum operibus accurate quæsitis et perpensis. Necnon præcipuas, vel ex S. Scriptura, vel ex Patribus, vel ex hæreticorum etiam hodiernorum operibus, objectiones exponit auctor atque solvit; nec omittit plura explanare dicta quæ in Patribus inveniuntur difficiliora intellectu. Illis quas enumeravimus dotibus ita eminent opera de quibus agimus, ut mirum non sit si summopere a doctis viris laudata fuerint ac commendata: quod ipse Summus Pontifex Leo XIII in epistola quam auctori misit testatur his verbis: « Iis enim doctrinæ ordinisque dotibus,

eoque verborum ac sententiarum vi et perspicuitate exornari passim censentur (quatuor de Institutionibus theologicis volumina), ut opus non egregiis modo suffragiis prosequantur viri eruditi, sed cleri etiam alumnis, qui in religionis et studiorum spem succrescunt, nec parum nec semel commendare soleant. » Optamus igitur ut illæ *Institutiones* a studiosis theologiæ legantur quippe qui copiosum ex illis accipient fructum.

J. V. D. M.

Gewijde geschiedenis in verband met den Mechelschen Catechismus bewerkt door *D. Sieuw*, Pastor, Gediplom. Onderwijzer. (2e uitgaaf). Bij J. Dooms, Drukker, Iseghem. (262 bladz.) 1 ex. fr. 0,70; 25 ex. fr. 15,50; 50 ex. fr. 30,00; 100 ex. fr. 58,00.

Hoc opus multo favore fuit exceptum, ejusque prima editio, tria millia exemplarium complectens, unius anni spatio, exhausta est. Nec mirum: nam accuratissime etsi compendiose integram historiam biblicam exhibet, hancque edocendi pueros optimam proponit methodum, atque ejus facta ad singulas catechismi lectiones scitè applicat. Cum autem historia biblica pars integrans instructionis religiosæ sit habenda, apparet quantum adjumentum hujusmodi liber afferat omnibus, quibus pueros in doctrina christiana instituendi munus est demandatum.

H. V. D. B.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis.

—

I

Explana Jac. II, 10: *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

II

Demonstra Christum peccare non potuisse.

III

Inter dispensationes matrimoniales aliæ dicuntur valere *pro foro externo*, aliæ autem *pro foro interno:* utriusque termini sensum expone.

IV

Expone in quo consistat *sanatio in radice* matrimonii invalide contracti, et indica quomodo distinguatur a convalidatione per *simplicem dispensationem.*

V

Tempore missionis, Titia uxor, confessionem generalem instituens, inter alia peccata confitetur se ante matrimonium carnaliter fuisse cognitam a fratre mariti sui, seque illud crimen, etiam comparti ignotum, nunquam sive intra sive extra confessionem cuiquam revelasse.

In hypothesi quod pœnitens sit nullitatis matrimonii conscia, quæritur 1/ an et quare procuranda sit a confessario convalidatio dicti matrimonii, 2/ an et quare ope sanationis in radice, an vero ope simplicis dispensationis?

VI

Titius, lectione pravorum librorum, etiam hæreticorum, tam in fide quam in moribus ruinam passus est. Plura fidei catholicæ dogmata pertinaciter negavit; rem præterea habuit cum Bertha, cui, quum conceperit, pharmacum abortivum ministravit; quam ob causam a fratre Berthæ ad duellum provocatus, pugnam iniit, et in conflictu fuit vulneratus. Currente Anno Sancto, Caio vicepastori illum invisenti mentem pandit ad meliorem frugem redeundi, ipsique delicta confitetur, et absolutionem petit a censuris quas incurrit. Age partes Caii.

*
* *

Nota: « Dilecto Clero nostro denuo et instanter commendamus assiduam Conferentiarum ecclesiasticarum frequentationem, eique in memoriam revocamus monita nostra diei 15 Octobris 1898 (*Coll. Brug.* T. III, p. 605). Haud rarò contingit sola ad nos transmitti responsa scripta diversorum membrorum Conferentiæ, nulla relatione facta habiti conventus; volumus ut amodo Secretarius circuli brevem annectat hujusmodi relationem, in qua nomina eorum qui *ipsis discussionibus* interfuerint consignet, addita causa, si norit, ob quam aliquis forte abfuerit. » *Epist. Illmi ac Revmi Episc. Brug. d. d. 10 Febr. 1900,* ad VIII.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii 1900 propositas.

—

I

Q. Explana Job XIV, 11: *Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat*: 12 *Sic homo cum dormierit, non resurget; donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.* Locum hunc compone cum Job XIX, 25-27.

R. Sensus esse videtur: Quemadmodum mare (lacus) et fluvius dilapsis aquis perpetua siccitate laborat, ita homo, cum mortuus fuerit, non resurget unquam ad hanc vitam mortalem altera vice in terris degendam.

Hanc interpretationem commendant sequentia:

1° *Cœlum* nunquam desinet esse, sed erit perpetuum. Quamvis enim in sæculorum consummatione sit innovandum, nunquam tamen peribit. (Cf. Ps. LXXXVIII, 30; CXLVIII, 6; Jerem. XXX, 35; necnon Ps. CI, 27; Is. LXV, 17; LXVI, 22; Matth. XXIV, 35; Rom. VIII, 21; II Petr. III, 13; Apoc. XXI, 1.) Unde verba: *donec atteratur* (hebr. *donec non* erit) *cœlum, non evigilabit*, magna cum emphasi significant hominem *nunquam* evigilaturum.

2° Hisce verbis declarat Job hominem, si cum arbore confertur, pejoris conditionis exsistere. Ait enim v. 7: *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant.* 8 *Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius,* 9 *ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est:* 10 *Homo vero cum mortuus fuerit, et nudatus atque consumptus, ubi quæso est?* Ad hanc porro quæstionem respondens pergit v. 11: *Quomodo si recedant*

aquæ... 12 *Sic homo*... Totius autem hujusce loci sensus maxime obvius ac naturalis est: arborem, etsi præcisam aut etiam mortuam, revirescere ac reviviscere, hominem contrà vitam *hanc* semel amissam recuperare nunquam.

3° Favent etiam alii loci omninò similes, ubi Job hujus, quam in terris degimus, vitæ iterationem negat. v. g. VII, 7-10: *Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona. Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, et non subsistam. Sicut consumitur nubes, et pertranseit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus.* Hisce verbis Job nihil aliud significat quam hominem non reverti *ad statum præsentis vitæ*. Idem asserit X, 21; XVI, 23. Hoc nimirum argumento utitur ad divinam miserationem commovendam, ne Deus addat flagella, cum *hanc vitam* homo semel tantùm vivat.

Ex hac interpretatione liquet Jobum hic non loqui de hominis sorte et conditione in altera vita, neque ullo pacto negare aut in dubium vocare resurrectionem corporum, quam contrà postea disertè adstruit dicens: *Scio enim quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum* etc. XIX, 25-27. Neque necesse habemus recurrere ad expositionem eorum qui volunt præsentem locum agere quidem de resurrectione carnis, sed nihil aliud significare quàm hominem *tantum non resurrecturum, donec duret status præsens*. Quam explicationem sic proponit Estius: « Significat ergo Job hominem non resurrecturum quamdiu durabit hic status mundi (*donec atteratur cœlum*); quando autem hic status mutabitur, tunc et hominem mutandum per resurrectionem ad immortalitatem. » Et hæc quidem profectò sententia præsentem locum egregiè componit cum XIX, 25-27, verùm propter argumenta supra allata prior sententia magis in Jobi mentem quadrare videtur.

G. V. D. P.

II

Q. Expone quid significet nomen affectus seu *passiones* animi et utrum fuerint hujusmodi passiones in Christo.

R. I. 1/ *Proprie* loquendo et secundum usum communem per affectus seu *passiones animi* designamus actus appetitus sensitivi; 2/ *metaphorice* loquendo eodem nomine interdum significamus actus appetitus rationalis, nempe voluntatis.

Explicatur hæc responsio: *de facto* supra dictam appellationem sensu indicato usurpari facile constat ex lectione philosophorum et theologorum. Interest autem ut exponatur *qua ratione* actus appetitus vocentur *passiones*.

1 Passio, proprie dicta, invenitur in motu alterationis scilicet in transmutatione corporali, quando nempe in subjecto (patiente) recipitur aliquid et simul abjicitur contrarium. Jamvero aliquid recipi cum contrarii abjectione contingit dupliciter. Quandoque enim recipitur in subjecto id quod ei est conveniens et abjicitur disconveniens: sicut cum corpus animalis sanatur dicitur pati, quia recipit sanitatem ægritudine abjecta.

Alio modo quandoque e converso contingit: sicut ægrotare dicitur pati quia recipitur infirmitas sanitate abjecta. Et hic est *propriissimus* modus passionis. Nam pati dicitur ex eo quod aliquid trahitur ad agentem: quod autem recedit ab eo quod est sibi conveniens et recipit id quod sibi est disconveniens, maxime videtur ad aliud trahi. (Ita fere S. Thom. *De Veritate*, q. XXVI, a. 1, et I-II, q. XXII, a 1.) Ergo passio propriissime accepta est « motus alterationis quo scilicet removetur patiens a convenienti dispositione et transmutatur in deterius, incipiens corrumpi » Billot, *De Verbo Incarnato*, Thes. XXIII, II.

Jamvero in corporeis *sensitivis* duplici modo habetur passio mox definita: uno modo per læsionem corporis:

quæ læsio percipitur sensu tactus: talis passio habetur v. gr. quando caro laceratur vel organum irritatur, sicut quando homo flagellis cæditur, esurit, etc.: hæc passio quia principalius habetur per hoc quod corpus perturbatur, vocatur *corporalis*. Altero modo habetur passio quando alteratur homo, absque læsione organorum, per motus appetitus sensitivi qui fiunt cum disconvenienti transmutatione humorum et spirituum vitalium vel sanguinis: ex illius enim appetitus affectionibus motus cordis intenditur aut remittitur: « et ex hoc illæ operationes animæ quas vocamus ejus passiones, habent rationem et nomen passionis. » Cajetanus, *Comm.* in I-II, q. XII, a. 1. Talis passio, quia habetur per operationem quæ principalius est animæ quam corporis, vocatur *animalis* (1).

Ergo motus appetitus sensitivi sunt passiones propriissime dictæ; et in usu communi per nomen passiones, quando nulla additur determinatio, designantur potius passiones *animales*, quam corporales.

2. Tandem propter effectus similitudinem quæ viget inter sensitivi et rationalis appetitus operationes, *metaphorice* vocantur passiones etiam actus voluntatis: in exercitio talium actuum *per se* nulla habetur passio h. e. alteratio corporalis; ergo tales actus non sunt passiones proprie dictæ: sed quia habetur effectus similitudo inter illum qui *vult* bonum et illum qui sensibili appe-

---

(1) Inter passiones animi propriissime dictas seu animales quædam magis etiam quam aliæ rationem *passionis* verificant: sunt illæ passiones « quæ ad pejus declinant. Declinant autem in pejus mutationes illæ quæ sunt materia passionum consistentium in fuga seu retractatione, ut timor et tristitia, *quam* illæ quæ sunt materia passionum consistentium in extensione seu prosecutione, ut amor et lætitia: quia vita humana consistit in vitali extensione cordis ad totum corpus. Et propterea in littera dicitur quod tristitia habet magis rationem passionis quam lætitia: ista enim præternaturalitatem (i. e. disconvenientiam) solam intensionis motus habet; illa ultra præternaturalitatem (i. e. disconvenientiam) remissionis motus, habet motum contrarium vitali extensioni cordis ad corporis partes » Cajetanus in I-II, q. XXII, a 1. Quot et quænam sint passiones animales exponit S. Thomas I-II, q. XXIII, a 4.

titu amat, ideo velle bonum vocatur amor: idem dicendum de aliis actibus voluntatis: velle malum dicitur odisse, velle vindictam, irasci, etc. Inde etiam actus voluntatis generatim sumpti vocantur passiones: sed ut patet hæc locutio est metaphorica.

II. 1/ Fuerunt in Christo passiones *corporales*. Etenim Christus veram assumpit humanam naturam: porro hujus naturæ proprium est ut possit corpus lædi et ut hæc læsio necessario sensu percipiatur: ergo hæc passibilitas in Christo agnoscenda est. Præterea Christus *actu* talibus passionibus subjectus fuit: tempore enim suæ vitæ mortalis sæpe læsiones carnis et organorum irritationes subiit quas sicut alii homines sensu percipiebat: Christus esuriit (Matth. XXI, 18), flagellis cæsus est (Marc. XV, 15), coronam spineam portavit (Jo. XIX, 5) clavis cruci affixus est (Jo. XX, 25; XIX, 18) etc.

2/ Fuerunt in Christo passiones *animales*, non tamen eodem modo quo sunt apud reliquos homines.

a/ Etenim in Christo utpote vero homine erat *appetitus sensitivus:* nam « Filius Dei humanam naturam assumpsit cum omnibus quæ pertinent ad perfectionem ipsius naturæ humanæ. In humana autem natura includitur etiam natura animalis, sicut in specie includitur genus. Unde oportet quod Filius Dei assumpserit cum humana natura etiam ea quæ pertinent ad perfectionem naturæ animalis: inter quæ est appetitus sensitivus,... et ideo oportet dicere quod in Christo fuit sensualis (h. e. sensitivus) appetitus. » S. Thom. III, q. XVIII, a. 2.

Præterea fuerunt in Christo *actus* appetitus sensitivi seu passiones animales. Etenim appetitus sensitivus necessario movetur ex hoc quod sensu et imaginatione aliquod ut bonum vel malum sensibiliter apprehenditur: atqui Christus, tempore vitæ suæ mortalis, plura certe sensibilia ut bona vel mala apprehendit imaginatione. Ergo talibus objectis connaturales (sed rationi semper

submissas) habuit in se passiones. Ita de doloribus sensibilibus tempore Passionis subeundis habuit Christus timorem (Marc, XIV, 33) et tristitiam (Matth. XXVI, 37 et seq.) sensibiles. — Sedulo autem notandum est quod non solum de objectis *in se* sensibilibus habuit Christus passiones animales, sed etiam de objectis *in se* intelligibilibus. Et sane propter unionem substantialem animæ rationalis ad materiam, quando homo aliquid intellectu apprehendit, habetur etiam congrua repræsentatio sensibilis in phantasia (imo hoc prærequiritur et a phantasmatibus abstrahit intellectus [agens] species intelligibiles): igitur quando homo actu apprehendit bonum vel malum intelligibile, habetur etiam sensibilis quædam repræsentatio hujus objecti cogniti in phantasia: consequenter ex actuali consideratione boni vel mali intelligibilis movetur etiam appetitus sensibilis (1): inde est quod omnes auctores, tristitiam Christi in horto exponentes, statuunt ejus objectum non fuisse tantum sensibiles dolores mox Christo patiendos, sed etiam peccata hominum: et de hoc objecto non erat solum tristitia in voluntate, sed etiam in parte sensibili. Idem dicendum de tristitia qua affectus Christus *flevit* super civitatem Jerusalem. (Luc. XIX, 41).

b/ Ad *modum* autem quo passiones animales fuerunt in Christo, notanda sunt quæ clare exponit S. Thomas: « Sciendum tamen est quod hujusmodi passiones (animales) aliter fuerunt in Christo quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad objectum: quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo, quantum ad principium: quia hujusmodi passiones frequenter in

(1) Voluntas propter imperium quod exercere valet in imaginationem et intellectum potest mediate excitare passiones animales; illæ passiones *consequentes* imperium voluntatis, dummodo objectum earum et intensitas sint conformia regulæ rationis, pertinent ad perfectionem operationis humanæ.

nobis præveniunt judicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis..... Tertio, quantum ad effectum: quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit; quia motus naturaliter humanæ carni convenientes sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conveniebant. » III, q. XV, a. 4.

3. Fuerunt in Christo passiones *metaphorice* dictæ, nempe motus voluntatis consequentes apprehensionem intellectivam boni et mali: Christus enim, quatenus verus et perfectus homo, perfectam habebat in intellectu cognitionem boni et mali et consequenter in voluntate motus qui ad talem cognitionem connaturaliter sequuntur. Ita fuit in Christi voluntate *desiderium:* « desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum » Luc. XXII 15. Concludendum est ex hoc fuisse etiam in Christo *amorem:* amor enim necessario præsupponitur ad desiderium. Fuit etiam in voluntate Christi *tristitia*, ut ex supra dictis jam constat; et tristitia necessario præsupponit *odium* mali.

J. V. D. M.

III

Q. *Undenam oritur* obligatio gravis justitiæ *reddendi debitum conjugale comparti illud petenti?*

R. Matrimonium est contractus (inter christianos sacramenti dignitate adauctus), quo vir et mulier sese obligant, in ordine ad prolis generationem et educationem, ad mutuum usum corporis et ad indissolubilem cohabitationem, cum dicto fine necessario connexam.

Eo ipso *ex justitia* obligantur ad reddendum debitum conjugale, vi nempe contractus initi, quo traditur et accipitur *strictum jus* in mutuum corpus. Hac ratione

obligatio justitiæ proxime derivatur a contractu inito, sed ultimatim radicatur, sicut et ipse contractus, in fine ab auctore matrimonii primariò intento, prolium videlicet generatione et educatione: nisi namque una pars strictum jus haberet ut ipsi petenti debitum reddatur a comparte, profectò frustraretur ille finis, cum ad generationis opus utriusque partis conjunctio postuletur.

Nec ideo limitatur vindicatum jus et obligatio correspondens ad copulam, quæ hic et nunc *immediate* conducit ad procreationem, sed extenditur ad omnem actum conjugalem, quotiescumque petatur, etiam tempore prægnationis. Jus enim (non licentia tantum) ad hujusmodi carnalem commixtionem quovis tempore exigendam, si non *immediate* requiritur ad propagationem specici, saltem *remote* et reductive confert ad dictum finem proprium matrimonii consequendum.

Nimirum matrimonium instituitur in ordine ad prolem non tantum procreandam sed et rite educandam et instruendam, quod debite fieri nequit, nisi parentes indissolubili vinculo ad individuam vitæ consuetudinem adstringantur. Jamvero quis neget hanc cohabitationem, stante humana concupiscentia in libidinem provocante, fore periculis plenam et verum laqueum animabus injectum, nisi continuò præsto sit utrique conjugi remedium concupiscentiæ, quo opportuno tempore utantur: rursus autem non possent liberè ad illud remedium recurrere nisi habeant *jus* compartem ad copulam cogendi.

Profecto, eodem attento fine primario, restringitur conjugum dominium in mutuum corpus ad solam copulam exigendam *de se aptam generationi*, adeo ut nulla sit obligatio ad reddendum debitum modo ad procreationem de se inepto.

Porro adstructa obligatio justitiæ est *gravis*, ratione gravissimi rei momenti, a qua ipsa societatis conservatio et debita propagatio dependent. Supponitur autem debitum *exigi* a comparte, seu *ex rigore juris* peti.

A. D. S.

IV

Q. *Paucis expone principia quæ moderantur modum agendi confessarii erga uxorem virum habentem onanistam.*

R. Notio: Diversimode intelligitur *onanismus:*

1°/ *stricte dictus*, nempe copula habita in vase debito *cum retractu completo*, ante seminationem, ita ut semen effundatur extra vas. Nomen habet ab Onan, filio Judæ, qui, Gen., XXXVIII, 9-10, legitur illud crimen commisisse, propter quod « percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret ».

2°/ *late dictus,* scilicet copula in vase debito, quæ perficitur *absque retractu* sed adhibito vario artificio ut fœcundatio impediatur, signanter: a/ ope *pallioli*, uti vocatur, *anglici* (vulgò cap. angl. seu condom), quod consistit tenui quodam involucro quo induuntur virilia et intra quod semen recipitur; b/ ope *pessarii occlusivi* « quo nomine intelligitur parvum instrumentum, quod in vagina mulieris introducitur prope os uteri et quo introitus seminis virilis in uterum præcluditur » Aertnys, *Fasciculus theol. mor.*, p. 88; tandem c/ ope *siphunculi* seu irrigatorii, quo immediate post copulam e vagina semen eluitur; quod ultimum artificium non raro gallicè nominant: moyen de propreté.

Nonnunquam *abusive* onanismi arguitur copula peracta cum retractu *incompleto*, ita ut semen non profundatur sed in introitu vaginæ deponatur.

Principia.

1°/ Nunquam *ex justitia obligatur* uxor ad reddendum debitum conjugale viro petenti copulam quomodocumque *onanisticam.*

Ratio est quia, juxta dicta sub responso ad III^m^ quæst., non cessit dominium in corpus nisi in ordine ad copulam de se aptam generationi. (1)

(1) Non habemus sententiam affirmantem tanquam probabilem, non obstante auctoritate S. Alph., l. VI, n. 917, ad quam non pauci in responsis provocaverunt, et immeritò opponitur paritas cum casu de quo agit S. Doctor, n. 944.

2°/ *Nunquam potest* debitum *reddere* viro ipsam sollicitanti ad copulam habendam modo onanistico *late dicto*, ope nempe unius alteriusve ex descriptis artificiis. Importaret namque debiti redditio *immediatam* cooperationem ad actum intrinsece malum, et uxor participaret in actione mala, in quantum est inordinata, cum ipsa copula ab inchoatione et ex integro pervertatur. Oporteret igitur ut uxor in casu positive et physice resistat pro posse, non secus ac puella innupta quam invaderet stuprator.

3°/ *Potest* debitum *reddere*, viro petenti quem novit sese retracturum ante seminis resolutionem, sed id potest *gravi tantùm de causa* et *salvis quibusdam cautelis*.

Quod a/ reddere *possit* proportionata de causa, inde est quod « in proposito casu mulier, e sua quidem parte, nihil contra naturam agat, detque operam rei licitæ, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit » ; unde cooperatio non est *immediata* sed *mediata* dumtaxat. *Resp. S. Pœnitent.*, 23 Apr. 1822.

Quod *b*/ requiratur *gravis causa,* sequitur ex eo quod, *ratione cooperationis mediatæ* stricte dictæ ad peccatum mariti, requiratur ratio compensans malum effectum ad quem cooperatur uxor : est nempe actio male sonans, cujus inordinatio est abstergenda per causam proportionatam. (1)

Causa sufficiens est « si ex ejus (debiti) denegatione, male habenda sit a viro suo et grave inde incommodum sibi timere possit » *Resp. S. Pœnitentiariæ*, 15 Nov. 1816. (2)

---

(1) Principia circa cooperationem quæ hic applicantur, exponuntur ab Ill. ac Rev. Waffelaert, *Étude sur la coopération*, pp. 1-13.

(2) « Tunc autem... grave incommodum subiret uxor 1/ si mors, verbera aut graves sævitiæ timendæ sint, quæ ex circumstantiis personarum dijudicandæ sunt ;... 2/ si fundate timeat ne maritus concubinam in domo conjugali habeat et cum illa maritaliter vivat : vel etiam eam alibi frequentet vel ad meretrices accedat; — 3/ si certo sciat virum, ex

Cautelæ autem sunt: a/ ut *scandalum* amoverit coram viro protestando, in quantum opportune fieri potest, contra hujusmodi nefandum scelus; b/ ut cooperatio sit omnino *materialis*, adeoque oportet ut 1/ maritum nec directe nec indirecte (1) ad onanismum excitaverit, imo ut ipsum, omni quo par est zelo, a nefario hoc opere revocare conata sit, et 2/ ut ipsum opus detestetur nec ullo modo consentiat copulæ qua est onanistica, nec ejus qua talis delectationi, quamvis possit delectari de copula simpliciter, imo et de effectu secuto, detestata causa. Hac ratione secluditur cooperatio *formalis*, quæ nulla ratione esset legitimanda.

4°/ Potest etiam *petere* debitum a viro onanista, sed *graviori* de causa: in petitione enim continetur redditio, et ita cooperationi stricte dictæ, de qua sub 3°, accedit cooperatio *late dicta,* quatenus petitione sua influit in virum ut copulam exerceat quam prævidet fore onanisticam. Talis causa esset periculum vitandæ incontinentiæ.

Nota praxim, quam supra diximus abusive onanismum vocari, non esse illicitam saltem mortaliter, cum non sit *contra* naturam, siquidem generationem non impediat, sed *præter* naturam tantùm, seu luxuria secundum quid. Levi ergo ratione cohonestatur ita ut omni culpa vacet, modò in intentione positive non excludatur Matrimonii finis proprius, juxta dicenda infrà ad qu. V^m^.

En præcipuam *agendi normam* juxta quam pro opportunitate dirigendæ sunt uxores virum habentes onanistam, quibus regulis utinam morem gerant omnes! Sed eheu! non raræ sunt mulieres, etiam in nostris

---

repulsu iratum, blasphemias in Deum et in religionem vel verba scandalosa coram famulis vel liberis pronuntiaturum; 4/ si timendum sit divortium, vel separatio aut infamia aut grave scandalum; 5/ si timenda sint jurgia, rixæ, dissensiones frequentes... » *Nouv. Rev. theol.* IX, p. 326.

(1) *Indirecte* virum induceret uxor ad onanismum conquerendo de oneribus graviditatis, de periculo partùs, de liberorum numero, de egestate etc...

regionibus, cæteroquin bene morigeratæ, quæ prudenti interrogatione (1) deteguntur maritum ad onanismum inducere eique formaliter cooperari, non sane ex mera malitia sed prætextu numerosæ prolis quam alere negant sese idoneas, vel etiam ex timore mortis forsitan a medico imprudenter incusso.

A quo nefario proposito totis viribus dissuadere intendat zelosus confessarius, cui cæteroquin non desunt validissima momenta quibus, adjuvante Dei gratia, movere possit animam mulieris. Opportune nimirum præ oculis ponat abominandam inordinationem onanismi, quo directe et funditus destruitur finis a Creatore intentus cujus argumenti aculeum vel ipsi rudiores sentire coguntur (2); deterreat ipsas timore justæ vindictæ, quam, testante catechismo, jam hic in terris a divina Justitia provocant non tantum in seipsas, sed, quod forsan magis matris animum percellet, in proles carissimas...

Quodsi prætendant numerosiorem prolem vel egestatem, magnam fiduciam excitet in paternam Dei Providentiam, quæ curat vel de ipsis volatilibus cœli, quam Providentiam caveant ne mutent in vindictam et maledictionem, quam effugere non poterunt... quis enim est homo qui contra Deum sese erigat!

Miserandæ autem mulieri cui mors impendit ex proximo partu, animum addat ut, divinæ Providentiæ confisa, forti ac virili pectore paratam se exhibeat quæ, si

---

(1) Quoad interrogationes faciendas vel omittendas cfr Theol. Mechl., *De Matrimonio*, (ed. 1894), n. 45, qu. 6, collatis documentis ex integro relatis apud *Nouv. Rev. theol.*, XVIII, pp. 536-542.

(2) Seposita essentiali inordinatione indicata, valde perniciosa apparet onanismi praxis tum sanitati uxoris, ex eo quod ad organismi genitalium excitationem violenter subtrahatur naturale complementum, receptio nempe virilis seminis; tum maxime societatis prosperitati, uti innotescit ex pluribus computationibus præsertim in Gallia peractis. Cfr. inter alia, *Réforme sociale*, 1896, tom. XXXI, p. 338 et seq.; Fesch, *L'Année sociale*, 1898, pp. 284 et 516; Eschbach, *Disputationes Physiologico-theologicæ*, pp. 508-511 et 515-516.

opus sit, ex amore Dei, martyr occumbat officii sui. Cæterum non raro ab hoc periculo præcavebit partus acceleratus.

Si autem frustra in Domino compellantur nec possit ipsis consuli ut cum viro habitent uti frater et soror, quod rarissime expedit, caute insinuare licet, tanquam ultimum effugium, (1) ut non coeant nisi tempore *agenescos*, aliàs vero a copula abstineant. Cfr *Resp. S. Pœnitent.*, 16 Junii 1880. Porro tempus illud generationi minus idoneum currit, juxta Capellmann, *Medicina Pastoralis* (ed. 1898), p. 139, inter 14^m vel 15^m post fluxum menstruum et 3^m vel 4^m diem ante profluvium sequens. Notandum tamen illud remedium, non esse omnino efficax, uti experientia constat, cum ovulatio possit extra menstrui fluxus tempora provocari etiam per solum coitum, et cum semen videatur posse per plures dies in utero remanere fœcundum (2). Insuper non raro idem remedium inducet periculum incontinentiæ, et ut culpa vacent conjuges eo utentes, oportet ut non excludant positive finem generationis.

Tandem, si nec ita proficiat confessarius, jam non remanet nisi ut dimittat pœnitentem tanquam indispositam; quæ absolutionis dilatio, hic necessaria, nonnunquam utilis erit ac salutaris, qua de re prudentis confessarii est judicare, etiam emendationem pollicentibus iisque nondum recidivis, ut efficacius et promptius

---

(1) Merito nempe omittimus agendi rationem quam memorat S. Alph., l. VI, n. 948, necnon Ball.-Palm., VI, n. 613, juxta quam conjuges communi consensu incæptam copulam abrumperent seminationem cohibendo: quomodo namque hujusmodi fœditas practice non sit inchoata pollutio non intelligimus.

(2) Cfr. hic Eschbach, l. c., pp. 79-81, et Capellmann., op. citato, pp. 138-130, qui magis confidit efficacia hujus remedii et fæcunditati copulæ illo tempore habitæ tenuem tantùm probabilitatem agnoscit. Ex alia parte testantur AA. laudati haud semel falli onanistarum scelestem expectationem illisque proles nasci, uti dicitur « par surprise », cum seminatio interdum ex improviso inchoetur, quod ad fœcundationem sufficit. Ita Capellmann, l. c., p. 140; Eschbach, l. c., p. 513; cfr *Nouv. Rev. theol.*, XXXI, p. 599.

a nefanda illa praxi avertantur, præsertim quando agitur de prohibenda hac pestifera lue ab aliqua, cui immineat, regione.

Memor sit etiam confessarius regulæ generalis: *parce, caute et caste*, ut nonnisi necessaria et vere proficua, cum omni modestia et prudentia proponat.

A. D. S.

V

Q. *An, quantum et quare peccant conjuges actum conjugalem exercendo* propter delectationem?

R. I. *Non peccant* conjuges actum conjugalem exercendo *propter delectationem*, simul *principaliter intento fine operis* nempe generatione.

In hoc omnes conveniunt, et revera eo ipso quod Deus generationis operi adnexam esse voluerit delectationem, qua homines ad illud opus moveantur, nequit esse inordinatum quod homo ad copulam de se bonam peragendam, impellatur voluptate copulæ adhærente. Equidem Deus vult delectationem propter operationes et non e converso, sed ideo non prohibet quominus nos quæramus operationes propter delectationem (1).

II. Deficiunt *a perfectione* sed *non peccant* conjuges copulam exercendo propter delectationem, *quin attendant ad finem generationis cumve explicite intendant*,

---

(1) « Duplex est intentio instituentis naturam in ordine hujusmodi (nempe inter operationes et delectationem): una est prima et principalis, alia est secundaria. Prima et principalis est, ut individua et species per operationes conserventur et ad hoc operationibus adjuncta est delectatio. Secundaria est, ut quærant operationes ex appetitu delectationis... Sicut si diceremus quod lex proponens præmia studiosarum operationum, primo et principaliter intendit, ut homo studiosis operibus vacet et ad hoc ordinat præmium; secundario autem et accessorie intendit quod homo alletus præmio quærat propter præmium consequendum studiosas operationes ». Ita Ferrariensis, citatus apud Ballerini, *Opus Morale*, VI, n. 569; cfr. idem Ballerini, n. 552.

modò eum *positive non excludant* sed mere *præscindant ab eo.*

In hoc nobis jam contradicunt AA. non pauci, contendentes inordinationem positivam incurri non tantum ab illo qui *positive* excludit finem proprium, sed etiam ab illo qui *negative* se habet ad illum ab eoque præscindit, seu ipsum finem non intendit *explicita* intentione saltem virtuali. (1)

Porro ad hujus secundæ propositionis illustrationem hæc attendantur: Ultro concedimus in intentione Creatoris delectationem non proponi homini, nisi ut ipsi sit *motivum alliciens* non autem finis operis, cum finis operis sit propagatio generis humani; ideoque certo certius perverteretur ordo si copula ordinaretur in delectationem uti in finem proprium, *positive excluso* fine operis sive explicitè sive implicitè (2).

Imo ad *perfectionem* actionis et ad *perfectam* conformationem intentionis operantis ad voluntatem Creatoris postularetur ut conjuges *positive et explicitè* dirigant opus ad propagationem speciei tanquam in finem *primarium,* et, si delectationem intendant, eam non intendant nisi *formaliter et explicite* qua finem *secundarium.*

Atvero ad *meram honestatem* hoc ultimum non exigitur: sufficit nimirum ut relatio actus ad generationem

---

(1) « Qui in prædictis actibus (in actu conjugii, in actu manducationis vel potationis) alios fines honestos *neque excludens neque intendens* (explicite) unice quærit delectationem, inordinate profecto agit, et idcirco a culpa veniali non excusatur »; ad incurrendum culpæ reatum « necesse non est ut quis voluptatem quærens, quemlibet alium finem positive excludat.. , sed sufficit ut ad omnem alium finem negative se habeat » *Vindic. Alphons.*, p. 840.

(2) Excluderetur autem *explicite*, si quis expressa intentione propter solam delectationem ageret, inefficaciter tamen excluderetur si opus ipsum exerceretur ita ut aptum esset proprium finem suum attingere, efficaciter, si ita non fieret opus; *implicite* sed omnino efficaciter, si quis opus ita exerceret ut non sit aptum fini suo consequendo, sed solummodò delectationem producere idoneum sit, licet hanc unice non intendat expresse agens ». Cfr. Ill. ac Rev. Waffelaert, *De Temperantia*, n. 12; et *Collat. Brug.*, III, p. 368 et seq.

non excludatur positive. Eo namque ipso jam nequit dici ordinem et relationem perverti *positive* (quod ad peccatum requiritur), vel opus detorqueri a fine suo, vel hominem in bono delectabili tanquam fine in se quiescere, cum non excludat illam relationem ad proprium finem sed ab ea mere *abstrahat et præscindat*.

Imo ex eo quod non excludatur generatio, *implicita* intentione ab operante dirigitur opus in finem generationis tanquam in finem proprium. Etenim, uti docent Salmant., *De matrimonio*, cap. III, punct. III, n. 24, quotiescumque aliquis in contrahendo (vel copulam habendo) negative se habet « circa finem proprium matrimonii, aut quia ad illum non attenderet vel non recordaretur, vel de eo non curaret sed non excludendo eum », hoc modo « vere talem finem retinet, quià qui contrahit (vel actum conjugalem exercet) non excludendo finem matrimonii, *in ipsa intentione operis* vult finem illius intrinsecum quamvis ad illum non attendat; et sic quamvis ob alios fines matrimonium (vel copulam) sollicitet, hoc fit retento fine proprio illius ». Cfr. etiam Ballerini, *Opus Morale*, VI, nn. 551 et 552.

Pari ratione, qui actum ponit intendendo finem intermedium præscindendo a fine ultimo et ulteriori relatione operis ad eum, honeste agit et implicite ordinat suam actionem ad illum finem ultimum. Cfr. Bouquillon, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, n. 356.

Unde bonus est actus etsi a perfectione deficiens, sicut « actus bonus est si quis moderate comedat, non attendendo ad finem comestionis sed nec excludendo (positive) illum, etiamsi ex gustu et voluptate ad talem comestionem applicetur ». Salmant., op. cit., n. 33; cfr. Bouquillon, op. cit., n. 355 (1); *Collat. Brug.*, IV, p. 457 et seq.

---

(1) « Intentio boni proprii etiam delectabilis per se quidem nequaquam reddit actionem ratione finis malam, imo omnino cum recto ordine consentit, quamdiu voluntas in illo verum bonum prosequitur, nec in bono

Juxta hanc doctrinam passim excusantur a peccato *etiam veniali* conjuges, plerumque actum exercentes conjugalem concupiscentia impulsi et delectatione allecti, quin *explicita* intentione, etiam virtuali, vel intendant generationem prolis vel excludant; excusantur, inquam, *objective* quia deficit peccati materia, et non tantum *subjective*, ratione bonæ fidei, uti volunt Theol. Mechl., *De Matrimonio*, n. 48, qu. 6; Aertnys, *Theol. mor.*, II, n. 482. Cæterum cfr. de hisce *Ballerini*, l. c., nn. 551-591, arguens contra *Vindic. Alph.*, nn. 822-840.

III. *Peccant* actum conjugalem exercendo propter *solam* delectationem, *sensu exclusivo:* quando nempe ita intendunt voluptatem capere ut non modò non attendant ad finem operis seu negative se habeant ad generationem prolis, sed hanc *positive excludant* sive explicite sive implicite (1).

Uti nimirum abunde patet ex dictis sub II/, utrimque *inordinationem* incurrunt *positivam*, eamque *gravem*, si *implicite* seu ipsa positione actus generationis finem excludant, peragendo copulam modo de se ad generationem inepto, cum hæc inordinatio graviter et efficaciter ordinem socialem disturbet; *levem* vero, quando dictum finem excludunt *explicite* dumtaxat et inefficaciter, debite nempe ponendo opus conjugale sed expressa intentione nolendo speciei propagationem; inde enim ordo publicus societatis non læditur *graviter*. Excipe tamen si reponeretur finis *ultimus* in delectatione quo casu *gravis* evaderet inordinatio, cum eo ipso male se haberet homo ad finem ultimum ab eoque averteretur.

Hoc sensu *exclusivo* et non *præcisivo* intelligimus pro-

---

qua delectabili tanquam in fine in se quiescit. Nihilonimus respectus voluntatis ædemonisticus in actionibus cæteroquin bene ordinatis, gradum bonitatis moralis signat *non perfectum* sed *ratione finis perfectibilem* », juxta **Th. Meyer.**

(1) *Implicite* excludens generationis finem seu operans modo ad generationem de se inepto, convincitur sane agere propter *solam* delectationem, **etsi hanc unice, expressa mentis intentione, non intendat.**

[illegible] Innocentio XI, anno 1679, damnatum: [illegible] opera [illegible] [illegible] [illegible]

sit, præter Episcopi licentiam, tenebatur operum theologicorum in lucem edendorum facultatem a Prælato, cui subjacet, obtinere (art. 36).

3° Utrum vero peccaverit Caius, absque prævia Ordinarii venia, libellum peridiocum moderandum suscipiendo, non omnino constat. Plerique tamen auctores, nonnullis contradicentibus, censent prohibitionem paragraphi secundi articuli 42 *omnes* publicationes periodicas, etiam majoris molis, comprehendere. Cæterum, certo deliquit Caius, si Ordinarius idem prohibuerit.

4° Caius Ecclesiæ leges transgressus est absque venia perlustrando libros fidei morumve honestati haud conformes, dummodo agatur de libris qui sive speciali, sive generali Romani Pontificis vel proprii Ordinarii decreto proscripti fuerint. Notatim autem generales Ecclesiæ leges violavit, si perlustraverit libros, fidei haud conformes, acatholicorum quorumcumque ex professo de religione tractantes (art. 2 et 3); aut editiones textus vel versionum Sacrorum Bibliorum, si in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata *impugnentur* (art. 5, 6, et 8) (1); vel libros cujusvis auctoris ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes (art. 2), aut in quibus Deo, Sanctis, aliisque rebus sacris detrahitur, aut inspirationis conceptus pervertitur aut ejus extensio coarctatur (art. 11), aut superstitiones docentur vel commendantur (art. 12); vel libros qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur (art. 14). Pariter, si perlustraverit libros ex professo obscenos (art. 9), modo tamen non fuerint libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos *classicos* vocant (art. 10): hi enim Caio permitti videntur, qui ratione officii excusatur, utpote litteris, operibusque litterarum dijudicandis, dans operam.

(1) Hujusmodi editiones, si in prolegomenis aut adnotationibus dogmata non impugnentur, etsi errores contineantur, Caio permittuntur, utpote studiis theologicis operam danti.

II. Caius *pœnis* etiam canonicis *reus* est: et quidem

1° Si perlustraverit scienter libros apostatarum vel hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, excommunicationem ipso facto incurrit, Romano Pontifici speciali modo reservatam (art. 47).

2° Si ediderit S. Scripturæ adnotationes vel commentarios, incidit ipso facto in excommunicationem nemini reservatam (art. 48).

3° Quatenus alia decreta transgressus fuerit, canonicis etiam pœnis ab Episcopo coerceri potest (art. 49).

C. V. C.

Ordo Missæ

SEU

precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 109.)

—

62. « Deposito calice et adorato, prosequitur sacerdos sacram actionem canonis, et facta *reali* et *substantiali* oblatione victimæ per consecrationem, eamdem confirmat et perficit repetita oblatione *verbali*, nempe oratione quæ incipit: *Unde et memores*... et aliis subsequentibus, additis etiam sacris ritibus in eumdem finem: quæ omnia accidentalem addunt perfectionem et majorem ornatum sacrificio, qualis tum maxime decet dum in altari jam præsens est victima seu hostia vivens, sancta et Deo placens, videlicet ipse Christus sub accidentibus panis et vini » (1).

---

(1) Quarti, *Rubr. Missal. Rom.* P. II, tit. IX, n. 1. — Cfr. Gihr, *op. cit.* p. 314 sq.

Unde et memores... q. d. siquidem Christus, Filius tuus jussit hæc fieri in suî memoriam, *nos servi tui*, seu sacerdotes ministerio tuo addicti et consecrati, *sed et plebs tua sancta*, « fidelis scilicet et in Ecclesiæ gremio consistens, *sancta* non quidem actu, cum non omnes sancti sint, sed vocatione, debito et professione; quæ vel præsens adest sacrificio vel in unitate Ecclesiæ ubique degens particeps est sacrificii » (1); — *ejusdem Filii tui Domini Nostri Jesu Christi tam beatæ* (i. e. tam præclare beatificantis) *passionis necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis:* « Nominantur autem potius hic ista tria Christi opera, passio, resurrectio, ascensio, quam alia in dispensatione carnis assumptæ ab eo facta, quoniam plus cæteris faciunt ad complementum redemptionis et glorificationis humanæ. Passio namque Christi, pretium nostræ redemptionis exsolvit et mortem destruxit. Resurrectio ejusdem perditam reparavit vitam, nobisque resurgendi spem et fiduciam suggessit : si enim Christus resurrexit a mortuis (inquit Apostolus) et nos resurgemus. Ascensio verò in cœlum paradisi patefecit introitum, et nobis eum ingrediendi viam monstravit : ascendit enim (ut ait Propheta Mich. II) pandens iter ante nos. Itaque passio Christi principium est nostræ reparationis, resurrectio medium, ascensio verò finis et meta » (2).

63. *Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis et datis.* — Hæc verba *de tuis donis et datis* referri possunt vel ad panem et vinum, Dei creaturas et dona, quæ per consecrationem facta sunt nobis hostia digna quæ Deo offeratur; vel ad Christum in Eucharistia præsentem:

---

(1) Bona, *Rerum liturg.* lib. II, cap. XIII, § 3.

(2) Clichtov. in h. l. — Cfr. suprà n. 27 ubi ex Bened. XIV alia affertur explicatio. — Juxta alios, tria ista opera commemorantur ad fovendos in nobis sensus fidei, spei et charitatis : Passionis enim recordatio inflammat charitatem; Resurrectionis memoria fidem confortat; Ascensionis recogitatio spem corroborat. Ità Dion. Carth., *Expos. Missæ*, art. 32; Cavalieri in h. l.

nam et ipse rectissime Dei datum et donum dicitur, juxtà illud Isaïæ (IX, 6): *Filius datus est nobis;* et Joan. III, 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (1).

64. *Hostiam puram* etc. Hanc præsentis orationis partem egregie explicat Soto in IV *sent.*, dist. 13, q. 2, art. 5: « Christus offertur tanquam hostia *pura* ad differentiam sacrificiorum gentium quæ impura erant et corrupta: *Sancta* ad differentiam oblationum veteris Legis quæ non erant eatenus sanctæ, ut animam sanctificarent, sicut hæc nostra, quæ tollit peccata mundi; et ideo subditur *immaculatam,* ob id enim quòd Christus agnus fuit innocens, qui peccatum non fecit, tollit peccata mundi, quod est homines sanctificare. Est ergo hostia pura et purificans, sancta et sanctificans, immaculata et maculas tergens. Quod vero demum adjungitur: *Panem vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ*, definitio et explicatio est ejusdem hostiæ; ut enim sacerdotes veteris Legis de sacrificiis edebant, quibus vitam temporalem sustentabant, sic christiani esu et potu sacrosancti Sacrificii spiritualem atque adeo æternam salutem sibi comparant ».

65. Sacerdos prædicta proferens quinquies signum crucis producit super sacras species: quocirca animadvertendum cum S. Thoma (P. III, q. 83, art. 5) hasce signationes, secus ac illas quæ fiunt super oblata ante consecrationem, non habere vim benedictionis, cum sane inconveniens sit Christum, omnis benedictionis auctorem ac fontem, sub his speciebus præsentem, a sacerdote suo benedici; sed illas fieri ad significandum eamdem in altari adesse hostiam, quæ in cruce Deo Patri fuit oblata. « Nihil Ecclesia prætermittit quo in animis imprimat sacerdotum et astantium idem esse sacrificium altaris cum sacrificio crucis. Et sane cuperet ut præsertim sacerdotes sibi ipsi post consecrationem

(1) Cfr. Bellarm. l. c. cap. XXIV.

Christum Jesum objicerent animo immolatum in cruce... Atque ut ejusmodi oriatur effectus vult Ecclesia omne verbum, quod exprimat Corpus et Sanguinem Domini, cum signo crucis proferri quo declaratur hostiam et quod continetur in calice idem esse Corpus, quod cruci fuit affixum, et ipsum Sanguinem, qui in cruce effusus est. Crucis igitur signa, quæ post consecrationem ducuntur super hostiam et calicem, non sunt benedictiones, sed commemorationes virtutis et efficaciæ Sacramenti Eucharistiæ, quæ virtus profluit e sacrificio crucis, quod in Missæ sacrificio repræsentatur et continuatur » (1) — Quod autem numero *quinario* fiant hæ crucesignationes, juxtà S. Thomam l. c. ad 3m, aliosque plures doctores, id ad quinque sacratissima Christi vulnera memoranda refertur.

*
* *

66. *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris*, i. e. velis respiciens in hæc sanctissima dona, Corpus et Sanguinem Filii tui dilectissimi, quæ tibi offerimus, iram tuam peccatis nostris concitatam deponere, nostrique misertus ea *accepta habere:* fere in eumdem modum orat Propheta dicens: « Deus... illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri »; similiter petit Ecclesia ut Deus « *hilaritatem vultus* sui nobis impertiri dignetur » Miss. Rom. *Orat. ad diversa*, n. 17 (Postc.) — Uti plus semel jam observavimus, dum

(1) Bened. XIV, l c. cap. XXVI, n. 6. — Cfr. Lebrun, Part. IV, art. XI, § 1. — Bossuet, *Explic. de la Messe* § XLI, ubi aliam subjungit explicationem: « Les bénédictions qu'on fait sur le corps de J.-Ch. avec des signes de croix, ou ne regardent pas ce divin corps, mais ceux qui doivent le recevoir, ou que si elles le regardent, c'est pour marquer les bénédictions et les grâces dont il est plein et qu'il désire répandre sur nous avec profusion, si notre infidélité ne l'en empêche; ou enfin, si on veut encore le prendre de cette sorte, on bénit en J.-Ch. tous ses membres, qu'on offre dans ce sacrifice comme faisant un même corps avec le Sauveur, afin que la grâce du Chef se répande abondamment sur eux ».

petimus ut Deus acceptum habeat sacrificium eucharisticum, intendimus sacrificium illud quatenus *a nobis offertur*. Quare nec in præsenti oratione rogamus pro Christo ejusque sacrificio quantum ejus est, sed pro nobis oflerentibus indignis. Quod scite advertit Bellarm. l. c. cap. 24, n. 5, refutans calumniam Lutheri: « Neque hoc est orare pro Christi reconcilatione ad Patrem, sed pro nostra potius infirmitate: etsi enim oblatio consecrata a parte rei, quæ offertur, et ex parte Christi, principalis offerentis, semper Deo placeat, tamen ex parte ministri vel populi adstantis, qui simul etiam offerunt, potest non placere. Id igitur est quod petimus, ut Deus benigne respiciat hoc munus, ut a nobis offertur. » — (1)

67. *Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel*. Videlicet Abel Dei servus (*puer* — nisi ita vocetur ad significandam morum ejus innocentiam) et *justus* (Matth. XXIII) Domino « obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum, et respexit Dominus ad Abel et munera ejus » (*Gen*. IV); deque ipso testatur Paulus (*Hebr*. XI) quòd « Fide plurimam hostiam, quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse *justus*, testimonium perhibente muneribus ejus Deo ». — *Et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ:* Abraham Patriarcha populi Israelitici *per carnem*, sed et populi christiani (*nostri*) *per fidem*, mandato Dei sine cunctatione obediens, paratum sese exhibuit ad immolandum ipsi filium suum unigenitum Isaac, ideoque a Domino audire meruit: « Per memetipsum juravi..., quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi... et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ » (*Gen*. XXII). — *Et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech*. De Melchisedech enim refert Scriptura (*Gen*. XIV) quod venit in occursum Abrahæ revertenti

(1) Cfr. Gihr, l. c. p. 323 sqq.

de cæde quatuor regum, et cum esset *sacerdos Dei altissimi* protulit panem et vinum, gratias agens Deo de victoria ab Abraham relata (cfr. Hebr. VII).

Rursus observat Bellarm. l. c. n. 6: « Porro comparatio non fit inter sacrificium nostrum et sacrificium Abelis et Abrahæ *absolute*, sed tantum *ratione fidei et devotionis offerentum*. Id enim optamus ut det nobis Deus tanta fide et devotione sacrificium offerre, quanta Abel et Abraham obtulerunt: et proinde ut ex parte ministri offerentis non minus placeat Deo sacrificium nostrum quam illorum placuit ».

68. Quod si quis quærat quare speciatim in Canone Missæ memorentur ista tria sacrificia, cum et cætera veteris legis sacrificia novæ Legis sacrificium præfigurarent, respondetur ista expressius aliis nostrum sacrificium prænuntiasse, eorumque offerentes Christi, principalis in Missa offerentis, typum gessisse: quod pulchre explicat S. Bonaventura (*Expos. Missæ*): « In hoc loco tres Sancti veteris Testamenti nominantur, Abel, Abraham, Melchisedech, qui figuram passionis Christi, immo et cœnæ ejus sanctissimæ figuram repræsentant. Abel enim obtulit munera de primogenitis gregum, et Christus *primogenitum* obtulit *in multis fratribus* (*Rom.* VIII) agnum immaculatum Deo Patri, de quo agno dixit Joannes Baptista: *Ecce agnus Dei* etc... Item Abel a fratre suo Cain innocenter occiditur, et Christus a fratribus suis Judæis scilicet malis perimitur et necatur. — Abraham obedivit Deo ad immolandum filium; Christus factus est obediens Patri usque ad mortem et in manus Patris tradidit spiritum. — Melchisedech obtulit panem et vinum, *erat enim sacerdos Dei Altissimi* (Gen. XIV); et Christus in altari sub specie panis et vini Corpus et Sanguinem suum offert Deo Patri pro nobis, ipsum nobis pacificans. » (1)

(1) Cfr. Bened. XIV, l. c. lib. II, cap. XVI, n. 12 sqq. — Clichtov. in h. l. — Lebrun, l. c. art 12, apud quos amplior etiam comparatio instituitur inter Christum præfatosque ejus typos.

Sanctum sacrificium, immaculatam hostam. — Disputatur utrum hæc verba referenda sint ad oblationem Melchisedech, an verò ad sacrificium Christi: qua de re Bened. XIV l. c. n. 17 dicit cum Suarezio « utrumvis intelligas, bonum iis verbis sensum contineri ».

69. *Supplices rogamus.* — Sacerdos *profunde inclinatus* quasi externo gestu summam exprimens animi demissionem, supplex rogat Deum ut *hæc* (i. e. munera nostra et sacrificia, unà cum precibus et votis quibuscum ea offerimus) *in sublime altare* suum, seu in cœlum empyreum (ubi Deus specialiter habitare in throno sedere, regnare atque mortalium orationes excipere variis Scripturæ locis exhibetur) *perferri* h. e. præsentari *jubeat in conspectu divinæ majestatis suæ*, et consequenter illa grata acceptaque habeat. « Cum enim, ait Clichtoveus, admittit princeps munera sibi dono data in suum offerri conspectum, id argumento est quod ea non aversatur, sed cum benevolentia complectitur: si quæ namque abominatur et execratur donaria, non ea sinit suo conspectui præsentari. Ita quatenus accepta sint hæc munera quæ offeruntur, petuntur ea perferri in conspectum divinæ majestatis summæque divinitatis angelico ministerio; quia si non patiantur ex indignitate offerentis repulsam, sed admittantur divino conspectui, omnino grata erunt ».

Per manus sancti Angeli tui, seu angelorum ministerio, etenim censent plures hic nomen singulare poni pro plurali et indigitare angelos, qui circumdant altare in quo quiescit angelorum Dominus: itaque cum conscii sumus nostræ exiguitatis et indignitatis, utimur mediatione angelorum, qui sunt aulici Dei et familiares, per ipsos nostra munera et preces offerentes, ut fiant gratiora oculis divinæ majestatis.

Eumdem sensum huic orationi tribuit S. Thomas, *ibid.* ad 9^{m}: « Sacerdos, ait, non petit neque quod species sacramentales deferantur in cœlum, neque

Corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit, sed petit hoc pro corpore mystico (quod scilicet in hoc sacramento significatur,) ut scilicet orationes sacerdotis et populi Angelus assistens divinis mysteriis Deo repræsentet ».

Quorsùm spectet illa oratio in conclusione exprimitur, np. *ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus omni benedictione cœlesti et gratia repleamur.* — Etenim, ut ait S. Paulus. 1 *Cor.* X, 18 : *Qui edunt hostias* (seu victimas in altari immolatas) *participes sunt altaris* (i. e. sacrificii in altari oblati). Unde qui Corpus et Sanguinem Christi in sacra communione sumunt, participes sunt sacrificii eucharistici : quare petimus ut omnium sacrificii divini participantium actio Deo sit accepta ac consequenter ipsis fructuosa, quatenus ex cœlesti illo convivio omnem benedictionem cœlestem et gratiam percipiant.

(Sequetur).

H. V. D. B.

De Jubilæo anni sancti 1900

(*Sequitur* — Cfr suprà p. 127).

§ III. *De Jubilæi favoribus.*

I. Prima jubilæi gratia est **indulgentia plenaria**, quæ in bullis RR. Pontificum vocari solet *plenissima*. Quidquid autem olim scripserint doctores de discrimine inter indulgentias non partiales prout vocantur plenæ, pleniores vel plenissimæ (1), ratio hujus denominationis

(1) Cf. J. Loiseaux, *Traité du jubilé*, p. 8 sqq.

« plenissimæ » non est petenda ex diversa intrinseca indulgentiæ efficacia, h. e. ex majori quantitate vel natura diversa eorum quæ per se remittuntur, sed potius ex privilegiis extrinsece a Pontifice superadditis et ex circumstantiis faventibus, quibus fideles facilius et certius removere valent obices quibus impediri posset indulgentiæ plenariæ plenissima consecutio.

Nam « sacro jubilæi anno, confessariis ad id muneris designatis amplior tribuitur facultas cum absolvendi a peccatis, tum dispensandi super vinculis ac impedimentis quibusdam, quibus non semel pœnitentium conscientia irretitur » (BENED. XIV, Const. *Apostolica*, § 13). Præterea ad acquirendam jubilæi indulgentiam, quæ ex causa piissima eaque universalissima conceditur, solent fideles ex omni regione instantius excitari et conjunctis precibus et lacrymis bonisque operibus quam optime se disponere: « dum autem universi christiani populi in cœlum ascendit deprecatio, certior in omnes ampliorque placati pœnitentia Domini descendit miseratio » (LEO XII, Const. *Charitate Christi*, § 4) (1).

Hæc indulgentia *Romæ* toties acquiri potest quoties quis præscriptum visitationum numerum aliaque communiter omnibus injuncta opera iteraverit (2). A personis autem privilegiatis (monialibus, carceratis, etc.) *duplici dumtaxat vice* intra anni sancti decursum lucrifieri potest, ea rursus conditione ut omnia opera pro ipsis præscripta iterentur.

---

(1) Inde plenius explicantur verba Pontificis concedentis « plenissimam *omnium peccatorum* indulgentiam, *veniam et remissionem* ». Hæc verba intelligi possunt sensu proprio et pleno, sed simul actus Pontificius debet sumi in tota sua amplitudine, quatenus nempe a/ exigit et supponit rite adimpleta opera injuncta v. g. confessionem et communionem, b/ concedit speciales facultates confessariis ad *remittenda ipsa peccata*, et tandem c/ largitur indulgentiam seu *remissionem pœnarum* quæ debentur pro peccatis condonatis.

(2) Cf. *S. Pœnitentiariæ monita... de usu facultatum... jussu SS. D. N. Leonis Papæ* XIII, n. XIX (ap. *Analecta Ecclesiastica* 1899 p. 498).

Defunctis autem applicari nequit, quum Leo XIII hoc non expresse permiserit.

II. Quo efficacius valeant fideles, ratione impedimenti privilegiati, (1) indulgentiam jubilæi plenissimam sibi comparare, largitur Leo XIII plura **alia privilegia**: concedit nempe 1° ipsis fidelibus libertatem sibi eligendi confessarium, 2° confessariis sic electis concedit facultates speciales tum circa casus reservatos et censuras, tum circa vota.

Hic autem probe advertendum est discrimen moniales inter et oblatos, tertiarias, etc.: diversa enim statuuntur pro utraque personarum specie. *Monialium* autem nomine veniunt hic religiosæ stricte dictæ, quæ solemnia vota ediderunt et in monasteriis degunt sub claustri perpetui disciplina. Quum autem hujusmodi religiosæ in Belgio et Gallia non inveniantur (2), quoad privilegia illas spectantia, simpliciter ad verba ipsius bullæ remittimus.

1° *Facultas libere eligendi confessarium.* — Omissis monialibus votorum solemnium earumque novitiis, omnes aliæ personæ privilegiatæ, etiam religiosæ nostræ, accipiunt immediate a Rom. Pontifice jus sibi eligendi confessarium quemcumque, sive sæcularem sive cujusvis ordinis regularem, dummodo ad confessiones sæcularium personarum sit rite approbatus. Ab hoc privilegio non excluduntur viri religiosi, qui v. g. ratione infirmitatis, inter personas privilegiatas legitime recensentur.

A quonam autem approbari debet sic electus confessarius? Sacerdos sæcularis vel sæcularium confessiones

---

(1) Pro iis qui Romam jubilæi causa tendunt, multo ampliores facultates concessæ sunt Pœnitentiariis et confessariis electis Romanis, vi constitutionis Leonis XIII *Quoniam divinæ bonitatis* diei 21 Oct. 1899, quam videre est, adjectis commentariis, ap. *Rev. Théol. Française*, 1900, p. 1-16. De illis facultatibus hic non agitur.

(2) Cf. Ill. De Brabandere. *Juris Canonici compendium* t. I, n. 576-77 (edit 6a).

excipiens regularis, approbari debet ab Ordinario loci in quo instituitur confessio. Si vero sacerdos regularis excipit confessiones regularium sive sui sive alieni ordinis, sufficit ei approbatio sui superioris regularis, quia constitutio *Æterni Pastoris* non requirit approbationem ab Ordinariis *locorum*. Ita juxta responsum S. Pœnitentiariæ, diei 30 Jan. 1886, ad XI (ap. *Nouv. Rev. Théol.* XVIII, p. 91, coll. pp. 69 et 103).

2° *Facultates confessariis sic electis concessæ* sunt:

A/ Facultas *absolvendi a censuris et peccatis S. Sedi etiam speciali forma reservatis*. A qua facultate tamen excipiuntur a) hæresis formalis et externa, sive sit publica sive occulta; hæc autem restrictio non se extendit ad « hæreticis credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores » (Const. *Apostolicæ Sedis* tit. I. art. 1). b) casus statuti a Benedicto XIV, in bulla *Sacramentum pœnitentiæ* (declar. S. Officii 4 Apr. 1871).

A casibus autem episcopis reservatis confessarii prædicti absolvere non possunt *ex concessione Pontificia*, siquidem Leo XIII tantum *hortatur* episcopos ut « eligendis ad præsentium effectum confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ipsis ordinariis reservati sint ». Hanc facultatem confessariis omnibus in diœcesi sua admissis concedit Rev^mus ac Ill^mus D. Episcopus Brugensis, vigore litterarum 15 Decembris 1899, n° 51. Non abstineant confessarii ab imponenda « pœnitentia salutari, aliisque juxta canonicas sanctiones rectæque disciplinæ regulas injungendis » Const. *Æterni Pastoris,* suprà p. 45. Cf. bulla *Quoniam* et *Monita S. Pœn.* et *Coll. Brug.* IV, p. 230.

B/ Facultas *dispensandi in votis eaque commutandi,* non tamen erga anachoretas, carceratos vel infirmos. Religiosarum (omissis monialibus stricte dictis) aliarumque mulierum in religiosis aut piis domibus degentium vota quælibet, exceptis Apostolicæ Sedi reservatis, non quidem dispensatione tollere, sed *dispensando com-*

mutare si non sint juramento firmata, si vero jurata sint *simpliciter commutare* possunt. « Facultas autem *commutandi vota dispensando* distinguitur a sola ac *simplici commutatione* quæ subrogationem exigeret materiæ fere æqualis : sed commutatio mixta dispensatione est capax veræ inæqualitatis inter materiam voti et rem subrogatam. » (1)

Quæ autem excipiuntur vota Apostolicæ Sedi reservata, præter solemnia, imprimis hæc sunt : castitatis perpetuæ, ingressus religionis stricte dictæ et peregrinationis Hierosolymitanæ, vel Romanæ vel Compostellanæ. (2)

Præterea, saltem apud nos, S. Sedi reservata sunt vota religiosa obedientiæ et paupertatis emissa ab illis religiosis quæ, licet in Belgio non sint moniales stricte dictæ, professæ tamen sunt in religionibus quæ, ex jure communi vota solemnia habent, ut sunt Carmelitæ, Benedictinæ, Visitandinæ, etc. Hoc patet ex decreto diei 23 Aug. 1867, quo S. C. Ep. et Reg. declarando statuit vota prædicta *non posse dispensari nisi ab Apostolica Sede*, quo decreto revocata fuit declaratio contraria S. Pœnitentiariæ diei 23 Dec. 1835, prout responsum est a Secretario S. Cong. Ep. et Reg. ad Episcopum Brugensem, die 8 Jun. 1896. (3)

Item S. Sedi reservata sunt vota religiosa sororum adscriptarum illis institutis, quæ licet sint Episcopo subjecta, tamen fuerunt a S. Sede approbata. (4)

Hic etiam, pro casu occurrenti, observanda sunt quæ Romanus Pontifex in memoriam Pœnitentiariorum Romanorum revocat in constitutione. *Quoniam* § X :

---

(1) *S. Pœnitentiariæ monita... de usu facultatum confessariis tributarum occasione jubilæi edita... jussu* SS. D. N. LEONIS PAPÆ XIII die 1 Novemb. 1899 n. XXVI.

(2) Cf. O. E. DIGNANT, *Tract. de virt. religionis*, n. 197.

(3) Cf. ILL. DE BRABANDERE, *Juris Canon. compendium*, I, p. 505, (ed. 6a); F. PIATUS, *Prælect. jur. reg.*, ed. 2a , I, ad calcem.

(4) Cf. ILL. DE BRABANDERE, loc. cit.; J. PUTZER, *Comment. in facultates Apostolicas*, n. 107, a, 3 et 109, c, 2.

« Meminerint vero sibi abstinendum ab eorum votorum commutatione, in quibus agitur de præjudicio *tertii*. Quare in eo quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiæ seu alia emitti solita in aliqua Congregatione vel Communitate ac vota obligatoria a tertio accepta, non se ingerant. Abstineant pariter a commutatione voti de non ludendo, præsertim quoad personas ecclesiasticas, seu sæculares seu regulares: quoad alios vero, si forte, attenta personarum conditione et circumstantiis, justa ratio pro commutatione afferatur, non aliter in casu ipsam concedant, quam excepto ludo alias quomodocumque prohibito, et iis præterea conditionibus præscriptis unde ludus ex commutatione permissus honeste fiat. Nec dissimiliter se gerant circa vota pœnalia, seu perservativa a peccatis, ne detur ansa peccandi liberius. Quod si fortasse ejusmodi occurrant adjuncta, quæ aliquam commutationem merito exposcant, non aliam certe concedant, quam quæ non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia. »

Ex prima parte hujus § habes vota religiosa quæ a nostris monialibus emittuntur in communitatibus Episcopo subjectis et a solo Episcopo approbatis, licet non sint S. Sedi reservata, commutari tamen non posse a confessario ad jubilæum lucrandum electo. Hæc enim vota publice facta, a communitate nomine Episcopi acceptata, fiunt in modum contractus onerosi. Eorum igitur commutatio vergeret in præjudicium tertii, h. e. communitatis, adeoque absque delegatione Episcopi solvi non possunt. (1)

Quod spectat vota non ludendi ludo aleatorio et vota pœnalia seu præservativa a peccatis, non denegatur omnis facultas confessariis, sed præscribuntur regulæ sequendæ ne voti commutatio in detrimentum pœnitentis vergat.

---

(1) Eidem rationi nituntur auctores ut a potestate ordinaria episcoporum eximant et S. Sedi reservent vota religiosa institutorum quæ fuerunt a S. Sede approbata. Cf. PUTZER op. cit. nn. 106, c, 2; 107, a, 3; 109, c, 2.

Quoad usum prædictarum facultatum:

1° Confessarii electi « advertant absolutiones, commutationes, dispensationes quarum ipsis potestas collata est, non posse a se exerceri extra actum sacramentalis confessionis » (*S. Pœnitentiariæ monita* § II).

2° Iis facultatibus uti tantum possunt erga eos qui confitentur animo sincero jubilæi lucrandi (1), ita tamen ut « absolutio a censuris, præter eas quæ datæ sint ad reincidentiam; item commutationes votorum et dispensationes juxta concessas Jubilæi anno respectivas facultates, semel obtentæ, permaneant in suo vigore, etiamsi contigerit, eum qui illas jam obtinuerat, mutato postea, quod prius habuerat, sincero et serio proposito Jubilæum hoc lucrandi ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, de eodem Jubilæo consequendo amplius non laborare (ex § 54 bullæ *Convocatis*) » (2).

3° Iis *privilegiis seu gratiis* — in oppositione ad *indulgentiam* Jubilæi quam bis (et Romæ etiam pluries) lucrari valent — frui possunt fideles « prima dumtaxat vice » (3) seu « semel ». Proinde ille qui jam semel vi jubilæi præsentis absolutionem a casibus reservatis vel voti commutationem obtinuit, seu « qui semel illarum gratiarum particeps factus est prima vice qua Jubilæum consecutus est seu qua omnia præscripta opera implevit, iterum earum particeps fieri non poterit, si post primam Jubilæi acquisitionem iterum in censuras incurrerit aut casus reservatos commiserit, vel novis votorum dispensationibus aut commutationibus indigeat (*Convocatis* § 52. — *Inter præteritos* § 84) ». (4).

« Si vero forte alicui hujusmodi gratiarum necessitas tunc solum ocurrat, postquam jam acquisiverit Jubilæum, seu postquam ommia opera præscripta im-

---

(1) Bened. XIV *Convocatis*, § XXIV.

(2) *S. Pœnit. Monita*, § XXII, Cf. *Nouv. Rev. Théol*, t XVIII, p. 60 sqq.

(3) Leo XIII, *Æterni Pastoris*, suprà p. 45.

(4) *Pœnitentiariæ monita* § XIX.

pleverit » quia v. g. in priori jubilæi confessione vel nullum habebat peccatum reservatum quod postea tantum incurrit, nec ullo voto ligabatur, nunc vero votum emisit, vel tunc non postulavit commutationem voti quod nunc solvi cupit, ille *in secunda jubilæi acquisitione* absolutionem et commutationem obtinere potest, quia adhuc « *semel* iisdem gratiis eum gaudere posse sanctitas sua benigne concedit » (1).

C. C.

Suspensio Facultatum

vertente Anno Sancto

Præter declarationem S. Pœnitentiariæ Apostolicæ diei 21 Decembris 1899 (2), aliud prodiit ejusdem S. Congregationis responsum, quod sic sonat:

Quæsitum est: An facultates Episcopis vel Ordinariis, a S. Sede *pro foro externo* concessæ, suspensæ sint per Bullam *Quod Pontificum* tempore Jubilæi?

S. Pœnitentiaria respondet: *Negative.*

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 26 Decembris 1899.

A. CARCANI, *S. P. Regens.*
A. Can. MARTINI, *S. P. Secretarius.*

Adnotationes.

1° Juxta hæc igitur S. Pœnitentiariæ decreta, dicendum est suspensionem facultatum, factam per Bullam *Quod Pontificum*, non comprehendere facultates Episcopis vel Ordinariis a S. Sede *pro foro externo* concessas; et suspensionem hanc, quod spectat facultates Ordinariis et confessariis concedi solitas *pro foro in-*

(1) Ibid.
(2) Cf. *Collationes*, T. V, p. 149 et seq.

terno (1), « non extendi ad pœnitentes illos, qui tempore confessionis, judicio Ordinarii vel confessarii, sine gravi incommodo hic et nunc ad Urbem accedere nequeunt » (declar. S. Pœnit. 21 Dec. 1899) ; quod plerumque, imo ordinarie, obtinebit. Ex quo consequitur suspensionem facultatum, prout per Bullam *Quod Pontificum* facta videbatur, miro modo fuisse a S. Pœnitentiaria temperatam. Inspecto enim textu illius Bullæ, simulque attentis regulis a Benedicto XIV traditis (2), necnon *Monitis* jussu Leonis XIII editis (3), suspensio videbatur *generalis*, tum ratione *objecti*, tum ratione *subjecti*. Absolute enim, nullaque facta distinctione, decrevit Pontifex *omnes* et *singulas* facultates et indulta absolvendi etiam a casibus Apostolicæ Sedi reservatis, relaxandi censuras, dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis *cuilibet quoquo modo* concessa, iis exceptis de quibus expresse memorat, suspendi ac nulli suffragari. Nimis generalia sunt verba quam ut ulla detur ansa restringendi suspensionem ad facultates pro foro interno concessas, eo vel magis quod inter exceptas sunt quæ forum externum respiciunt; nec quidquam suadet suspensionem facultatum pro foro interno limitandam esse ad pœnitentes illos, qui sine gravi incommodo hic et nunc ad Urbem accedere possunt. Præ-

---

(1) Quamvis in dubio S. Pœnitentiariæ proposito expresse non memorentur nisi « facultates in folio typis impresso, a *S. Pœnitentiaria*... concedi solitæ pro foro interno », responsum valet pro quacumque facultate Apostolica pro foro *interno* obtenta; ideoque *omnes* facultates *habitualiter* concessæ pro foro *interno*, iis exceptis quæ speciatim excipiuntur, suspensæ sunt vi Bullæ *Quod Pontificum:* nulla enim est ratio distinguendi inter varias facultates pro foro interno obtentas. Cf. *Nouv. rev. théol*, T. XXXII, p. 98 ; Rev. théol. franç., T. V, p 49 et seq.

Hac declaratione plane confirmatur interpretatio quam contra alios plures vindicavimus (*Collationes*, T. V, p. 61, c, et § *Pro coronide*). Eamdem interpretationem jam tuetur *Nouv. rev. théol.*, l. c., p. 97, c. Liceat obiter notare auctorem, in prima § parte (« S'agit-il.... en sens contraire. »), ex inadvertentia, oppositum *scripsisse*.

(2) Cf. *Collationes*, T. V, p. 54, 4° et 5°.

(3) Vide *Monitum*, n. XXII.

dicta igitur responsa *moderantur* potius quam *declarant* Bullam suspensionis.

Juxta hanc moderationem a S. Pœnitentiaria factam intelligenda sunt, et, ubi opus est, moderanda, quæ supra de suspensione facultatum exposuimus; ea notatim quibus incidenter innuimus nullam esse distinctionem faciendam inter facultates quæ pro foro interno, et illas quæ pro foro externo concessæ fuerunt. (1)

2° In memorato commentariolo diximus (p. 57) nos opinari voce « *impedimentis* » non comprehendi impedimenta *matrimonii;* et facultates Episcoporum dispensandi in his impedimentis generali facultatum suspensione, per Bullam *Quod Pontificum* facta, non affici.

Post allata S. Pœnitentiariæ responsa, quibus facultatum suspensio valde fuit temperata, et practice sublata fuerunt incommoda ex ea oriri nata, facilius jam in oppositam partem abiremus; quamvis eam ut certam minime habeamus. Censet prælaudatus scriptor *Nouv. rev. théol.* (T. XXXII, p. 100) impedimenta matrimonii certo comprehendi, innixus declarationi S. Pœnitentiariæ 21 Decembris 1899. Sic ratiocinatur: « Parmi les facultés accordées par le *Folium S. Pœnitentiariæ*, tant aux Ordinaires qu'aux confesseurs, se trouvent plusieurs articles concernant les empèchements de mariage. Or, à la question si toutes ces facultés, *nulla facta exceptione,* sont suspendues, la S. Pénitencerie a répondu en déclarant que la suspension ne doit être respectée qu'à l'égard des personnes qui ne peuvent pas (2) se rendre immédiatement à Rome. C'est donc que la suspension existe, et ce pour toutes les facultés du *Folium*.... Et si ces facultés du *Folium* sont suspendues, c'est donc que la phrase: *Similique ratione* du § *Iis*

(1) Cf. *Collationes*, T. V, p. 53 ss.

(2) Est altera scriptoris inadvertentia: oppositum præcise declaravit S. Pœnitentiaria.

exceptis, comprend les facultés de dispenser des empêchements de mariage ». Resp. Ultro concedimus majorem et minorem, necnon primam partem conclusionis, qua asseritur suspensionem comprehendere facultates *Folii* S. Pœnitentiariæ (aliasque) pro foro *interno;* ast negamus alteram conclusionis partem: non enim ex præmissis sequitur suspensionem certo comprehendere *omnes*, nulla facta exceptione, facultates *Folii*. Sacra Pœnitentiaria intactam reliquit hanc quæstionem, in dubio propositam; et unice declaravit « suspensionem *hanc* », factam nempe per Bullam *Quod Pontificum* pro foro *interno*, « non extendi *ad pœnitentes* illos, qui... sine gravi incommodo hic et nunc ad Urbem accedere nequeunt ». Declaratio hæc non respicit *objectum* suspensionis, sed *subjectum* cui applicatur.

3° Idem scriptor observat (*op. cit.*, p. 94) nos immerito a suspensione, per bullam *Quod Pontificum* facta, excepisse facultatem impertiendi indulgentiam *in articulo mortis*, concessam *aliis* quam Episcopis et locorum Ordinariis; quia exceptio illa, quæ expresse a Benedicto XIV aliisque post ipsum Pontificibus occasione Jubilæi facta fuit, non memoratur a Leone XIII. Pontifex autem, quod voluit, expressit; et inclusio unius est exclusio alterius. (1)

Hoc argumentum magnam quidem vim habet; aliquando tamen fallit (2); nec deest ratio cur in præsenti hujusmodi fallaciam admittamus. Ratio est, quod Leo XIII integras permanere voluit omnes « indulgentias *in articulo mortis* concessas »; ex quo rationabiliter induci posse videtur firmas etiam esse omnes facultates indulgentias illas impertiendi, eo vel magis quod in bullis suspensionis a Benedicto XIV usque datis,

---

(1) Cf. *Rev. théol. franç*, T. IV, p. 722.

(2) Sic, in casu plane simili, S. Officium solvit controversiam eo modo qui nobis omnino favet. Cf. De Brabandere, *Jur. can. comp.*, ed. 6ª, n. 1463.

Aliud exemplum habes apud *Rev. théol. franç.*, T. V, p. 9, nota 2.

facultates illæ sub eodem paragrapho, una cum indulgentiis et quasi per modum consequentiæ, a suspensione excipiebantur. (1)

Nec sine admiratione quadam vidimus, in Bulla *Quod Pontificum*, facultatem impertiendi indulgentias *in articulo mortis* relatam esse in elencho *facultatum* quæ a *suspensione* eximuntur. Suspensio enim unice afficit « facultates et indulta *absolvendi etiam a casibus Nobis et Apostolicæ Sedis reservatis*, relaxandi censuras, commutandi vota, dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis ». Quæri autem posset num facultas impertiendi indulgentias sit proprie facultas *absolvendi*, qualis hic intelligenda videtur. Num imprimis clargitio indulgentiarum pro *solis defunctis*, vel etiam vivis concessarum, sed hac dumtaxat causa ut *defunctis* per modum *suffragii* directe applicentur, est facultas *absolvendi?* Dein, quis contendet facultatem adnectendi indulgentias rosariis, crucibus, aliisve objectis, importare absolutionem? Omnes cæteroquin conveniunt hanc facultatem non suspendi (2). Nonne idem dicendum est de facultate concedendi indulgentias, quæ *locales* vocantur? Præterea, quamvis per indulgentias *vivis* directe concessas, remissio pœnarum per modum *solutionis* et *absolutionis* ipsis applicetur, attamen « ille qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito pœnæ; sed datur ei unde debitum solvat » (S. Th., 3^{a} suppl., q. XXV, art. 1, ad 3).

Quibus consideratis, opinamur tempore Jubilæi nullas suspendi facultates elargiendi indulgentias, nisi forsan

---

(1) « Itaque, ait Benedictus XIV, præservatis et firmis remanentibus indulgentiis concessis in articulo mortis, *ac* facultatibus seu indultis illas impertiendi seu communicandi, tam venerabilibus Fratribus Episcopis, ac... Prælatis locorum Ordinariis,... quam aliis quibuscumque... concessis » (Const. *Cum nos nuper*, § 1).

(2) Cf. Moccheggiani, *Coll. indulg.*, n. 470; Loiseaux, *Traité du Jubilé*, p. 683, IV; Planchard, *Rev. théol. franç.*, T. IV, p. 725; *Le canonisie contemporain*, an. 1900, p. 31; Thomas Arizzoli, S. Pœnit. officialis, *Constitutiones Leonis XIII super Jubilæo*, p. 25.

facultates, a S. Sede obtentas, quibus indulgentiæ personales *vivis* (1) directe conceduntur adhibita *absolutionis* formula; qualis est v. g. facultas qua fruuntur Episcopi bis in anno Benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria impertiendi. (2)

Post responsum S. Pœnitentiariæ 26 Decembris 1899, ulterius jam inquiri posset utrum concessiones indulgentiarum non pertineant ad jurisdictionem fori *externi*; siquidem « remissio quæ est per indulgentias... pertinet ad dispensationem bonorum communium Ecclesiæ », et per communicationem illorum bonorum homo solvitur non tantum a reatu pœnæ quantum ad Deum, sed etiam a debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex præcepto Ecclesiæ. S. Th., *l. c.*, q. XXV, art. 2; et q. XXVI, art. 1.

C. V. C.

---

(1) Quod spectat suspensionem facultatum concedendi indulgentias pro *solis defunctis*, vel etiam vivis, « sed hac dumtaxat causa *ut defunctis per modum suffragii directe applicari valeant* », opinioni nostræ favet etiam mens Pontificis, qui indulgentias non suspendit nisi « prudenti quadam temperatione modoque adhibito » (Const. *Quod Pontificum*), ita quidem ut « suffragia in fidelium defunctorum levamen atque subsidium erogari solita *neutiquam* » imminuantur (Bened. XIV Const. *Cum nos nuper*).

(2) Thomas Arizzoli, *op. cit.*, p. 22, nota 6, hæc habet: « Poteruntne Episcopi bis in anno Benedictionem Papalem impertiri cum indulgentia plenaria juxta privilegium eis concessum a Clemente XIII? Congregatio Cardinalium habita in Ædibus Vaticanis die 19 Decembris 1824, censuit respondendum esse: *negative*. Quam responsionem reminiscantur oportet etiam alii Ordinarii et Prælati Regulares qui forte pari facultate præditi fuerint ».

Hæc verba, prout jacent, referre videntur ipsum tenorem decreti a S. Congregatione editi. Verum, suspicamur Congregationem Cardinalium, de qua memoratur, esse Congregationem Indulgentiarum, eadem die 19 Decembris 1824, in Palatio Vaticano habitam, quæ declaravit suspensam censeri *indulgentiam* plenariam occasione Benedictionis solemnis ab Episcopis impertiri solitæ in aliquibus diebus solemnioribus (*Dec. auth.*, n 255). Nonne ex hoc responso prælaudatus auctor eruit *conclusionem* quam ita refert ac si esset ipsum *responsum* S. Congregationis? Sed, an suspensio *indulgentiæ* necessario secum trahit suspensionem *facultatis* impertiendi Benedictionem Papalem cum indulgentia adnexa, ea tamen conditione ut indulgentia vivis non prosit, sed *defunctis per modum suffragii directe applicetur?* Dubia tamen nobis videtur permanentia ipsius facultatis, quia Benedictio Papalis vivis, et quidem *absolvendo*, conceditur.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Mars — vérification du compte annuel

Dimanche, 4 Mars prochain, les conseils de fabrique tiendront une séance obligatoire, à l'effet de vérifier le compte annuel, que les trésoriers sont tenus de leur présenter ce jour. Art. 5 de la loi du 4 Mars 1870.

Pour faciliter la besogne aux administrations fabriciennes, et pour leur épargner les ennuis résultant du renvoi de comptes non approuvés ou modifiés par les autorités compétentes, nous avons, à plusieurs reprises déjà, signalé les différents points qui donnent le plus fréquemment lieu aux irrégularités qui se commettent dans la confection des comptes. Voir les *Collationes*, T. I, p. 81 ss.; T. II, p. 90 ss.; et T. IV, p. 109 ss.

Cependant, plusieurs conseils de fabrique ne tiennent pas suffisamment compte des instructions données, et perdent de vue les prescriptions de la loi.

Nous nous permettrons donc de rappeler à la bienveillante attention de ceux que la chose concerne, certaines règles de comptabilité qui ne sont pas observées.

1° Toutes les dépenses doivent être appuyées de *mandats* réguliers, faits au nom des intéressés, signés par le *président du bureau,* et accompagnés des *mémoires ou factures* établissant la légalité des dépenses faites.

2° Nous avons à faire, au sujet des *mémoires*, une observation qui a son importance. Il est des fournisseurs, notamment ceux qui livrent les objets mentionnés dans les neuf premiers articles des dépenses, qui font des mémoires *par trop détaillés*, où se trouvent inscrites, jour par jour, à la date de la livraison, toutes les four-

nitures, même de minime valeur, qui ont été faites pendant l'année. Ces mémoires interminables, dont le total ne monte souvent qu'à quelques francs, ressemblent bien plus à un journal de détaillant qu'à une facture ; et ils demandent de la part de ceux qui sont appelés à les vérifier un travail énervant que ne comporte guère leur peu d'importance.

Les administrations fabriciennes ne pourraient-elles pas, dans leur propre intérêt, réclamer de la part des intéressés des mémoires moins fastidieux, comprenant sous un seul et même libellé les fournitures de même espèce et nature, ou bien toutes celles qui ont été faites pendant un laps de temps déterminé, p. ex. pendant chaque mois de l'année ?

3° Les *mandats* (ou les *mémoires* qui les accompagnent) doivent être *acquittés* par les parties prenantes.

Les quittances doivent être écrites à **l'encre**, et signées par les intéressés de leur nom **patronymique** (pas de leur nom de *religion*).

4° Dans le cas où le titulaire d'un mandat ne saurait signer, il appose sa marque (+) pour acquit ; mais les acquits de ce genre doivent être certifiés par la déclaration *signée de* **deux** *témoins*.

5° Le *mandat* relatif à l'acquit des *services religieux fondés* (art. 43 des dépenses) doit être *acquitté* par le **curé**, et appuyé de *l'état* des fondations exonérées *certifié exact* par le *président dn bureau*.

6° Au cas de *déboursés* (*verschotten*) faits par le curé, le président donne au profit de celui-ci *un* ou *plusieurs* (1) mandats **collectifs** pour les différents déboursés faits. Dès lors, il ne peut plus donner de mandats *spéciaux* pour le paiement de l'une ou de l'autre dépense com-

---

(1) Nous disons : *un* ou *plusieurs* mandats, d'après que les déboursés se rapportent à un ou à plusieurs articles du compte. Chaque mandat, en effet, ne peut contenir que des dépenses imputables sur *un seul et même* article.

prise dans les déboursés. Ces mandats feraient manifestement double emploi (1). Cette règle élémentaire est parfois perdue de vue.

7° Les *mémoires* qui accompagnent un mandat collectif concernant les déboursés *d'une certaine importance* (2), doivent êtres *acquittés par les fournisseurs*.

8° *Les dépenses* portées en compte *ne peuvent dépasser les crédits* alloués au budget dûment *approuvé*. Pour dépasser cette limite, il faut une *autorisation* spéciale de l'Evèque et de la Députation permanente; mais il suffit, dans la pratique, de demander l'autorisation requise dans la feuille liminaire du compte.

9° Enfin, nous prions les conseillers de fabrique de relire ce que nous avons écrit (*Collationes*, T. IV, p. 109 ss.) au sujet des *sommes rejetées* du dernier compte approuvé; et de bien remarquer la distinction que nous avons établie entre *les sommes sujettes à rappel et susceptibles de régularisation* (3), et celles qui ne le sont pas.

C. V. C.

---

(1) Cette observation s'applique aussi au cas d'un mandat *collectif* délivré pour les paiements à faire à *plusieurs* fournisseurs d'objets de même nature, p. ex. pour le paiement du charbon livré par divers marchands.

(2) Pour les objets de menue valeur, il n'est pas nécessaire de produire les mémoires des fournisseurs; le curé peut dresser lui-même un mémoire des déboursés qu'il a faits.

(3) A la page 110, ligne 14, il s'est glissé une faute d'impression que le lecteur attentif aura remarquée et corrigée: au lieu du mot *autorisation*, il faut lire *régularisation*.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — acquisition d'une cloche, faite sans autorisation — suppression de crédit

—

Un arrêté royal, en date du 22 Janvier 1900 (*Moniteur*, p. 313), rejette le recours du conseil de l'église de Notre-Dame, à Sclessin, contre l'arrêté du 8 Novembre précédent, par lequel la Députation permanente du conseil provincial de Liège a supprimé le crédit de 157 francs, inscrit à l'article 61 des dépenses *(Intérêts dus au fournisseur de la cloche)* du budget, pour l'exercice 1899, de la dite fabrique.

Cette décision est basée sur ce que le crédit de 157 francs est destiné au payement des intérêts de la somme due pour l'acquisition et le placement d'une cloche; que cette acquisition ayant été faite sans autorisation, les dépenses qui en résultent ne peuvent être mises à la charge de la commune.

Observations.

Cette décision est une application de la jurisprudence administrative en vigueur.

Aux termes de cette jurisprudence, inaugurée par M. Bara (circ. du 12 Septembre 1881) (1), maintenue

(1) La circulaire du 12 Septembre 1881 fut donnée à la suite d'un rapport adressé au Ministre de la justice par la Commission royale des monuments. « Les administrations fabriciennes, porte ce rapport, sont généralement disposées à croire que, lorsqu'elles ne demandent pas de subsides à la province ou à l'Etat, elles peuvent se dispenser de soumettre à ces autorités les plans des travaux de décoration ou d'ameublement qu'elles font exécuter. Nous avons à différentes reprises signalé les graves inconvénients qui résultent de cette manière d'agir, si contraire aux intérêts mêmes des églises. Elle amène en effet, — ainsi que nous avons pu le constater souvent, — le placement dans ces édifices d'objets de tous les genres: vitraux, meubles, chemins de la croix, statues, etc., dépourvus de toute valeur artistique ».

Il paraît que déjà en 1878 M. Bara avait invité les Gouverneurs à réagir contre cet abus. Cf. *Mémorial*, année 1881, p. 97.

par M. Devolder (circ. du 15 Mai 1885), et rappelée avec insistance par M. Begerem (circ. du 31 Mars 1894), les fabriques d'église sont tenues, en vertu des dispositions de l'arrêté royal du 16 Août 1824, de soumettre à l'approbation du Gouvernement, non seulement « les plans des travaux de construction, de reconstruction, et de décoration des églises », mais aussi « les plans des meubles à placer dans les édifices du culte à perpétuelle demeure, dans le sens de l'article 525 du Code civil », et même les plans « des objets mobiliers, de grande dimension, non attachés à perpétuelle demeure, qui sont de nature à changer l'ordonnance architecturale des églises, tels que statues, tableaux, draperies, etc. » ; et les dépenses résultant de travaux de l'espèce doivent être préalablement autorisées par arrêté royal.

Nous avons déjà fait la critique de cette jurisprudence, qui repose sur une interprétation erronée de l'arrêté royal de 1824. Cf. *Collationes*, T. II, p. 573, en note, et T. III, p. 289 ss.

Cependant, nous avons jugé utile d'indiquer les mesures de rigueur, auxquelles s'exposent les administrations fabriciennes qui méconnaissent les prescriptions de l'arrêté royal prémentionné, ou négligent de se conformer aux instructions contenues dans les circulaires ministérielles citées.

1° Les crédits affectés à l'exécution de travaux de construction, de reconstruction, de décoration ou d'ameublement, qui doivent être préalablement autorisés, ne seront admis au budget que si l'autorisation exigée a été accordée. Circ. du 15 Mai 1885.

2° Les dépenses résultant de travaux de l'espèce exécutés sans que l'autorisation requise ait été accordée, devront être rejetées du compte. Circ. du 12 Sept. 1881 et du 31 Mars 1894.

3° Le Gouverneur aura, le cas échéant, à prendre son recours, par application des articles 4 et 9 de la loi du 4 Mars 1870, contre les arrêtés par lesquels la

Députation permanente de la province maintiendrait aux budgets ou aux comptes des administrations fabriciennes les sommes qui y seraient inscrites pour le paiement des dépenses dont il s'agit. Circ. du 31 Mars 1894.

4° Le département de la justice « aura à se prononcer sur le point de savoir si les objets dont le placement se serait fait sans son autorisation pourront être maintenus, alors même qu'ils auraient été donnés par des particuliers et ne coûteraient rien à l'église ». Circ. du 12 Sept. 1881.

5° « Les paiements faits irrégulièrement seront laissés à charge de ceux qui les auront ordonnés » (Circ. du 15 Mai 1885); et « les fabriciens auront de plus à supporter, personnellement, tous les frais qui résulteront de l'exécution des mesures qui seront arrêtées pour faire respecter la loi (?) méconnue par eux ». Circ. du 12 Sept. 1881.

6° Enfin, ceux qui contreviennent aux dispositions de l'arreté royal du 16 Août 1824 sont passibles des peines comminées par l'article 1er de la loi du 6 Mars 1818 (arrêts de la Cour de Liège du 17 Juin 1882, et de la Cour de Gand du 23 Déc. 1898). Cf. *Collationes*, T. II, p. 351, et T. IV, p. 359.

Voilà la terrible épée de Damoclès suspendue par le Gouvernement, inspiré par la Commission royale des monuments, sur la tête des fabriciens ou curés qui se permettraient de placer dans les églises, un candélabre (arr. roy. du 30 Juin 1897 : *Monit.*, p. 2818), un prie-Dieu ou un fauteuil (arr. roy. du 15 Mars 1898 : *Monit.*, p. 1129), un bénitier (arr. roy. du 12 Déc. 1898; *Monit.*, p. 5410), une console ou un dais (art. roy. du 22 Janv. 1900 : *Monit.*, p. 314), sans avoir préalablement obtenu l'approbation de la dite Commission royale, et l'autorisation de sa Majesté ! *Cavete, consules.*

C. V. C.

E Sacra Congr. Propagandæ Fidei

Ubique a neo-conversis sub conditione baptizandis exigenda est confessio eaque integra.

Beatissime Pater,

Archiepiscopo Westmonasteriensi et Episcopis Angliæ enixe rogantibus ut Sanctitas Vestra dignaretur declarare:

An debeat, juxta Synodi provincialis Angliæ decretum a S. Sede approbatum, confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an ea debeat esse integra?

S. Congregatio S. R. U. Inquisitionis, decreto suo, Feria V, loco IV, die 17 Decembris 1868 dato, et a Sanctitate Vestra eadem die ac feria approbato et confirmato, respondit: Affirmative; et dandum esse decretum latum sub feria quinta, die decima septima Junii anni millesimi septingentesimi decimi quinti, quoad dubium:

« An quidam Carolus Wipperman, S. Fidei Catholicæ reconciliatus, sit rebaptizandus; et, quatenus affirmative, an teneatur confiteri omnia peccata præteritæ vitæ, et, quatenus affirmative, an confessio præponenda sit, vel postponenda baptismo conferendo sub conditione ».

« Sanctissimus », auditis votis Emorum, « dixit: Carolum Ferdinandum » (Wipperman) « esse rebaptizandum sub conditione, et, collato baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur, et ab eis sub conditione absolvatur ».

Nunc autem humiliter quæro an decretum supra allegatum obliget non tantum in Anglia, pro qua latum est, sed etiam in hac provincia ecclesiastica et in aliis regionibus?

Quebeci die 29 Maii 1869.

† C. F. Archiepiscopus Quebecensis.

RESPONSUM.

Illme et Rme Domine,

Quoad dubium ab A. T. litteris diei 29 elapsi mensis Maii propositum atque sacramentalem confessionem attingens a

neo-conversis exigendam, observandum occurrit responsum S. O. Feriæ V, loco IV, diei 17 Decembris elapsi anni, licet Episcopis Angliæ tantummodo rogantibus datum, universalem legem continere, proindeque non solum in Anglia, sed in aliis etiam regionibus obligare. Hinc patet quod nullatenus permitti possit ut prædictæ decisioni contraria sententia doceatur.

Romæ ex æd. S. C. P. F. die 12 Julii 1869.

Al. C. BARNABO, Præf.

JOANNES SIMEONI, *Secretarius*.

Adnotationes

Hocce rescripto S. C. de Prop. Fide 12 Julii, anni 1869, cujus tenor exhibetur in *Analecta Ecclesiast.* 1899, p. 489, quæstio dirimitur hucusque multum disputata, circa *obligationem* incumbentem hæretico neo-converso et sub conditione rebaptizato *confessionem* sacramentalem, in reconciliationis cæremonia, instituendi, eamque *integram* quoad omnia peccata post prius Baptisma commissa, nondum in confessione exposita, nec rite accepta ab iis absolutione. (1)

Confirmatur scilicet conclusio quam olim, apud *Collat. Brug.*, IV, p. 145 et seq., contra quosdam (uti Ballerini-Palm., *Opus Morale*, V, n. 28; Bucceroni, *Instit. Theol. mor.*, II, n. 672, et *Anal. Eccl.*, tom. V, p. 231; D'Annibale, *Summala*, III, n. 301) stabilire conati sumus, cui cæteroquin favebant decreta Romana ibidem a nobis allata, et in cujus conclusionis patrocinium jam invocavimus testimonium Konings, *Theol. Mor.*, p. LX, hoc ipsum responsum S. C. de Prop. Fide anni 1869, tacito tenore, referentis. Deinceps igitur huic opinioni universalem obligationem asserenti

(1) Sane, quod jam notavimus apud *Collat. Brug.*, IV, p 145, non sunt exponenda peccata ante primum Baptisma in adulta ætate susceptum admissa, alterutra ablutione deleta, nec peccata jam exposita, rite accepta absolutione, cum sint remissa per absolutionem, si primum Baptisma fuerit validum, vel per alterum Baptisma si primum fuerit invalidum.

omnes subscribant oportet, cum « nullatenus permitti possit ut prædictæ decisioni contraria sententia doceatur ».

Ulterius tamen dubium remanet, et occasione relatæ decisionis forsan magis movebitur, *undenam* videlicet *oriatur* præfata obligatio, utrum *ex jure divino*, an vero *ex jure ecclesiastico* tantùm. Quod dubium paucis examinare juvat potius ob tuenda principia quam ob momentum practicum, etsi practice facilius excusetur quis a lege ecclesiastica quam a lege divina.

Uti supra, l. c,, exposuimus, præ cæteris Lehmkuhl, II, nn. 321 et 322, contendit quod « illud decretum (imponens universalem obligationem confessionis integræ) haberi nequit nisi pro *legis divinæ* authentica interpretatione per Pontificem facta, non pro mera lege vel præcepto ecclesiastico ». Quam doctissimi Auctoris sententiam ultro amplectitur et propugnat *Nouv. Rev. théol.*, XXXII, p. 49-56.

Argumentum instauratum huc redit: *Dubie baptizati* (dubio utique positivo) habendi sunt tanquam valide baptizati, in ordine ad subjectionem erga omnes leges jure divino vel ecclesiastico in Ecclesia vigentes, signanter quoad legem confessionis quemadmodum sat communiter admittitur illos esse obnoxios impedimentis matrimonii (1). Revera « nemo, ait Lehmk., l. c., ambigit quoslibet regimini sociali ejus societatis subjacere cui externo ritu adscripti fuerint, donec illa adscriptio probetur invalida: associatio enim externa ad externam societatem facta, quæ præsumitur rite facta, certum et

(1) Cfr. inter alia, decretum C. S. O , 17 Novembr. 1830, apud *Collectan. de Prop. Fide*, n. 649; decr. C. S. O., 9 Sept. 1868, ibidem, n. 657; decreta citata apud Gasparri, *De Matrimonio*, I, n. 597-694, signanter decretum C S. O., 7 Julii 1880 (n. 603); necnon Instruct. C. S. O. 4 Febr. 1891, quæ hæc habet: « Qui valide aut *dubie* baptizati fuerint ii subsunt impedimentis eiam jure ecclesiastico dirimentibus »; apud Lehmk. l. c. et *Acta S. Sedis*, XXVI, p. 63. Cfr. etiam De Becker, *De Matrimunio*, pp. 218-225; Feije, *De Impedim. matrim.*, nn. 460-469.

indubitatum jus tribuit auctoritati sociali in membra tali modo associata, atque membris certam et indubitatam obligationem imponit illius societatis juribus et legibus subjacendi ».

Unde concludunt: Ergo hæreticus *dubie* Sacramento regeneratus, *certo* est obnoxius jurisdictioni Ecclesiæ, adeoque legem confessionis ejusque integræ habet observandam non secus ac reliqui fideles indubie baptizati. Explicite tamen *Nouv. Rev. théol.*, p. 54, restringit suam conclusionem ad casum quo Baptismus dubius est *solo dubio juris*, circa valorem scilicet, supposita certitudine quoad factum collationis, concedens ab adducto argumento solum dubium juris attingi (1).

Jamvero ad hoc ratiocinium sequentia *advertenda* proponimus:

A/ Principium in antecedenti positum, in supposito quod valeat, non est interpretandum, si presse loqui velimus, quasi Baptismus *dubie* validus evadat *certò* validus, sive directe sive indirecte (*Nouv. Rev. théol.*, p. 54); sed ita est intelligendum ut Baptisma quidem maneat incertum, inde vero non reddatur dubia subjectio ad leges Ecclesiæ sed certa subsistat; aliis verbis dubium perseverat circa factum subjectionem inducens, sed dubium manet *mere speculativum*, prohibito transitu a probabilitate speculativa ad probabilitatem practicam circa subjectionem, propter *necessariò* salvandum ordinem publicum Ecclesiæ.

B/ Etiam admisso principio, np. dubie baptizatum, sive dubio juris sive dubio facti (2) in hoc esse habendum tanquam fidelem et legi confessionis obnoxium, negamus inde probari intentum.

---

(1) « C'est le baptême *certainement conféré* qui soumet à la loi de la confession; aussi longtemps que son existence est douteuse, l'obligation des lois qui en dépendent est également douteuse et pratiquement nulle ».

(2) Juxta decretum citatum 1880, in responso ad 6um, principium circa Baptisma dubium, quod nempe censendum sit validum *in ordine ad Matrimonium*, applicatur tam dubio *facti* quam dubio *juris*. Cfr. Gasparri, l. c., n. 603.

Nimirum 1°/ *inde consequi concedimus:*

a/ hæreticum nostrum, quemadmodum reliquos fideles certò baptizatos, *ex jure divino* ad confessionem *per se* obligari *in articulo mortis*, *ex lege* vero *ecclesiastica*, *singulis annis;* quæ lex, annuam confessionem imponens, est quidem determinativa juris divini, formaliter tamen est lex ecclesiastica. Cfr De Lugo, *De Sacram. Pœnit.*, Disp. XV, sect. 3ia.

b/ eumdem hæreticum, quando ipsum *ante conditionatam Baptismi iterationem* confiteri contingit, ad confessionem teneri *integram* omnium peccatorum mortalium post primum Baptisma commissorum, a quibus nondum fuerit absolutus; siquidem ex hypothesi, propter specialem rationem, *in ordine ad legem confessionis*, habendus est quasi certo baptizatus.

At 2°/ *inde consequi negamus id quod erat demonstrandum*, nimirum:

a/ dictum hæreticum *ex jure divino* ad confessionem obstringi, *eo præcise momento* quo reconciliationis cæremonia peragitur; uti enim docet De Lugo, l. c., « immediate et per se non videtur præceptum divinum aliquo determinato tempore (extra articulum mortis) obligare, nisi radicaliter, quatenus voluit obligare pro tempore ab Ecclesia determinando ».

b/ eumdem hæreticum *ex jure divino* obligari ad peccata præteritæ vitæ accusanda, quando confessionem instituit *post conditionatam Baptismi repetitionem*, uti contingit in casu de quo quæritur (1). Revera accedente altero Baptismate conditionato, *probabiliter* absterguntur peccata huic alteri Baptismo prævia, adeoque, applicando legem confessionis qualis viget pro

---

(1) Confessio enim sacramentalis et absolutio conditionata, juxta Instructionem C. S. O. 20 Julii anni 1859 (Colectan., n. 1689) *sequuntur* conditionatum Baptisma, etsi possint neo-conversi ad majorem functionis ecclesiasticæ facilitatem prius audiri sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem, modò *post* Baptismatis iterationem, reassumptis per summa capita peccatis jam expositis, conditionate absolvantur. Cfr decr. C. S. O. 2 Dec. 1874 (Collectan., n. 957).

certò baptizatis, practice cessat, juxta dicta apud *Collat. Brug.*, IV, p. 75, obligatio illa peccata exponendi, non secus ac si confessione dubie valida essent remissa.

Præterea, quod præcipuum est, jam non est locus principio invocato, juxta quod *dubie baptizati* legi confessionis forent certò obnoxii, cum, post iteratum sacramentum, noster neo-conversus alterutra ablutione *certo certius* exstet baptizatus. Cfr. *Collat. Brug.*, l. c., p. 147.

Unde abunde apparet, ni fallamur, ratiocinium a prælaudatis Auctoribus instauratum, jurisque principium ab iisdem adductum, etiamsi admittatur imo et amplietur, multiplici titulo esse inefficax ad demonstrandum hæreticum neo-conversum, *post conditionatam Baptismi repetitionem*, *ex jure divino* teneri ad confessionem eamque sensu exposito integram. Insuper fallit argumentum etiam in hoc quod obligationem confessionis limitet *Nouv. Rev. théol.* ad casum quo prius Baptisma dubium fuerit dubio *juris* non autem dubio *facti* (1), quæ distinctio in decretis Romanis non apparet.

Si igitur dictæ Confessionis obligatio ex jure divino est repetenda, non ideo est quia dubie baptizati legi confessionis sunt obnoxii eodem modo ac certo baptizati, sed alia ratio est quærenda.

Porro magis ad rem esset, saltem quoad *integritatem* confessionis peragendæ, argumentum a Bouquillon, *Theol. Mor. fundam.*, n. 282, indicatum: Concesso nempe, penes neo-conversum *post* alterum Baptisma confitentem, peccata huic alteri Baptismo prævia, juxta dicta, constituere materiam confessionis *dubie necessariam*, nihilominus posset forsitan sustineri, juxta sana probabilismi principia, hic in casu jure divino *certam* subsistere obligationem practicam illa accusandi, osten-

(1) Unde habeat *Nouv. Revue théol.*, l. c., p. 54, quod asserit, nescimus: « Les décissions du S. Office ne concernent pas ce cas; elles parlent *évidemment* de celui où le baptême est certainement conféré, mais douteux quant à sa validité ».

dendo scilicet propter specialem rationem, hic impediri transitum a probabilitate speculativa ad practicam, nimirum propter vitandum periculum varii detrimenti spiritualis. Hæc autem detrimenta quæ incurrerent confessionem integram omittentes, enumerantur in dubio coram Supremo Tribunali Inquisitionis ab Episcopis Angliæ adducto, anno 1868, quod ex integro exhibetur apud *Nouv. Rev. theol.*, I, pp. 212-213. (1)

Atvero ad hoc ut valeat laudatum argumentum utque adeo vindicetur *obligatio* confessionis et non sola commendetur *utilitas*, oporteret ut illud detrimentum spirituale jure divino sit vitandum *necessariò*, cum secus non prohiberet a dubio speculativo transire ad practicum. Jamvero nondum sufficienter apparet illa *necessitas*, eo vel magis quod illi fructus spirituales, magna ex parte, aliter obtineri queant quam confessione sacramentali illorum peccatorum integra.

Donec ergo validiori argumento vel authentica declaratione aliter sentire cogamur, præferendam ducimus sententiam quam proposuimus *Collat. Brug.*, l. c., qua docetur *juris ecclesiastici* esse hanc legem quam præsens responsum universalem esse decernit.

Nec hanc interpretationem evidenter implicare dicas (N. R. th., p. 51), quasi talis lex limites excederet potestatis Ecclesiæ. Quoad ipsam enim *confessionem* optime potest Ecclesia eam præscribere aliquo determinato momento instituendam, quo ipsam opportunam valde judicat quamvis jure divino non necessariam.

---

(1) « Habetur difficultas conversorum, intellectum ad obsequium fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem, quas in sacramento Pœnitentiæ Christus Dominus reponere dignatus est; habetur etiam impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neo-conversus rite sit ad ipsum Baptisma dispositus, velitque ex. gr. restitutionem famæ vel bonorum (si ad eam teneri contigerit) facere, occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire..... ». Adde momentum quod pro omnibus valet, quatenus confessio peccatorum dubiorum conferat ad conscientiæ tranquillitatem et pacem et tutior aptiorque sit via ad justificationem.

Quoad *integritatem* vero, non contendimus quod Ecclesia possit quamcumque materiam imponere clavibus submittendam; sed quando agitur de peccatis quæ *probabiliter debent* in confessione exponi, et quorum accusatio est *perutilis* et summe commendanda, non videtur cur Ecclesia, in specialibus adjunctis, non posset *tutiorem* viam injungere sequendam. Potest nempe contingere, ait Bouquillon, op. cit., n. 285, « ut ratio, quæ per se non sufficit ad dubium solvendum in hunc vel illum sensum, præbeat tamen sufficiens fundamentum ut superior authentica quadam directione vel etiam lege positiva dubium solvat ». (1)

A. D. S.

Consultationes

I

Q. In ecclesiis quarum titulus est S. Familia, an hujus commemoratio fieri debet in suffragiis simul cum commemorationibus specialibus S. Mariæ et S. Joseph?

R. Ad rem editum est decretum 13 Novembris 1896 *Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum*. Ad dubia enim: « 1. Utrum in suffragiis Sanctorum agenda sit commemoratio Sacræ Familiæ Titularis Ecclesiæ tantum benedictæ et non consecratæ? — 2. Et quatenus affirmative ad primum, sunt ne relinquendæ commemorationes de S. Maria et de S. Joseph? — 3. Si negative ad secundum, commemoratio S. Familiæ debet ne præcedere istis commemorationibus »? « S. Rituum

(1) « Sæpe lex positiva statuit aliquid ex prudentiali ratione quæ per se sola non induceret necessitatem, est autem sufficiens ad statuendam legem quæ necessitatem imponat » Suarez, *De Censuris*, disput. XL, sect. VI, n. 9.

Congregatio.... re accurate perpensa... rescribendum duxit: ad primum et secundum *affirmative*. Ad tertium: *provisum in præcedenti* ».

Certum est juxta hoc decretum faciendam esse in suffragiis commemorationem S. Familiæ, ubi est titularis Ecclesiæ, etiamsi Ecclesia sit tantum benedicta, ergo a fortiori si est consecrata; insuper dum fit commemoratio S. Familiæ omittendas esse commemorationes communes S. Mariæ et S. Joseph ex eodem decreto docemur.

Quod hæ commemorationes omitttendæ sint, nulla alia ratio assignari debet, nisi quod tum de S. Maria, tum de S. Joseph in casu memoria facta est per suffragium commune S. Familiæ Titularis. Titulus enim S. Familiæ est complexus et comprehendit non tantum Jesum sed etiam Deiparam ejusque S. Sponsum, et consequenter, facta hujus tituli commemoratione, iteranda non sunt suffragia S. Mariæ et S. Joseph, ne fiat *bis de eodem*, quod est contra rubricas (Tit. VIII, n. 3; Tit. XXXV, n. 4.).

Sed quid si ritu semiduplici recitatur officium votivum Immaculatæ Conceptionis B. M. V. vel Sancti Joseph, an facienda in suffragiis eadem commemoratio S. Familiæ Titularis Ecclesiæ? Ex una parte suffragium Titularis est præcriptum a rubricis, ex altera vero, ne fiat obstare videtur eadem regula: *non bis de eodem*. In hac enim commemoratione includitur Sancta Maria et S. Joseph, unde eam faciendo bis fit de S. Maria vel bis de S. Joseph, per officium scilicet quod recitatur et per commemorationem S. Familiæ.

Ut certum tamen habemus, in casu suffragium S. Familiæ esse agendum. Quia cum in Sacra Familia habeatur, uti jam diximus, subjectum complexum, nempe Dominum Jesum, B. Mariam et S. Joseph, quando recitatur officium Immaculatæ Conceptionis vel Sancti Joseph, unus tantum ex tribus per officium recolitur, et omittendo suffragium S. Familiæ omitteretur

memoria subjecti principalis et dignioris Tituli Ecclesiæ, nempe Domini Jesu; ex tribus subjectis duo tantum recolerentur, unum per officium, alterum per suffragium speciale et solus Dominus Jesus subjectum dignius a commemoratione excluderetur. Quamvis ergo in casu comprobetur per commemorationem S. Familiæ quodammodo *bis in idem fieri* quoad B. Mariam vel B. Joseph, hoc minus incongruum videtur, quam, omittendo suffragium, Christum principale subjectum Tituli Ecclesiæ debito cultu frustrare.

Cæterum regula *non bis de eodem* applicanda non est nisi officia simul coincidentia ad eumdem omnino Sanctum vel Mysterium referantur et nihil prohibet quominus de eodem subjecto officium *universim* et *confuse* cum aliis fiat et commemoratio pariter de eodem *nominatim* et *expresse* (1), vel viceversa. Ita, juxta rubricas commemoratio Octavæ *omnium* sanctorum facienda est, quamvis v. gr. 4 Novembris officium fiat Sancti Caroli et commemoratio Sanctorum Vitalis et Agricolæ; et S. Congregatio Rituum decreto in *Ruremunden.* 27 Maii 1876 definivit agendam esse commemorationem diei infra Octavam SS. Petri et Pauli in officio Divisionis *Apostolorum*, ubi hoc concessum est celebrare infra eamdem Octavam; item decreto 24 Novembris 1883 rescripsit omitti non debere in suffragiis commemorationem SS. Petri et Pauli quoties feria tertia recitatur officium *Omnium* Apostolorum.

Ex quibus omnibus concludimus in officio votivo Immaculatæ Conceptionis vel Sancti Joseph faciendam esse in suffragiis commemorationem S. Familiæ, ubi est Titulus Ecclesiæ, sed non iterandam esse in casu commemorationem S. Mariæ vel Sancti Joseph.

H. V. D. W.

(1) Nouv. Revue Théol. XVIII, p. 669

II

Quæritur. — In periodico *Nouv. Rev. Théol.* 1900, p. 79, ubi agitur de jubilæi communione commutanda legi:

« Enfin les malades le peuvent aussi. En vertu du décret du 18 Sept. 1862 « christifideles habitualiter infirmi, chronici, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes » peuvent gagner toutes les indulgences qui requièrent *la communion* et les visites, en remplaçant celles-ci par d'autres œuvres pies imposées par leurs confesseurs (1)... Ce décret peut être utilisé même pour l'indulgence du jubilé, parce que, comme le dit la *Théologie de Malines* (2) « non statuunt exceptionem pro jubilæo »....

De S. Communionis commutandæ privilegio tacent *Collationes Brugenses*. An possum eo uti?

Respondetur. — Ratiocinium laudati periodici nititur falso fundamento, quatenus auctor applicat jubilæo præsenti *ordinario* seu *anni sancti*, quod tantummodo de jubilæis *extraordinariis* valere potest et solet.

Revera pro jubilæis *extraordinariis* concedi solet confessariis ampla potestas commutandi opera injuncta, et præcise de jubilæis extraordinariis tantum agunt et *Theologia Mechliniensis* cit. loco, et responsum S. Pœnitentiariæ 10 Maii 1886, quod præfatus auctor in argumentum adducit. (3)

Hæc autem de jubilæo *ordinario* nullatenus valent. Anno enim Sancto necessitatibus infirmorum et impeditorum speciali modo provisum est, extra Urbem per bullam *Æterni Pastoris* quam explanare supra conati sumus (4), et in Urbe simul per eamdem bullam et per constitutionem *Quoniam* (5) quæ speciales facultates concedit pœnitentiariis a Majori Pœnitentiario depu-

(1) *Decreta authentica*, n. 393.
(2) *Theol. Mechl. Tract. de indulg.*, n. 12, q. 7, r. II, 2°.
(3) *Nouv. Rev. Théol.* 1900, p. 79.
(4) Supra p. 127 sqq.
(5) Ap. *Revue Théol. Française*, 1900, p. 1.

tatis et confessariis a Cardinali Vicario designatis (n. XVII, XVIII, XXIV), attentis simul *Monitis S. Pœnitentiariæ* (1). Jamvero de commutanda S. Communione hoc unum legimus, in *Monitis* præfatis n. XV: « Quamvis injuncta Communio sit, pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, neque intra Annum Sanctum, Parochi proprii vel confessarii judicio admittendi videantur, censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti, eisdem Communio in aliud pium opus, arbitrio Confessarii præscribendum, commutabitur (ex § 48 bullæ *Convocatis*). »

De cetero servanda regula, *quam suprà p. 138 citavimus*, quamque Benedictus XIV in bulla *Inter præteritos* pro jubilæo *ordinario* statuit:

« Hujusmodi (commutandi) auctoritas tum quo ad Romanos, tum quo ad advenas ad visitationes Basilicarum restringitur, ac *proinde ad alia opera injuncta nec potest nec debet extendi; exempli gratia ad confessionem, ad* COMMUNIONEM *aut etiam ad preces quæ a Basilicarum visitatione separari possunt.* »

Ad praxim igitur quod attinet, in diœcesi nostra, Rev^mus et Ill^mus D. Episcopus Brugensis ipse visitationes Basilicarum generali modo commutavit in vicesies diversis diebus repetitam visitationem, vel ecclesiæ parochialis (pro fidelibus communiter), vel ecclesiæ aut oratorii communitatis (pro religiosis aut in communitate viventibus); et confessario a personis privilegiatis electo subdelegatur tantum facultas commutandi has visitationes ab Episcopo subrogatas, pro personis quæ has peragere non valent. (2)

Sacram vero Communionem commutare, neque pro infirmis valet, nisi forte pro puero ægrotante nondum S. Communionis capace, neque etiam pro iis qui actum

---

(1) Ibid. p. 17.

(2) Litteræ Rev^mi D. G. Waffelaert, Episcopi Brugensis, datæ die 15 Dec. 1899 (n° 51).

heroicum charitatis emiserunt (quibus idem auctor in *Nouv. Rev. Théol.* 1900 p. 78, facultatem obtinendi S. Communionis commutationem immerito concedit).

C. C.

III

Quæritur. An puellæ quæ educationis gratia degunt in domibus religiosis, ita tamen ut, v. g. feriarum tempore, Romanam instituere possent peregrinationem, jubilæum lucrari valeant vi bullæ *Æterni Pastoris?*

Respondendum censemus *affirmative*. Si enim diligenter inspiciamus documenta pontificia quoad privilegium concessum personis sub nn. I, II, II, III, IV et V dictæ bullæ designatis, comperimus: — a/ Romanos Pontifices encomiis celebrare hujus « lectissimæ portionis gregis dominici » (1) « vitæ innocentiam et religionis ardorem » (2) et optare ut « vitæ rationem, quæ eas angelis quodammodo æquat, constantissime retineant » (3); — b/ privilegium concessum extendi positive ad puellas ac mulieres quæ « nullis claustri legibus obnoxiæ sint » (4), non tantum extra Romam, sed etiam in ipsa Urbe, ubi sane multæ sunt quæ Basilicarum visitationes instituere possent; — c/ nullibi affirmari illud privilegium concedi tantum in quantum singulæ personaliter et de facto impediuntur ab itinere Romano. (5)

E contrario pro carceratis et infirmis (6) expresse

---

(1) Bened. XIV, Const. *Paterna Charitas*

(2) Leo XIII, Const. *Æterni Pastoris*, suprà p. 42.

(3) Cf. suprà p. 133.

(4) Leo XIII, Const. *Æterni Pastoris*, suprà p. 43, sub IV.

(5) Non obstat privilegium concedi iis qui « in domibus religiosis *assidue* vitam degunt » (suprà p 42): hoc enim non idem sonat ac *continuo, sine ulla interruptione*, ut patet ex ipso genere vitæ quam generatim ducunt plures personæ in bulla designatæ, et ex eo quod Romanus Pontifex videtur maxime inculcare non requiri clausuram.

(6) Quod *senes* spectat, quum Romani Pontifices, ad removenda dubia antea oriri solita, adeo accurate determaverint ætatis limitem, censemus hanc ætatem haberi ut impedimentum per se sufficiens, etiamsi senes ceteroquin itineris Romani capaces essent.

loquebantur bullæ antiquæ de « impedimentis *longæ* carcerationis ac *diuturnæ* infirmitatis » (cf. suprà p. 131); et inde a Benedicto XIV adhuc expressis verbis requiritur infirmitas talis ut inde iter Romanum vel nullo modo vel non sine gravi incommodo peragi possit (cf. suprà p. 44, VII et 130).

Ex quibus merito deducendum videtur privilegium monialibus, oblatis, puellis, etc. concessum, ipsis indultum fuisse, non *ratione impedimenti particularis et personalis* — ut pro carceratis et infirmis —, sed *intuitu dignitatis et naturæ status* in quo vivunt et quem Romanus Pontifex habet *ut impedimentum universale et per se sufficiens*, ob incommoda magna quæ pro illis personis nata sunt oriri ex itinere instituendo. Jamvero sicut lex fundata in præsumptione periculi universalis obligat etiam illos qui huic periculo in particulari non sunt obnoxii, ita exemptione concessa communitati ob præsumptionem impedimenti universalis non privantur ea communitatis membra quæ forte dicto impedimento non detinentur. Ergo omnes personæ quæ veniunt sub nn. I-V (inter quas numerandas esse censemus eas quæ in beguinasiis degunt) possunt lucrari jubilæum, etiamsi iter Romanum ipsis facillimum esset.

C. C.

Manuel Social. La législation et les œuvres en Belgique par A. VERMEERSCH, S. J., docteur en droit et en sciences poliques et administratives, professeur de théologie morale et de droit canonique, avec une préface de M. GÉRARD COOREMAN, membre de la Chambre des Représentants, ancien Ministre de l'Industrie et du Travail — pp. XXXVI et 677 in 8° — Louvain, imprimerie des Trois Rois, 1900 — Prix 5 frs.

Voici un excellent ouvrage, comblant une véritable lacune et appelé à rendre les services les plus signalés à tous ceux qu'intéresse la question sociale.

Il n'existait pas, que nous sachions, de *manuel social* actuel, complet, écrit au point de vue belge. La bibliographie sociologique belge s'est enrichie pendant les dernières années d'un nombre considérable de monographies et de brochures intéressantes sur différentes parties de notre législation économique, et sur les nombreuses œuvres sociales écloses au souffle vivifiant du zèle et de l'initiative privés. Dans cette remarquable et féconde littérature sociale les publications du Cercle d'Etudes Sociales de Binche — pour ne mentionner que celles-ci — tiennent une des premières places. Il nous manquait cependant un ouvrage d'ensemble; et pas n'est besoin de faire ressortir l'importance primordiale que peut avoir aujourd'hui, où les questions sociales débordent toute la vie publique, un manuel social complet, destiné à orienter les hommes d'œuvres et les hommes d'étude dans ce vaste domaine. Le *Manuel Social* du R. P. Vermeersch justifie pleinement son titre et vient combler de la façon la plus heureuse la lacune signalée.

Ceux qui parcourront les pages attachantes de la préface, due à la plume autorisée de M. G. Cooreman, verront quels inappréciables services le *Manuel Social* rendra à tous ceux qui s'occupent d'œuvres sociales. Après la lecture du remarquable travail, ils ratifieront pleinement nous n'en doutons pas, l'appréciation si flatteuse que M. Cooreman a émise sur l'ouvrage du savant Jésuite: (1) « Le problème de la paix sociale est posé en Belgique, et certes il n'y est pas résolu. Mais s'est-on du moins préoccupé de la question? L'a-t-on étudiée? l'Eglise s'y est-elle intéressée? S'est-il trouvé, dans les diverses classes de la société, des hommes d'initiative pour en poursuivre la solution pratique? Le Législateur a-t-il pris souci d'intervenir? Où en est-on? »

Qu'a-t-on fait? Il faudrait un inventaire.

Que reste-t-il à faire? Il faudrait un programme.

---

(1) *Preface*, p. XIII.

Comment faut-il agir? Il faudrait un guide.

Le *Manuel Social* du R. P. Vermeersch sera à la fois cet inventaire, ce programme et ce guide. »

L'inventaire historique, et descriptif des lois, des institutions et des œuvres sociales est dressé suivant une méthode logique et claire, d'après les documents officiels et d'autres sources des plus autorisées. Les nombreuses références et indications bibliographiques seront souverainement utiles aux économistes, aux praticiens comme a tous ceux qu'intéresse l'étude des questions sociales.

De ci de là le R. P. Vermeersch propose quelques remarques critiques et signale en passant certaines réformes à introduire au programme social. Certes, dans cet immense domaine où tant d'organismes se meuvent, et où tant d'intérêts se coudoient et s'entrecroisent, il est difficile, impossible même de rallier à toutes ses opinions sur les questions de détail et les applications particulières l'unanimité des suffrages. Le R. P. Vermeersch n'est d'ailleurs pas de ceux qui évitent les problèmes épineux; il ne discute pas il est vrai, les points controversés entre théoriciens; toutefois il insinue à l'occasion, mais toujours en termes pondérés, sa manière de voir. Tous cependant lui rendront cette justice, que dans son programme social il reste fidèle à la franche profession de foi émise en tête du volume: « Entre ces deux extrêmes (1) on conçoit une doctrine intermédiaire, qui, sans répudier les lois sociales, n'en fait pas une panacée; qui limite l'intervention du pouvoir aux cas où l'efficacité en est certaine et exclusive, où elle peut seule procurer un bien général de l'ordre temporel. Dans ce système, l'État ne supplante plus l'initiative privée: il supplée à son défaut. Il n'est plus le gérant d'office de tous les intérêts: il n'est qu'un subrogé-tuteur, auquel le bien commun attribue une

(1) C'est-a-dire entre le libéralisme économique et le socialisme d'Etat, pp. 4 et 5.

compétence subsidiaire..... Cette doctrine domine en Belgique, c'est la vraie ». — Le R. P. Vermeersch assigne à la religion la place d'honneur qui lui revient dans la solution de la question sociale.

Mais il importe de dire aux hommes d'œuvres que c'est à eux que le *Manuel Social* s'adresse en tout premier lieu. Il est en effet destiné à les orienter au milieu des innombrables associations et œuvres de tout genre, qui se multiplient comme par enchantement sur tous les points de la Belgique. Ils y trouveront, présentés dans un style très clair, des renseignements sobres et complets sur notre *législation sociale* et les divers organismes officiels ; ensuite, « un exposé lucide et complet des *œuvres*, de leur but particulier, de leurs avantages propres, de leur fonctionnement, de leur mécanisme, et d'autre part, des conseils judicieux et des avis pleins de sagesse.... » (1). La tâche, on en conviendra, était singulièrement difficile ; et cependant on trouvera bien peu de critiques à faire et d'omissions à signaler.

Des tables alphabétiques disposées à la fin de l'ouvrage contribuent, avec une table des matières très détaillée, à rendre le maniement du volume d'une grande facilité.

Nous avons la conviction que cet excellent *Manuel* recevra un très bon accueil de la part du clergé. C'est avant tout au zèle sacerdotal que la Belgique doit cette merveilleuse efflorescence d'œuvres sociales qui s'épanouit sous nos yeux. C'est grâce au dévouement éclairé et assidu du clergé dans l'organisation et la direction des œuvres religieuses et économiques, que celles-ci pourront produire les heureux effets qu'on est en droit d'attendre d'elles. L'ouvrage du R. P. Vermeersch sera d'un précieux secours aux prêtres dans la mission délicate et difficile qu'ils ont à remplir.

A. C.

---

(1) *Préface*, p. XVI.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

—

I

An et quare bene fecit Razias semetipsum occidendo, uti narratur II Machab. XIV, 41-46?

II

Explica, quomodo voluntas humana Christi fugiendi mortem (*Pater... transeat a me calix iste*, Matth. XXVI, 39) non fuerit contraria voluntati divinæ.

III

An, quandonam et quomodo moneri debet pœnitens de nullitate matrimonii quam bona fide ignorat?

IV

Quid est impedimentum 1/ *occultum*, 2/ publicum natura vel facto?

V

Cum quibusnam personis, quibusnam in impedimentis et quibusnam sub cautelis dispensare valent Ordinarii, vi facultatis a C. S. O. die 20 Februarii 1888 concessæ?

VI

A quo, quo modo et habitu deferendum est sacrum oleum infirmorum, 1/ si sola administranda sit Extrema Unctio ; 2/ si simul cum ea administretur Viaticum?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. Explica *ad Hebr.* XIII, 10: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* 11 *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* 12 *Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

R. 10. *Habemus* nos christiani *altare* eucharisticum, de quo nos edere possumus, sed *de quo*, i. e. de cujus hostia super ipsum immolata, *edere non habent potestatem*, edendi non habent facultatem, *qui tabernaculo deserviunt*, i. e. sacerdotes levitici, et à fortiori quicumque eorum ministerio sive olim in tabernaculo sive jam in templo Hierosolymitano utuntur Judæi. — Demonstrare vult Apostolus non esse cur Judæo-christiani participent escas sacrificales Judæorum. Namque, ait v. 9, ex una parte escæ istæ nihil inserviunt ad cordis stabilitatem animæque salutem, ex altera vero parte, v. 10, præsto ipsis est altare adeoque epulum sacrificale quo possint cor stabilire et ad salutem nutrire, à cujus verò participatione excluduntur Judæi qua tales, adeoque et christiani Judaizantes.

Sermonem hîc esse de altari adeoque sacrificio vero ac propriè dicto manifestum est ex eo quòd hoc altare opponitur vero et propriè dicto altari mosaico. Quòd autem non agatur de ara crucis, uti volunt S. Thomas et Estius, sed de mensa eucharistica, colligitur 1° ex verbo *habemus*, quod significare videtur aliquod altare cujus sit præsens usus in aliquo Ecclesiæ sacrificio,

quale nullum jam est præter incruentum Eucharistiæ sacrificium; 2° ex eo quòd victima cogitatur *edenda :* nullum enim aliud altare habemus de quo proprie edamus, nisi mensam dominicam; 3° ex eo quod sacrificale epulum nostrum opponitur veris ac proprie dictis escis judaicis; 4° ex I Cor. X, 21 ubi idem Apostolus à mensæ eucharisticæ participatione excludit eos qui participant mensam sacrificiorum ethnicorum : *Non potestis*, ait, *mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum;* unde hîc veluti dicat: Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ Judæorum. — Neque interpretationi nostræ obstat quòd Paulus, ad demonstrandum Judæos non posse de altari nostro edere, argumentum ex eo desumit quòd Jesus extra portam, nempe in ara crucis, mortem passus sit v. 12: nam argumentum hoc valet in verissimo supposito quòd unum idemque sit sacrificium Missæ ac sacrificium crucis: ex hac enim identitate liquet eum qui non potest participare sacrificium crucis, non posse participare mensam dominicam.

Jam v. 11 demonstrat Apostolus Judæos, qua tales, edere non posse de nostri altaris victima. Arguit autem ex eo quòd victimam nostram figurarent victimæ pro peccato die magnæ expiationis immolandæ, quæ totæ erant extra castra cremandæ, adeo ut nemo Judæorum ex eis edere posset. Ex quo colligendum relinquit eos qui adhuc veteri legi deserviunt, non habere facultatem edendi ex sacrificio nostro. Vis autem consecutionis est in correspondentia figuræ et rei figuratæ, quatenus tales sunt. Ait igitur: *Quorum enim animalium* sc. vituli pro peccato Pontificis, et hirci pro peccato populi (Levit. XVI, 3, 9) *infertur sanguis pro peccato* die decima mensis septimi, quæ erat annuæ expiationis generalis totius populi (Levit. XVI, 29, 30) *in Sancta*, in Sanctum Sanctorum, quod erat pars sanctissima et secretissima tabernaculi post velum secundum, *per pontificem* (Levit. XVI, 15), *horum corpora* non comeduntur,

nec comedi possunt à Judæis, sed juxta legem Levit. XVI, 27, *cremantur extra castra* prius, dein extra urbem Jerusalem. Cf. etiam Levit. IV, 12, 21; VI, 30, unde patet quascumque hostias pro peccato sive Pontificis sive universi populi mactatas, igne comburendas esse.

12. *Propter quod*, ut nempe impleret illam figuram de hostiis istis piacularibus non comedendis sed extra castra comburendis, *et Jesus*, utpote victimarum istarum antitypus, *ut sanctificaret*, mundaret à peccatis, *per suum* (gr. proprium) *sanguinem populum* judaicum, seu potius genus humanum universum, *extra portam* urbis Jerusalem, cujus speciem castra veterum Israëlitarum expresserant, mortem crucis *passus est*. Ex quo consequitur Judæos, qua tales, non posse participare sacrificium in ara crucis oblatum, adeoque nec sacrificium Missæ, utpote cum sacrificio crucis identicum.

Ex hoc loco meritò sic concludit Van Steenkiste in h. l. « Ergo nos christiani habemus sacrificium, in quo immolatur idem Christi corpus quod in cruce immolatum fuit (cf. v. 12), et de quo sacrificio edere possumus. Ex hoc textu invictè demonstratur existentia sacrificii Missæ, et simul realis Christi præsentia in SS. Eucharistia. Etenim sacrificium christianorum hic opponitur sacrificiis Judaicis, ergo verum et reale sacrificium est; præterea non intelligitur ipsum crucis sacrificium, cujus participes simus per fidem, nam dicitur christianos de illo sacrificio *edere* posse, quemadmodum Judæi victimas juxta ritum Mosaicum immolatas manducabant; unde concludimus agi de reali victimæ esu: ergo de sacrificio in quo realiter præsens sistitur corpus Christi, et præsens tamquam victima, i. e. corpus immolatum; quæ quidem immolatio modo mystico fit in sacrificio Missæ, in quantum per duplicem panis et vini consecrationem sanguis à corpore mystice separetur, adeoque repræsentatio realis fiat illius quod in cruce factum est. Atque ita paucis ex hoc textu probamus: sacrificium Missæ esse sacrificium verum et proprie dictum, nimi-

rum sacrificium incruentum, repræsentativum sacrificii crucis. »

G. V. D. P.

II

Q. Expone quid in doctrina catholica intelligatur nomine operationis *theandricæ* Christi.

R. Quisnam sit hujus appellationis sensus tum hæreticus, tum catholicus edocemur ex can. 15 Concilii Lateranensis (a. 649): « Si quis secundum scelestos hæreticos deivirilem, quod Græci dicunt Θεανδρικὴν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos Patres, hoc est divinam et humanam, aut ipsam deivirilis (operationis), quæ posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam, sed non utriusque mirificæ et gloriosæ unitionis demonstrativam, condemnatus sit. » Denzinger, *Enchir.* n. 216.

Hæretico igitur sensu appellaretur operatio Christi *theandrica* si per hanc vocem significaretur in Christo nonnisi *unam simpliciter* esse operationem quatenus ab uno activo principio *quo* eliceretur: sive diceretur unam tantum in Christo naturam esse operantem, sive constitui aliquod operandi principium compositum ex divina et humana natura, eo fere modo quo in nobis ex anima et corpore exsurgit unum agendi principium. (1) Hæreticus esset talis sensus: nam quum in Christo sint et maneant duæ integræ et impermixtæ seu inconfusæ naturæ, quæ sunt principium *quo* operationis, ideo in Christo sunt et manent *inconfusæ* operationes quæ tum a divina, tum ab humana procedunt natura (2).

---

(1) Cfr. Franzelin, De Verbo Incarnato, Thes. XL, n. I.

(2) Hanc operationum distinctionem definivit etiam sexta Synodus (a. 680): « Undique igitur inconfusum atque indivisum conservantes, brevi voce cuncta proferimus: unum sanctæ Trinitatis et post incarna-

Catholica igitur doctrina confitetur imprimis duas in Christo inconfusas operationes, sed deinde agnoscit utramque Christi naturam cum alterius communione operari, ideoque inter illas operationes vigere *ordinis unitatem* seu, ut dicit Conc. Later. mirificam et gloriosam unitionem: ad hanc unitatem designandam Patres adhibuerunt appellationem *theandricam*. Quapropter *sensu catholico theandrica* dicitur operatio quæ *cum sit a supposito divinæ simul et humanæ naturæ, per alterutram naturam cum alterius communione perficitur*. (Billot, *De Verbo Incarnato*, Thes. XXXI).

In hac definitione præcipue attendenda sunt ultima verba: *per alterutram naturam cum alterius communione*. Tunc enim operatio proprie dicetur *theandrica* quando habetur quædam *unio* divinæ et humanæ naturæ *in ordine ad operandum;* (1) secus non habetur ratio cur theandrica dicatur ipsa operatio. Inde non *theandrica* dicitur operatio unice quia procedit a supposito quod divinam simul et humanam habet naturam, sed quia a

---

tionem dominum nostrum Jesum-Christum verum Deum nostrum esse credentes, asserimus, duas ejus esse naturas in una ejus radiantes subsistentia, in qua tam miracula quamque passiones per omnem suæ dispensativam conversationem, non per phantasiam, sed veraciter demonstravit, ob naturalem differentiam in eadem una subsistentia agnoscendam, dum cum alterius communione utraque natura indivise, et inconfuse propria vellet atque operaretur: juxta quam rationem et duas naturales voluntates et operationes confitemur, ad salutem humani generis convenienter in eo concurrentes » Denzinger, *Enchir.* n. 238.

(1) Hoc sensu *theandricam* appellationem explicat S. Thomas: « Dionysius ponit in Christo operationem Θεανδρικὴν, id est, divinam virilem vel divinam humanam... per hoc quod divina operatio ejus utitur humana, et humana ejus operatio participat virtutem divinæ operationis » III, q. XIX, a. 1, ad 1. — Eamdem notionem tradit Jungmann: « omnis Christi operatio tum edita secundum humanam naturam, tum post incarnationem præstita secundum divinam naturam *cum aliqua subministratione naturæ humanæ*, dici potest deivirilis » *De Verbo Incarnato*, n. 216. « Eæ igitur actiones divinæ quas Verbum operatur mere ut Deus, sine subministratione aliqua humanitatis assumptæ... non dicuntur deiviriles » op. c. n. 207 in nota 2.

Idem docent Franzelin, op. c. l. c. n. II; Billot, l. c.

tali supposito procedens fit per quamdam communionem utriusque naturæ. Quapropter illæ Verbi actiones, quæ etiam post Incarnationem, ad solam divinam naturam pertinent, quales sunt creatio et conservatio rerum, non dicuntur theandricæ (1).

Porro si inquiritur qua ratione habeatur hæc divinæ et humanæ naturæ communio in ordine ad operandum, triplex assignandus est modus : primus est « in quantum operatio humanitatis per divinitatem ita regebatur ut esset semper ordinatissima, et omnibus numeris absolutum perfectionis exemplar. Præterea secundo, consideratur communio naturarum in operando, in quantum divinitas humanitate utebatur tamquam instrumento ad operationem miraculorum, et eorum quæ supra naturam erant. Tertio demum est attendenda communio divinitatis cum operante humanitate, inquantum Verbi divinitas, non quidem agendo sed formaliter sustentando humanitatem, eo ipso præstabat ut actiones meritoriæ et satisfactoriæ a sola humanitate elicitæ, essent actiones suppositi divini, ac per hoc, infinitam quamdam in seipsis æstimabilitatem ac dignitatem involverent. » Billot, l. c.

Tandem quia nulla fuit *humana* Christi operatio in qua non communicaverit divinitas uno ex supradictis modis, ideo *quævis operatio Christi humana* est *theandrica; non* vero vice versa *omnis operatio divinæ naturæ in Christo dici potest theandrica:* nam humanitas in iis solis operationibus divinitatis communicavit quæ dispensationem incarnationis et redemptionis spectant. Cfr. Billot, l. c.; Franzelin, l. c.

J. V. D. M.

(1) Ergo non admittendum quod dicit Ill. Lambrecht : « operationes mere humanæ et operationes simpliciter divinæ possunt vere dici *theandricæ* a/ ratione personæ quæ ob duas suas naturas recte vocatur *Deus-homo...* » *De Incarnatione*, P. prior, c. 3, § V. Nec consentiendum Einig docenti : « Sensu *generali* vocari possunt deiviriles actiones Christi *omnes*, tum quas operatur per naturam divinam, tum quas per naturam humanam operatur: idque ratione *suppositi agentis* ». *De Verbo Incarnato*, Thes. 5, 2 p.

III

Q. *Dijudica utrum et quanam ratione impedimenta canonica matrimonii afficiant infideles et hæreticos.*

R. I. **Infideles:**

A/ Evidenter subjiciuntur impedimentis canonicis quæ simul sunt juris *naturalis,* uti v. gr. impedimento impotentiæ, amentiæ etc.; item impedimentis quæ oriuntur ex jure *divino positivo*, uti constat pro impedimento ligaminis ex Instructione C. S. O., 28 Martii 1860 (1). Addit De Becker, *De Sponsalibus et Matrimonio*, p. 33, definitiones et declarationes juris naturalis et divini ab Ecclesia factas ad matrimonia infidelium indubie extendi, cum utriusque juris prædicti infallibilis et authentica sit interpres.

B/ Pariter afficiuntur impedimentis in canone Ecclesiæ admissis quæ simul etiam statuuntur *a principe civili*, in sententia nempe illorum qui principi sæculari agnoscunt potestatem statuendi impedimenta matrimonii.

C/ Impedimentis verò stricto sensu canonicis, quæ nimirum sunt *juris merè ecclesiastici,* non subjiciuntur *directe* sed *indirecte* tantùm.

1°/ Non subjiciuntur *directe*, quia Ecclesiæ deficit titulus jurisdictionis in ipsos, sacramentum videlicet Baptismatis, quo solo aliquis constituitur membrum Ecclesiæ ejusque jurisdictioni obnoxius.

2°/ Subjiciuntur *indirecte*, idque duplici ratione: vel a/ *ratione subjectionis* partis baptizatæ, cum qua

---

(1) « Certissimum est polygamiam simultaneam jure evangelico esse omnino illicitam, unde postquam Jesus-Christus (Matth. XIX) matrimonium ad pristinam reduxit sanctitatem unitatem et indissolubilitatem, addita pro baptizatis sacramenti dignitate, nec infidelibus, nec Judæis, nec ulli mortalium licuit plures sibi copulare uxores. Consequenter divinitus sic restituta monogamia, nonnisi unam uni legitimo validoque conjugio devinciri posse inconcussum fidei dogma habetur ». *Collectan.*, n. 1297.

infidelis intendit nuptias inire. Ad valorem enim matrimonialis contractus postulatur habilitas utriusque contrahentis, ac proinde inhabilitas quæ directe afficit unam partem indirecte inhabilem reddit alteram partem (1).

Ita impedimentum disparitatis cultus quo fidelis directe redditur ineptus ad matrimonium ineundum cum infideli, indirecte et hunc attingit in ordine ad irritandum matrimonium cum quavis persona fideli contrahendum; præterea ex capite consanguinitatis inhabilis existit non baptizatus ad ducendam quamcumque personam baptizatam ipsi intra 4^{m} gradum consanguineam; item ex capite affinitatis relate ad personam fidelem ipsi affinem ex copula matrimoniali usque ad 4^{m} gradum, ex copula vero fornicaria usque ad 2^{m} (2).

Quod etiam applica impedimento publicæ honestatis (Feije, *De Imped. Matrim.*, ed. 4^{a}, n. 408), imo et criminis, positis ponendis. Cfr. Feije, op. cit., n. 458; De Becker, l. c., p. 164 et decr. S. C. de Prop. F. 23 Augusti 1852, ad 2. (Collectan. de Prop. F., n. 1256). (3)

b *ratione magis remota*, quatenus « quædam sunt vincula *in infidelitate contracta* quæ, permanente infidelitate, nullum in valorem matrimonii influxum exercent, at *post conversionem* constituunt impedimentum dirimens ». De Becker, l. c., p. 33.

Ita docet decr. C. S. O. 26 Aug. 1891 « *affinitatem* quæ in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula

---

(1) Hisce ergo negatur communicatio exemptionis partis liberæ ad partem impedimentis subjectam: excipitur autem impedimentum clandestinatis, quod, secus ac reliqua impedimenta, spectat proprie dictam *formam* contractus. Cfr. Feije, *De Imped. matrim.*, nn. 315-318.

(2) Non refert utrum affinitas sit contracta ex facto partis fidelis vel imfidelis, uti eruitur ex Instruct. C. S. O. 16 Sept. 1824, ad Ep. Quebec., ad 2/ et 4/, apud *Collect.*, n. 1235.

(3) Nota quod « Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis a quibus exempta est pars infidelis »; ex eadem Instruct., ad 2/.

tum licita, tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis quæ in infidelitate ineuntur: evadere tamen impedimentum pro matrimoniis quæ ineuntur post Baptismum, quo suscepto, infideles fiunt subditi Ecclesiæ, ejusque proinde legibus subjecti ». *Collectan.*, n. 1247. Cfr etiam decr. S. C. de Prop. F. 23 Aug. 1852, apud *Collectan.*, n. 1237; decr. C. S. O., mensis Junii 1895, apud *Nouv. Rev. theol.*, XXIX, p. 661; decr. C. S. O. 16 Dec. 1898 apud *Rev. theol. Franç.*, 1892, p. 195. Nota, juxta dicta sub a/, sufficere *alterutrius* conversionem ut ex capite affinitatis irritetur matrimonium inter dictas duas personas quæ in infidelitate affines sunt factæ.

Contrà *publica honestas* inter infideles non est attendenda in ordine ad matrimonium post Baptismum contrahendum, id explicite docente C. S. O., in decreto 19 Apr. 1837, apud *Collectan.*, n. 1254. Ad propositam nempe quæstionem: « Titius paganus duxit Mæviam paganam sed non consummavit; post mortem Mæviæ Titius fit christianus: potestne ducere Bertham sororem vel consobrinam Mæviæ e pagana factam christianam? idemque estne de sponsalibus paganorum ac de matrimonio rato? », respondit S. Congr.: « impedimentum non subsistere ».

Ratio discriminis esse videtur in hoc quod *affinitas*, inter infideles contracta, si, quatenus constituit impedimentum, est juris mere ecclesiastici, inducit tamen inter affines vinculum quasi physicum, jure naturæ existens ipsisque adhærens, quodque post Baptismum logice evadit impedimentum (1). *Publica* vero *honestas* non

(1) « Distingui namque debet *affinitas* in se ac physice spectata ab *impedimento* affinitatis. Porro affinitas etiam ab infidelibus contrahitur, quia etiam inter infideles verum est, quod vir et mulier per carnalem copulam una caro efficiuntur. Itaque ut habetur in cap. *Fraternitatis 35, quæst 10* « Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri? »…. Id tantum est discriminis quod affinitas ecclesiasticum non parit infidelibus impedimentum, fide-

tantùm est juris mere ecclesiastici quatenus est impedimentum matrimonii, sed ipsa relatio quæ fundamentum præbet impedimento, est extrinseca dumtaxat, nec ullatenus physicum vinculum constituit; unde intelligitur quomodo, secus ac affinitas, ne fundamentum quidem præbet impedimento post Baptismum ab infidelibus incurrendo.

Eadem solutio quæ valet pro publica honestate, applicatur impedimento *criminis* ab ipsa Congr. de Prop. F., quæ, 23 Aug. 1852, affimative respondit ad postulatum sequens: « Vir infidelis qui ante Baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius, cui, annuente muliere fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit, potestne, post utriusque Baptismum, matrimonium inire cum dicta muliere? ». *Collectanea*, n. 1256. Cæterum impedimentum nititur in delicto quod post susceptum Baptismum censetur penitus deletum et nullatenus attendendum.

II/ **Hæretici:**

Impedimentis matrimonii *generatim* sunt obnoxii idque *directe*. Revera ex una parte « perdurat in ipsis fundamentum subjectionis, nempe character baptismalis; per Baptismum autem unusquisque fit Ecclesiæ subditus. Nec obstat quod dicantur hæretici per excommunicationem tanquam putrida membra ab Ecclesia abscissi et rejecti: his enim unice significatur eos separari ab Ecclesia, in quantum in communibus bonis et suffragiis fidelium fructuose communicare nequeant: potius comparandi sunt transfugis et perduellibus, qui nihilominus

---

libus autem parit. Quapropter cum per Baptismum non tollatur a Balbina ejus jam physice contracta cum Paulo affinitas, hæc ipsa affinitas radicaliter in ea inhærens, quæ eidem infideli impedimento non erat ad contrahendum, impedimentum evadit post Baptismum, quo subdita fit Ecclesiæ, ejusque proinde legibus subjecta ». Ex instruct. C. S O. jam citata anni 1824, ad 2/, apud *Collect.*, n. 1235. Porro dicta Balbina mulier erat infidelis, post suum Baptismum in uxorem ducenda a quodam Demetrio christiano viduo; habuerat autem infidelis copulam carnalem cum Paulo Demetrii ex priore uxore filio.

suorum Principum auctoritati subjacent ». Van den Berghe, *De Legibus,* n. 105. Ex alia parte nequaquam ab illa subjectione eximuntur neque generali Ecclesiæ statuto neque præscriptione vel consuetudine contraria, uti latius disserendo ostendit Feije, *De matrimoniis mixtis*, p. 89 et seq.; contrà, positive in ipsos urgetur subjectio pluribus in documentis.

Inter hæc documenta præ cæteris afferenda est Constit. Benedicti XIV, *Singulari nobis*, in qua decernit Pontifex iterandum esse matrimonium absque dispensatione initum inter *Hebræum* et mulierem *protestantem:* « nam quod antea (ante reconciliationem cum Ecclesia) inierant, irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur disparitatis cultus », et quod sola Ecclesiæ auctoritate est inductum.

Item in celebri Declaratione ejusdem Benedicti XIV, 4 Nov. 1741, « declarat Sanctitas sua matrimonium hujusmodi (in Hollandia clandestine initum inter hæreticos vel inter hæreticum et catholicum), *alio non concurrente canonico impedimento*, validum habendum esse ». *Collectan.*, n. 1420. Cfr. etiam Const. *Magnæ nobis,* Const. *Ad tuas manus* et Litteræ ad Episcopum Vratislaviensem; rescriptum Pii VI ad Cardin. de Franckenberg ejusque Litteræ ad Archiepiscopum Pragensem etc... quæ documenta præter alia citantur apud Feije, l. c., p. 91 et seq.

Idem constat ex decreto S. C. C. 18 Jan. 1663, ad 3/, apud *Collectan.*, n. 1388; pariter ex Instructione C. S. O. 28 Martii 1860, in qua legitur: « quoad infideles pensitanda sunt impedimenta legis naturæ, pro hæretico vero etiam impedimenta Ecclesiæ catholicæ cui subjicitur ». *Collect*, n. 1297.

Suffragatur etiam tenor facultatis Episcopis concedi solitæ ad quinquenium, nimirum: « dispensandi... in contrahendis et *contractis*, cum *hæreticis* conversis etiam in 2. simplici et mixto... »

Dicitur *generatim*, propter specialem disciplinam circa

impedimentum clandestinitatis, a quo hæretici non quidem universaliter sed specialibus in adjunctis existunt liberi in ordine ad matrimonia inter se ineunda vel matrimonia mixta contrahenda.

A. D. S.

IV

Q. *Titius et Caius fratres matrimonium contrahunt respective cum Titia et Caia sororibus, quæ sunt consobrinæ germanæ Titii et Caii.*

Expone quoties et quonam gradu inter se consanguinei sint Paulus et Paula, proles respective ex hoc duplici matrimonio procreatæ?

R. Casum propositum solvimus exponendo et applicando juris principia quibus dignoscitur multiplex consanguinitas ejusque gradus computantur.

I/ **Principia:**

1°/ *Quoad multiplicitatem*, principium est: toties, coram jure canonico, multiplicari consanguinitatem inter duas personas, quoties, ab utraque persona ascendendo, convenitur in unum stipitem utrique communem intra 4^{m} gradum inclusive, attentis tamen regulis a jure indictis, signanter:

a/ Vir et uxor, *quoties sumuntur tanquam stipes*, considerantur *in modum unius;* unde fratres germani non sunt dupliciter consanguinei ex eo quod conveniant in communem patrem et matrem, sicuti non duplicatur consanguinitas inter consobrinos germanos ex eo quod conveniant in communem avum et aviam.

b/ In computandis gradibus (et consanguinitatibus) *attenditur stipes propinquior;* secus enim fratres essent dicendi esse in 2°, in 3° et in 4° gradu, quia transeundo per parentes ascendunt ad communem avum, proavum et abavum...

Quæ altera statuti principii restrictio non significat, tacto semel stipite proximiori, ulterius non esse atten-

dendum ad stipitem remotiorem, uti nonnulli voluerunt a C. S. O. reprobati, in decreto 11 Martii 1896 (*Collat. Brug.*, I, p. 376): non impedit nempe transitum ad ulteriorem stipitem *per duas diversas personas* stipitem intermedium constituentes, sed utique vetat ne utraque linea simul *per eamdem personam* transeant.

Ita, uti exponitur in dubio per dictum decretum soluto, quando contingit « matrimonio jungi sponsos in secundo æquali consanguinitatis gradu devinctos, quorum subinde soboles, post secundam generationem, easdem iterum in eodem gradu prohibitas nuptias appetit contrahere », præter impedimentum consanguinitatis in 2° gradu æquali lineæ collateralis, duplex aliud habetur « quarti gradus æqualis impedimentum...: unum quidem, dum sponsi linea per avum, et linea sponsæ per aviam, usque ad communem stipitem 4i gradus protenditur, alterum autem, dum, inversa ratione, ad eumdem gradus 4i stipitem ducitur linea sponsi per aviam, atque per avum linea sponsæ ».

Bis nempe protenditur linea ab utroque sponso ad abavum, *quin transeat per eamdem personam:* dum enim a sponso transit per *avum*, a sponsa transit per *aviam* et vicissim.

Nec huic *distincto* transitui per avum *seorsim* ac per aviam obstat restrictio posita sub a/, cum non sint habendi *per modum unius* maritus et uxor, quando transitum præbent ad remotiorem stipitem, sed tantùm *quando sumuntur tanquam stipes*, uti sumuntur in computatione 2i gradus.

Conciniori igitur formula potest exhiberi integrum principium: Toties multiplicatur consanguinitas, inter sponsos v. gr., quoties lineæ, quæ ascendunt ab utroque sponso, conveniunt, infra gradus prohibitos, in unum stipitem utrique communem, etiamsi ducantur per personas stipitem intermedium constituentes, modò *simul per eamdem personam* non transeant lineæ ambæ.

2°/ *Quoad graduum computum:* sola hic attendenda

regula sonat: « In linea *collaterali* duæ personæ *æqualiter* distantes a communi stipite, tot gradibus distant inter se, quot *una* distat a communi stipite ». Theol. Mechl., *De matrim.*, n. 75: hæc autem tot gradibus distat a communi stipite quot generationes intercedunt.

II/ **Applicatio:**



Attentis principiis, ex sola schematis obvia inspectione liquet:

1°/ Paulum et Paulam *dupliciter* esse consanguineos *in 2° gradu æquali lineæ collateralis: semel* nempe conveniunt in eumdem communem avum Fredericum, Paulus per patrem Titium et Paula per patrem Caium; *semel* etiam conveniunt in communem aviam Fredericam, ascendendo a Paulo per matrem Titiam, a Paula vero per matrem Caiam.

2°/ *Dupliciter* esse Consanguineos *in 3° gradu æquali lineæ collateralis*, quia *bis* conveniunt in communem stipitem Carolum, triplici generatione distantem, idque lineas ducendo ab utroque sponso per *distinctas* personas, nimirum: a/ a Paulo per patrem Titium et avum Fredericum, a Paula vero per matrem Caiam et aviam Fredericam; b/ a Paula per matrem Titiam et aviam

Fredericam, a Paulo vero per patrem Caium et avum Fredericum. (1)

Sunt ergo nostri sponsi *quadrupliciter* consanguinei : bis in 2° gradu æquali et bis in 3° gradu æquali lineæ collateralis.

Nota 1°/ Contra solutionem propositam mota est difficultas a nonnullis circulis, qui contendunt *quadruplicem* adesse consanguinitatem *in 3io gradu*. Quod sic conantur stabilire :

Si Titia et Caia non essent sorores et sola Titia esset filia Fredericæ, jam adesset *duplex* in 3° gradu consanguinitas inter sponsos ; *quia*, aiunt, ad duplicem consanguinitatem sufficit ut ab uno sponso Paulo *duplici via* ascendi liceat ad communem stipitem Carolum, *unica* autem via a sponsa Paula, uti habet Theol. Mechl., *De Matrim.*, (ed. 1894), in schemate p. 365 proposito.

Ergo duplicanda est consanguinitas si *utraque*, Caia nempe et Titia, descendunt a Frederica, addendo, ratione Caiæ, duplicem consanguinitatem duplici consanguinitati exortæ ratione Titiæ. (2)

Resp. Quidquid sit de *consequentia* antecedens inter et consequens, de qua confer Planchard, apud *Rev. theol. Franç.*, 1896, pp. 542 et seq., *negamus antecedens.*

Ad rationem autem qua antecedens fulcire nituntur, illam non reprobamus imo ipsam admittimus, *modò* tamen, quod sedulò nota, salvum sit principium generale casus solutioni præpositum, modò videlicet ductæ lineæ non transeant *per eamdem simul personam.*

---

(1) Duplex hæc consanguinitas in 3° gradu oritur ergo ex consanguinitate quæ existebat in 2° gradu inter Titium et Titiam ex una parte et Caium et Caiam ex alia parte : quæ consanguinitas non est ablata per dispensationem quam obtinuerunt in ordine ad respectivum matrimonium. Namque « dispensationis vis, ait Feije, l. c., n. 361, non ea est ut tollat consanguinitatem pro futuro, sed ut inter dispensatos id tollat quod Ecclesia constituit, nempe prohibitionem matrimonii ».

(2) Aliis verbis : Si Paulus *duplici* via descendit a Carolo, et Paula *unica* tantum, jam datur *duplex* consanguinitas. *Ergo*, si Paula *duplici* via ab eodem Carolo descendit, datur *bis duplex* seu *quadruplex* consanguinitas in 3io gradu.

Jamvero si juxta hypothesim, Paula descendit a Carolo per solum patrem Caium adeoque solum avum Fredericum, a Paulo et Paula ad Carolum *semel* tantùm ascendes *per distinctas personas:* nimirum a Paulo per Titiam et Fredericam, dum a Paula linea protenditur per Caium et Fredericum; non est attendenda scilicet linea quæ ad Carolum ducitur a Paulo per Titium et Frederium, quia unica linea a Paula ducenda transit simul per eumdem Fredericum.

Essent ergo consanguinei *semel* tantùm in 3io gradu sicuti semel tantum in 2o gradu æquali.

2o/ *Ad valorem dispensationis* indicandum est in libello supplici *quotupliciter* sponsi, infra gradus prohibitos, consanguinitate devinciantur. Inter ea enim quæ, juxta Instructionem C. de Prop. F. 9 Maii 1877 « in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda, de jure vel consuetudine aut stylo Curiæ exprimenda sunt ita ut si, etiam ignoranter, taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur », occurrit sub n. 5: « *Numerus impedimentorum,* v. gr. si adsit duplex aut multiplex Consanguinitas... ». *Collect.*, n. 1482.

Attamen, juxta decretum 24 Febr. 1899, relatum apud *Collat. Brug.*, IV, p. 422 valida est dispensatio, etiamsi in libello supplici defectuose indicetur numerus impedimentorum consanguinitatis, « dummodò exponatur casus uti est, non obstante errore materiali in computatione impedimentorum », puta quando oratores arborem genealogicam exhibent completam.

A. D. S.

V

Q. *Bertha post mortem Petri conjugis, nuptias intendit inire cum Titio fratre defuncti mariti, desponsato nepti (nièce) Berthæ, cum qua nepte idem Titius copulam carnalem olim habuit.*

Determina naturam et quantitatem impedimenti dicto matrimonio obstantis et undenam oriatur indica.

R. Matrimonio Berthæ cum Titio obstat

1°/ Impedimentum *dirimens affinitatis licitæ in 1° gradu æquali lineæ collateralis*, oriens ex copula matrimoniali quam habuit Bertha cum Petro defuncto fratre Titii sponsi; matrimonium nempe supponitur consummatum. (1)

Affinitatem enim contraxit Bertha cum *consanguineis* Petri cui carnaliter est commixta; quæ affinitas, cum enascatur ex copula conjugali, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum lineæ collateralis inclusive. Hic autem habemus affinitatem *in 1° gradu æquali lineæ collateralis*, quia in eo gradu et ea linea Titius consanguineus est Petri; affinitas autem Berthæ ad Titium sequitur gradum et lineam consanguinitatis quæ intercedit Titium inter et Petrum; uti namque habet Theol.

---

(1) Profectò, antequam Bertha contraxit cum Titio affinitatem legitimam ratione copulæ conjugalis cum Petro Titii fratre, jam obnoxia erat erga eumdem Titium impedimento *publicæ honestatis* in 1° gradu æquali lineæ collateralis, ex matrimonio rato. Porro contendit Feije, *De Imped. Matrim.*, ed. 4ª, n. 395, nec plane immerito, quod « una cum exorta affinitate (ex *consumnato* matrimonio), *remanet* publica honestas », et provocat ad decr. S. C C. 3 Dec. 1667, citatum ibidem, n. 377. Ab illo tamen altero impedimento referendo in corpore responsi abstinemus, tum quia ab aliis, nitentibus auctoritate Bened XIV (qui in opere *De Syn. Diœc*, l. IX, cap. XIII, n. 4 videtur ipsis favere), propugnatur dictum impedimentum coram subintrante affinitate evanescere (cfr. Gasparri, *De Matrimonio*, I, n. 721), tum potissimum quia, etiam in priori sententia, quoties « existit affinitas intra eos gradus intra quos adest etiam publica honestas, sufficit petere dispensationem in affinitate, quum ex hac tunc noscatur illa adesse, quia in ea includitur ». Feije, op. cit., n. 395.

Mechl., *De Matrimonio*, ed. 1894, p. 280 « quotu gradu et in qua linea aliqua persona est consanguinea alteri, eodem gradu et eadem linea est affinis illi quacum illa altera copulam habuit ».

2°/ Impedimentum *dirimens affinitatis illicitæ in 1° gradu mixto cum 2°*, seu in 2° gradu tangente 1m, lineæ collateralis, exurgens ex copula fornicaria Titii cum nepte Berthæ: extenditur nempe impedimentum affinitatis illicitæ usque ad 2m gradum lineæ collateralis inclusive.

3°/ Impedimentum *impediens*, ortum ex sponsalibus a Titio initis cum alia persona, quæ sponsalia supponuntur valide contracta et nondum resoluta.

Dicitur « *impediens* », quia ex dictis sponsalibus non inducitur impedimentum *dirimens publicæ honestatis;* prior namque sponsa Titii erat quidem consanguinea Berthæ novæ sponsæ sed *ultra primum gradum:* porro impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus validis expresse restrinxit Conc. Trid. *ad 1m gradum*, in Sess. XXIV, cap. 3, *de reform. matrim.*, ubi statuit « ubi autem valida fuerint (sponsalia), primum gradum non excedant ».

Nota. In hisce quæ præcedunt, terminis quæstionis videtur jam factum esse satis, indicatis scilicet natura et quantitate impedimentorum necnon fonte ex quo proxime exoriantur. Attamen cum latioris extensionis sit capax quæstio eamque reipsa latius extenderint non pauci, addendo *quonam ex jure* matrimonium dirimant vel impediant impedimenta nuptiis a Bertha cum Titio intentis obstantia, juvat adnotare:

a/ Utrumque impedimentum dirimens affinitatis licitæ et illicitæ inducitur *ex solo jure ecclesiastico;* quod omnes admittent, cum hic agatur de linea *collaterali:* dubium enim, si adsit (1), utrum affinitas matrimonium irritet ex

(1) Cfr. decr. C. S. O. 26 Aug. 1891, apud *Collectanea de Prop. F.*, n. 1247; decr. S. C. de Prop. F. 23 Aug. 1852, apud *Collectan.*, n 1237, et signanter Instruct. C. S. O. 16 Sept. 1824, ubi S. Congregatio solvens

jure naturali, solam afficit affinitatem in 1° gradu *lineæ rectæ*, eamque legitimam tantum.

b/ Impedimentum sponsalium impedit matrimonium seu illicitum efficit *ex jure naturali*, quatenus, qui fidem sponsalitiam alicui personæ præstitit, donec sponsalia subsistant integra, jure naturæ sub gravi teneatur datam fidem exsequi et proinde prohibeatur alteri cuivis matrimonio copulari.

A. D. S.

VI

Q. *An et quare licet legere et retinere libros censuræ ecclesiasticæ subjectos, qui sine approbatione editi fuerint?*

R. Juxta communem auctorum sententiam, libri censuræ ecclesiasticæ subjecti, qui sine competentis auctoritatis licentia publicati fuerint, non idcirco prohibentur; adeoque libros hujusmodi, aliunde non proscriptos, legere ac retinere licet, nisi ex iis sint de quibus expresse statuitur ob solum approbationis defectum induci prohibitionem.

I. In priori igitur responsionis parte, tanquam principium ponitur *prohibitionem edendi* libros sine prævia approbatione, *per se* non inducere *prohibitionem legendi retinendique* libros illos absque debita censura editos. Ratio est quia, neque in antiquo jure, neque in jure novo, ulla lex decretumve reperitur quo legislator *generaliter* sancierit libros, alioquin innoxios, *eo ipso* prohibitioni subjacere, quod absque legitima facultate publicati fuerint. Prohibitiones autem non sunt subintelligendæ, sed apertis verbis exprimendæ proponendæque; quod legislator facere non omisit, quoties

---

casum matrimonii inter affines in 1° gradu *in linea recta* scribit: « ... impedimentum affinitatis, *præsertim* ex copula illicita, ut in casu cum non habeatur ut juris divini aut naturalis, sed tantum ecclesiastici... ». *Collect.*, n. 1235. Ex quibus deduces vix vel ne vix quidem dubium subesse.

severiorem intendit sanctionem. *Peculiares* enim, et pro *specialis* indolis libris, prohibitiones hujusmodi reperiuntur, de quibus infra memorabimus. Ex quo intelligimus legislatorem voluntatem suam circa ea quæ volebat expressisse; censendum ergo non esse ea voluisse quæ non expressit.

Cæterum, quid intendit Ecclesia præviam censuram præscribendo? Cavere voluit ne scripta noxia pro utilibus populo fideli præberentur, indeque fidei morumque integritas detrimenti quid caperet. Si igitur libri prodeant qui innoxii reapse sunt et christiano populo utiles, finis quem sibi Ecclesia præstituit, salvus est et incolumis, quamvis conditio aliqua ab ea indicta pro librorum publicatione posthabita fuerit.

Nonne Ecclesia fidelibus permittit acatholicorum libros, qui ex professo de religione tractant, si constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri (art. 3); necnon libros eorumdem auctorum, qui obiter tantum fidei veritates attingunt, donec speciali decreto proscripti haud fuerint (art. 4)? Quare minus benignam se exhiberet erga opera catholicorum?

II. Verumtamen, propter *peculiare* periculum religioni fideique incolumitati gigni solitum ex quibusdam *specialis* argumenti libris, si absque venia ecclesiasticæ auctoritatis in publicum libere spargantur; idcirco Leo XIII expresse proscripsit hujusmodi libros sine approbatione editos.

Libri autem qui ob solum approbationis defectum interdicuntur, sunt sequentes:

1° S. Scripturæ « *Versiones* omnes *in lingua vernacula,* etiam a viris *catholicis* confectæ,... nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus ».

Ratio hujus prohibitionis est quod « experimento manifestum sit, si Sacra Biblia in vulgari lingua passim

sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri » (art. 7).

Utrum vero pari modo prohibeantur alii Sacrarum Scripturarum libri, vel earumdem adnotationes vel commentarii, qui sine Ordinarii approbatione a catholicis eduntur, inter auctores controvertitur. Affirmant plerique, innixi præcipue decreto Sacri Concilii Tridenti, *Sess.* IV, *de edit. et usu SS. Librorum;* verum, attenta Constitutione *Officiorum ac munerum*, qua R. Pontifex Leo XIII abrogavit quodcumque de prohibitione et censura librorum statutum jussumque antea latum, simulque inspecto principio supra stabilito, dicendum nobis videtur hujusmodi prohibitionem non existere. Cf. nostrum *Commentarium de prohibitione et censura librorum*, p. 104, n. 85.

2° « *Libri aut Scripta quæ narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula*, vel *quæ novas inducunt devotiones*, etiam sub prætextu quod sint privatæ » (art. 13).

Per hoc statutum compescere voluit Summus Pontifex effrenam illam *supernaturalia* quælibet, sive vera, sive quæ vera creduntur, publicandi vesaniam, quæ catholicæ religionis hostium risum et contemptum provocare nata est.

Quod vero spectat *devotiones* novas, Ecclesia sollicita de lege supplicandi, quæ legi credendi respondeat, præcavere voluit periculum « quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata, et ansam præbendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinæ catholicæ ac veræ pietati ». *Monitum generale* adjectum decreto *S. Officii* 13 Januarii 1875, renovatum 3 Junii 1891 et 3 Aprilis 1895 (*Nouv. rev. théol.*, T. VII, p. 205; T. XXIII, p. 382; et T. XXVII, p. 488).

3° Ob idem motivum, prohibiti habentur *libri, aut libelli precum, devotionis,* vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliique hujusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem

conducere videantur, si præter legitimæ auctoritatis licentiam publicentur (art. 20). Compertum enim est « iis libellis antiquas ab Ecclesia probatas, commendatas, et quotidianum in usum cum fidelium utilitate inductas pias precationes in aliam veluti faciem et figuram transformari » (dec. S. Officii, 3 Aprilis 1895).

« Cet article met un terme, il le faut espérer, à l'abondance de livres et d'opuscules de dévotion dont tant de gens bien intentionnés sans doute, mais insuffisamment instruits, ont saturé les fidèles trop confiants, au détriment de la saine doctrine » (Péries, *L'Index,* p. 120). « C'était le meilleur moyen à la disposition de l'Eglise pour protéger la piété et la vie spirituelle des fidèles contre l'envahissement des dévotions nouvelles et dangereuses; contre une piété fausse et stérile, toute de sensibilité et de pratiques mesquines, pour ne pas dire superstitieuses; parfois même contre un mysticisme tout d'imagination et fort voisin de l'erreur » (Boudinhon, *Le canoniste contemporain*, an. 1897, p. 672).

Notandum autem est dispositiones a Leone XIII promulgatas, quibus nonnulla opera ob neglectam approbationis solemnitatem prohibentur, non esse extendendas ad libros ante Const. *Officiorum* editos, nisi forte juxta antiqui juris statuta, simili prohibitioni fuerint obnoxii; quales sunt libri nuncupati *devotionis*, eorumque versiones, in quibus textui latino *ordinis Missæ,* ac præsertim canonis, addita est versio in lingua vulgari. Decr. S. C. Rituum, 4 Augusti 1877.

C. V. C.

Ordo Missæ

SEU

precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 174.)

—

Sequitur *Memento defunctorum;* nam « non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur (Missæ Sacrificium) » (1).

70. *Memento, Domine... pacis.* Cùm dicit hæc verba sacerdos jungit manus ante pectus easque usque ad faciem elevatas tenet, *intenditque oculos ad Sacramentum super altare* (Rubr.) et facit commemorationem fidelium defunctorum, quos speciatim vult Deo commendare. Hic quæri posset quare commemoratio defunctorum fiat post consecrationem, dum illa vivorum habetur ante sacram actionem. Ratio autem esse videtur quia fideles viventes et ipsi unà cum sacerdote, ut dictum est, concurrunt suo modo ad sacrificii oblationem, siquidem hæc fit nomine totius Ecclesiæ militantis; unde dicitur in canone: *qui tibi offerunt;* quapropter convenientius eorum memoria instituitur tempore *oblationis*, quod extenditur ab offertorio ad consecrationem. Defuncti vero non amplius sacrificii oblationi cooperari valent, sed tantum illius fructibus participare: quos fructus congruentius eis applicamus, peracta jam immolatione victimæ divinæ et dum hæc in altari est præsens. (2) Ulterius notetur cum quarti (op. cit., P. II, tit. IX,

(1) Conc. Trid. Sess. XXII, *De Sacrif. Missæ*, cap. II.
(2) Cfr. Gihr, l. c., p. 339.

n. 2): « In memento pro vivis tenentur oculi demissi vel clausi ad vitandam mentis distractionem; hic vero intenti ad Sacramentum teneri debent, quia ex Christi præsentia major devotio excitatur ».

Rogat igitur sacerdos ut Dominus memor sit, i. e. misereatur (suprà n. 49) *famulorum famularumque* suarum, seu eorum qui, dum viverent famulatui ejus fuerunt addicti, et *nos præcesserunt* in alteram vitam, *signo fidei* in Baptismate recepto insigniti, atque *dormiunt in somno pacis*, utpote qui in pace conscientiæ a peccato mortali immunis, proindeque in amicitia et gratia Dei obierunt. Frequenter in Scriptura mortui *dormientium* nomine vocantur eorumque status dicitur *somnus*, quo np. a laboribus et pugnis hujus vitæ quiescunt, usquedum dies gloriosæ resurrectionis illucescat, ubi a somno mortis corpora eorum excitabuntur.

71. *Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus.* Nullius ex filiis suis in fide et confessione Christi defunctis obliviscitur Sancta Mater Ecclesia, ideoque jubet sacerdotes suos altari adstantes, postquam Domino singillatim commendarunt parentes, benefactores aliosve sibi bene visos, omnium fidelium defunctorum in purgatorio degentium memoriam facere, atque pro eis a Deo efflagitare locum *refrigerii*, *lucis et pacis* seu in cœlum introductionem. Cœlum hic, respectu purgatorii, vocatur locus *refrigerii*, quo denotatur immunitas a pœna sensus maxime ignis (1); — locus *lucis*, seu visionis beatificæ, qua privantur et ad quam incessanter anhelant animæ purgantes: cœlestis autem « civitas non eget sole neque luna ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit (illuminat) eam, et lucerna ejus est Agnus » (*Apoc.* XXI, 23); — locus *pacis*, i. e. summæ tranquillitatis, qua anima, expleto omni desiderio, in summi boni fruitione requiescit. Dicuntur quidem suprà animæ

(1) Huc referri videtur mos aspergendi cadavera ac sepulchra aqua benedicta.

fidelium defunctorum dormire *in somno pacis*, quatenus scil. a pugnis et laboribus hujus sæculi liberati, cœlestis palmæ ac mercedis adipiscendæ certitudinem habent; sed cùm illa nondum perfrui ipsis liceat, illaque perfrui desiderio desiderent, ideo perfecta pace non gaudent, atque hanc a Domino eis indulgeri postulamus.

***

72. *Nobis quoque peccatoribus*. Defunctorum *memento* nobis in memoriam revocat quod moriemur et nos; ideoque postquam Dominum rogavimus ut eos *qui nos præcesserunt* in cœlestia tabernacula introducat, opportune eamdem gratiam pro nobismetipsis imploramus. Ut autem facilius exaudiamur, nos *peccatores* esse confitemur atque in signum contritionis ac pœnitentiæ pectus tundimus, scientes « quoniam nihil æque divinam majestatem inflectit ad impendendam hominibus misericordiam quam humilis peccatorum recognitio atque confessio, qua quis se indignum fatetur ex seipso divinis beneficiis, sed totam suam fiduciam collocat atque reponit in Dei misericordia » (1); Divina quidem misericordia una est, cum sit ipsa Dei essentia, sed multi et multiformes sunt effectus ejus seu opera, quæ in Scriptura vocantur Dei *miserationes* (v. g. Ps. XXIV et L). Petit igitur sacerdos sibi aliisque *de multitudine miserationum Dei sperantibus partem aliquam beatitudinis et societatem donari cum sanctis Apostolicis et Martyribus* aliisque cœlicolis. Ante consecrationem Sanctorum imploravimus suffragia et intercessionem, quo gratior fieret Deo nobisque magis fructuosa nostra sacrificii oblatio; peracta vero consecratione, postulamus, tanquam fructum sacrificii nostri, ut Deus nos in eorumdem Sanctorum cœtum adscribere seu eorum sortis æternæ participes reddere dignetur. — Nonnulli martyres ex insignioribus nominatim recensentur, quorum primus est

(1) Clichtov. l. c.

Joannes, np. Joannes Baptista, Præcursor Domini (1); unus vero solus ex Apostolis nomine proprio exprimitur, Matthias scil. qui in priori commemoratione non fuit nominatus « quia Passionis tempore nondum erat Apostolus, nec in evangeliis ejus nomen inter Apostolos legitur » (2); hic autem inter Martyres recensetur. Ceterum cur isti potius quam alii Sancti, tali numero aut tali ordine memorentur, non oportet multis inquirere, « quia, ut observat Suarez (*in IV*, *disp. 83*, *sect. 2*, *n. 17*) hæc et similia sæpe vel casu vel ex aliqua peculiari devotione possunt accidere ».

73. « *Intra quorum nos consortium*, *non æstimator meriti*, *sed veniæ quæsumus largitor admitte. Per Ch*^{m} *D. N.* ». Peccatores sumus, filii prodigi et rebelles, et quà tales cœlestis hæreditatis indigni et extorres: quare unice a misericordia divina partem cum Sanctis in æterna beatitudine sperare nobis licet; ideoque petimus ut Deus « non secundum peccata nostra faciat nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuat nobis (ps. 102) » [*non æstimator meriti*], sed benignus nobis *veniam largiatur*, intuitu meritorum Christi mediatoris ac redemptoris nostri, quatenus et nos demum computemur inter filios Dei et inter sanctos sit sors nostra (*Sap.* V, 5).

74. *Per quem (Christum) hæc omnia... omnis honor et gloria*. Horum verborum Bened. XIV (l. c. n. 13) sequentem proponit compendiosam interpretationem: « *Per quem hæc omnia, Domine*, *semper bona creas:* Deus enim Pater omnia creavit per Jesum Christum: *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil*, ut est in

---

(1) Hic non nominari S. Joannem Evangelistam, uti volunt quidam, vid. probatum apud Gardellini, nota ad decr. 4594. Quam sententiam amplexa est S. C. R. decr. 27 Martii 1824 ad II, statuens ad nomen *Joannis* sub hac oratione caput esse inclinandum in festo S. Joann. Baptistæ, non vero in festo S. Joann. Evangelistæ.

(2) Bened. XIV, l. c. lib. II, cap. XVIII, n. 5. Hæc quidem ratio æque valet de S. Paulo; hic tamen in priori oratione nominatur, quia, ut diximus, Ecclesia in sua liturgia, illum semper B. Petro associat.

Joann. cap. I; *in ipso condita sunt universa*, ut ad coloss. I; atque ita panem et vinum in Christi corpus et sanguinem conversum; neque enim in principio mundi tantùm panem et vinum creavit, sed continue renovat, et facit ut terra quotannis novum frumentum novasque uvas producat: *sanctificas*, nam in Christo Jesu dona ad altare oblata sunt dona sacra et ab usu communi semota: *vivificas*, Deus enim per Jesum Christum panem et vinum vivificat convertens in verum illius corpus et sanguinem, quæ sunt verum vitæ alimentum (1): *benedicis et præstas nobis*, nam Deus per Jesus Christum vivificat et sanctificat, cœlestesque super panem et vinum benedictiones diffundit, eaque nobis sic benedicta largitur, ut nobis sint vera vita. — *Per ipsum*, Christus enim Deus et homo verus, est mediator Dei et hominum: et *cum ipso*, nam Deus est Deo æqualis: *et in ipso*, quòd Patri consubstantialis sit: *est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria;* Deo enim Patri omnis honor et gloria per Filium, cum Filio, et in Filio, et in unitate Spiritus Sancti, qui ex utroque procedens æque cum Patre et Filio simul adoratur in sæcula sæculorum ».

75. Prædicta verba comitantur plures crucesignationes: nimirum dum sacerdos dicit *sanctificas*, *vivificas*, *benedicis*, ter producit signum crucis super S. Hostiam et calicem, quo significatur et commemoratur effectus salutares verbis illis expressos nobis promanare ex virtute crucis et passionis Christi. (2) Dein cum S. Hostia plura efformat crucis signa, nominando singulas personas SS$^{\text{n.æ}}$ Trinitatis; tria quidem nominando Christum Dei Filium, quia triplici pronomine *(per ipsum, cum ipso et in ipso)* designatur, semel nominando Deum Patrem (*est tibi Deo Patri*) et iterum semel no-

(1) Unde Ecclesia de SS^{ma} Eucharistia canit: *Panis vivus et vitalis — Panis vivus vitam præstans homini.*

(2) Nulla fit signatio ad verbum *creas*. quia beneficium creationis est redemptione anterius. Cfr. Chaignon, *Le prêtre à l'autel* (3e éd), p. 256.

minando Deum Spiritum Sanctum (*in unitate Spiritus Sancti*), quibus manifestatur summum honorem et gloriam seu supremum cultum SS^{mæ} Trinitati reddi per sacrificium crucis in altari mystice renovatum ; quod idem repræsentatur per elevationem Calicis cum S. Hostia immediate sequentem. — Tria autem signa, quæ ad Christum referuntur fiunt supra calicem, ubi continetur Christi sanguis, unde vividè exprimitur Christum Dei Filium in cruce esse immolatum ; quæ vero spectant ad Deum Patrem et Spiritum Sanctum fiunt extra calicem « quia etsi catholico sensu affirmari possit, propter hypostaticam unionem naturæ humanæ cum divina Christi, *Deum esse passum*, minime tamen dici posset Deum Patrem aut Spiritum Sanctum esse passum » Bened. XIV l. c. n. 15, ex Merato.

Per omnia sæcula sæculorum. Hæc verba recitat sacerdos *elata voce*, quasi invitans adstantem populum, ad ratificandum quæ ipse per canonem in silentio, veluti solus cum solo Deo, peregit orans et sacrificans. Quem consensum exprimit populus ore ministri respondens *Amen.*

Art. III. COMMUNIO.

76. Quæ sequuntur spectant ad sacramenti perceptionem : et quidem communioni nonnullæ preces atque ritus symbolici præmittuntur, quibus sacerdos et populus ad illud sacrum convivium sanctius præparentur ; alia vero subsequuntur, quæ ordinantur ad gratias Deo agendas atque Mysterii divini fructus salutares postulandos. — « Diligenter notandus est locus, quem S. Communio in Missa occupat. Est enim pars *integrans* Missæ, h. e. pars quæ efficit non ut Missa sit sacrificium sed ut sit *tale* sacrificium, scilicet *hostia pacis*, seu hostia gratiarum actionis et petitionis. In omnibus hostiis pacis sub antiqua lege habebatur partis victimæ comestio, quæ erat quasi convivium inter Deum et offerentes et proinde manifestissimum pacis et amicitiæ signum

inter Deum et hominem: soli enim amici commune celebrant convivium. Per victimæ immolationem ascendit homo ad Deum et per communionem rei oblatæ a Deo concessam descendit Deus ad hominem propter sacrificium oblatum. In nova lege in qua per sacrificium Missæ applicationem meritorum crucis petimus nullum majus beneficium intuitu oblatæ victimæ dare potest Deus quam ipsum corpus Filii incarnati, qui omnium est fons bonorum » (1).

***

77. **Præparatio ad communionem.** — Inchoatur ista ad communionem præparatio oratione dominica, quæ complectitur brevi compendio quæcumque salutaria efflagitare possumus ac per sacrosanctum sacrificium impetrare intendimus. Insuper ad mentis cum Deo conjunctionem piumque ergà ipsum amoris affectum in corde recitantis fovendum aptissima est, atque præ cæteris Deo accepta esse debet: etenim, ut ait S. Cyprianus: « qui fecit vivere docuit et orare,... ut dum prece et oratione quam Filius docuit apud Patrem loquimur, facilius audiamur (2). » Semper igitur cum vivido fiduciæ sensu hæc oratio fundenda, sed maxime tempore divini sacrificii, dum ipse Christus, orationis illius auctor, in statu victimæ supplicantis constitutus nobiscum ac pro nobis precari dignatur: quare toto cordis ac mentis affectu decet nos ei esse conjunctos, atque ideo præscribit rubrica ut sacerdos per hanc orationem oculos in Sacramentum teneat intentos.

Ipsi orationi præmittitur aliqua præfatiuncula: *Præceptis salutaribus* etc., qua videmur excusationis rationem proferre, quòd, creaturæ cum sumus atque vel servorum Dei nomine indigni, audeamus Deum altissimum *Patrem nostrum* compellare, atque familiares hu-

(1) Lambrecht, *Compend. ordinis Missæ explicatio,* sub fine.
(2) *De oratione Dom.*

jusmodi petitiones ad eum dirigere. Quapropter provocamus ad ipsius Dei Filium « qui inter cætera salutaria sua monita et præcepta divina quibus populo suo consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit, ipse quid precaremur monuit et instruxit » (1).

78. *Libera nos* etc. Hanc orationis dominicæ quasi appendicem pulchre explicat Clichtoveus l. c.: « Quoniam in postrema petitione orationis dominicæ populus fidelis sive minister illius vice loquens petivit *a malo liberari* et sacerdos celebrans idem exoptavit respondens *amen*, illam postulationem repetit et amplius explanat, a quibus malis populum christianum liberari velit latius declarans. Sane eumdem eripi exposcit a malis *præteritis*, utpote culpis quibus anteacto tempore Deum offendit et quarum adhuc manet (pœnæ) reatus ac debitum; a malis etiam *præsentibus*, scilicet peccatis quorum nunc reus est, et ab angustiis tribulationibusque in mundo insurgentibus, quæ nisi mitigarentur ad lapsum in peccata facile hominem impellerent; denique et a malis *futuris*, insidiis scilicet et laqueis tentationum ad culpam præcipitare molientibus: quinimò a quibuslibet malis culpæ et pœnæ, quorum occasione posset quispiam a Deo fieri alienus... (2) — At quoniam preces nostræ ex seipsis minus sufficientes sunt et efficaces ad impetrandum quippiam a Deo, imploratur deinde Sanctorum suffragium, ut multiplicatis intercessoribus facilius obtineatur divinum auxilium: et primò quidem Sanctæ Dei genitricis, quæ benignissima humani generis advocata assidue postulat pro nobis, et quidquid

---

(1) S. Cyprianus, l. c. — De Oratione dominica vid. Van Steenkiste, *Sanctum J. Ch. Evangelium secundum Matthæum* (3a ed.), p. 336 sqq.

In eamdem orationem commentaria Tertulliäni, S. Cypriani et S. Thomæ Aquinatis exhibet Hurter, *Sanctorum Patrum opuscula selecta*, tom. II.

(2) Bened. XIV op. cit. lib. II, Cap. XIX, n. 12 paulò diversam proponit interpretationem: « Sacerdos, ait, Dominum precatur, ut nos liberet *ab omnibus malis præteritis* quæ sunt peccata; *præsentibus*, quæ sunt variæ tentationes, quibus ad peccandum impellimur; *futuris*, quæ sunt pœnæ peccatis debitæ, sive temporales sint sive æternæ ».

petierit a Patre misericordiarum protinus assequitur; deinde sanctorum apostolorum Petri, Pauli et Andreæ, qui propter singularem qua præditi sunt excellentiam, potius quam cæteri hic nominatim exprimi dicuntur: siquidem Petrus a Domino constitutus est princeps apostolorum et dominici gregis pastor; Paulus, vas electionis, prædicator gentium, et nominis Christi annuntiator est delectus; Andreas vero omnium primus ad Christi agnitionem vocatus, et germanum suum Petrum ad Christum adduxit et ferventi animo crucem concupivit... (additur, *cum omnibus sanctis*). Omnium autem istorum Dei amicorum suffragante patrocinio, *pax in diebus nostris* et toto præsentis vitæ statu a Domino propitius nobis concedi postulatur, ut adjutrice ejus misericordia et benignitate, per geminam potissimum pacem a duplici malo tranquillitati opposito liberemur. Est enim quædam pax animi, quæ cordis est tranquillitas cum Deo, non sibi conscii de mortali culpa per quam Deus illi reddatur offensus... Per hanc autem pacem petimus *a peccato semper esse liberi...* Altera est pax temporis, quæ tranquillitas est a tumultu bellorum et incursionum hostilium in nos, sedationemque tribulationum quæ ab exteris persecutoribus solent infligi, et per hanc petimus *ab omni perturbatione esse securi:* neque id injuria: nam solent hujusmodi perturbationes infirmos animos plerumque a rectitudine dejicere et peccandi præstare materiam ».

79. Dum sacerdos dicit, *da propitius pacem in diebus nostris*, signat se signo crucis cum patena, super quam sacram hostiam est positurus, illamque reverenter osculatur: quibus exprimitur Christum passione et morte sua nobis veram pacem promeruisse: *Ipse enim est pax nostra... solvens inimicitias in carne sua* (Eph. II, 14); atque Deo Patri complacuit *reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt* (Col. I, 20).

(Sequetur).

H. V. D. B.

Quelques considérations

sur la base philosophique du socialisme scientifique contemporain.

CHAPITRE II

Remarques Critiques.

Nous venons d'esquisser brièvement la base philosophique du socialisme scientifique. Ce court aperçu a suffi pour montrer que la philosophie socialiste bat en brèche toutes les idées traditionnelles ; elle rompt ouvertement avec les théories philosophiques les mieux accréditées. Tout comme l'hégélianisme, dont elle s'inspire, elle a un caractère nettement révolutionnaire, et conteste résolûment la valeur définitive et immuable des créations de la pensée et des principes qui régissent les institutions humaines. Elle est essentiellement matérialiste et athée, et conduit à la négation de l'âme, de la liberté et des principes fondamentaux de la morale.

Le dissentiment entre les doctrines socialistes et les idées généralement reçues se manifeste donc trop profond et trop général, pour que nous puissions songer à entreprendre une étude critique adéquate et complète de la Sociologie nouvelle. Nous nous contenterons de signaler les principaux points faibles de la théorie Marxiste, et de développer sommairement quelques remarques générales. Nous aurons soin d'exposer en passant les opinions judicieuses d'un socialiste allemand de renom, Ed. Bernstein, dont le récent ouvrage « Die Voraussetzungen des Sozialismus und die Aufgabe der Sozialdemocratie » (1) a acquis en quelques mois une célébrité mondiale, et suscité des controverses violentes au sein du parti.

(1) Stuttgart, 1899.

M. Bernstein qui fut longtemps rédacteur en chef du *Sozialdemokrat*, entreprend dans cet ouvrage une revue critique des principes fondamentaux du Marxisme. On ne nous taxera certes pas de partialité en citant de ci de là l'opinion d'un juge aussi autorisé dans la matière. « J'ai parfaitement conscience, dit l'auteur, que mon travail s'écarte en plusieurs points importants, des considérations émises dans la théorie de Karl Marx et de Friedrich Engels, ces deux hommes dont les écrits ont exercé sur mes convictions socialistes la plus grande influence. L'un d'eux, Friedrich Engels, non seulement m'a daigné honorer jusqu'à sa mort, de son amitié, mais encore dans ses dispositions testamentaires et jusque par delà la tombe, m'a donné une preuve de sa grande confiance. Cette divergence de conceptions ne date franchement pas de ce jour; elle est le résultat d'une lutte intérieure qui a duré de longues années, et qui, j'en tiens la preuve en mains, n'était point un secret pour Friedrich Engels. » (Préf. p. IX).

*
* *

Mais, avant de nous prononcer sur la pierre angulaire du socialisme scientifique, le matérialisme historique, indiquons *les vices principaux de la méthode hégélienne* (1) qui a dans une large mesure contaminé les doctrines Marxistes.

1° Hegel confond deux choses essentiellement distinctes, la manière dont les êtres se manifestent à notre intelligence avec l'ordre objectif et réel : il identifie par conséquent l'ordre idéal et logique de nos connaissances avec l'ordre réel.

Dans l'ordre subjectif de la connaissance, l'esprit débute par l'idée générale et indéterminée de *l'être*, pour arriver ensuite par des déterminations successives

(1) Cfr. De San, *Institutiones metaphysicæ specialis*, T. I, Cosmologia, Pars I, Lovanii 1881, p. 87 ss.

ou des notes particulières aux genres, aux espèces et aux individualités. Hegel applique ce procédé logique à l'ordre objectif des existences : il part de la notion indéterminée de *l'être*, premier principe dans l'ordre réel comme dans l'ordre idéal, et qui, par des déterminations successives et réelles s'individualise dans tous les êtres. Le mouvement évolutif n'est en somme que le mouvement purement logique de l'absolu, et les étapes progressives de la réalité ne sont que le produit de la raison. Cette théorie ne résiste pas à l'examen philosophique : elle érige en effet l'idéalisme absolu en système, elle proclame l'existence des Universaux dans la réalité objective (a parte rei); tandisque la réflexion et l'expérience montrent à l'évidence que l'apparition de l'être dans l'intelligence n'est point identique avec sa genèse ontologique.

2° Hegel conçoit la notion objective (ratio objectiva) de *l'être* comme une essence absolue et subsistante, tandisque en réalité elle n'est qu'une notion abstraite par l'intelligence, une abstraction qui ne peut exister par elle-même. C'est par ce concept général et indéterminé que nous concevons d'abord les êtres; cette notion *analogice* commune à toutes les essences, n'existe que dans l'intelligence mais ne représente aucun être en particulier. A cette unité de rapport et de relation, résultant de ce que tous les êtres ont vraiment entre eux des rapports intelligibles communs, Hegel a substitué l'unité réelle d'une substance.

3° Le processus ou le mouvement dialectique par lequel Hegel prétend faire sortir de la notion abstraite de l'être, les essences intelligibles et les réalités du monde extérieur et de la conscience, est pleinement sophistique, absurde et contradictoire. Outre que Hegel pose lui-même la négation (antithèse) dans l'absolu, son mouvement dialectique se poursuit à tous les stades de l'évolution par l'identification de la thèse et de l'antithèse, c'est-à-dire, des contradictoires, pour aboutir à

l'identité universelle et indéfinie de toutes choses, du vrai et du faux, de l'esprit et de la matière, du monde physique et du monde moral, de l'être et du néant. La fameuse triade dialectique, dégagée de ses formes fascinatrices, revient à dire que l'être dans la thèse est *identique* avec sa négation pure; que l'être et sa négation tantôt identiques, *s'opposent* dans l'antithèse, et se *composent, résolvant toutes les oppositions*, dans la synthèse. Le terme de ce premier mouvement évolutif est l'être déterminé, c'est-à-dire affecté d'une limite. Or, il est évident que la *thèse* hégélienne est contradictoire dans les termes, que l'*antithèse* est en contradiction flagrante avec la thèse, et substitue arbitrairement à la notion abstraite d'être la notion du mouvement; enfin que la *synthèse* suppose à tort que toute détermination est une négation. Ainsi les déterminations des êtres ne sont point chose négative; elles ajoutent au contraire un nouveau degré d'être, et reculent les limites de l'être qu'elles déterminent. Un être limité n'est pas une pure négation, mais un être dont la réalité pourrait être plus grande, et qui est dans ce sens affecté de la négation de perfections ultérieures (1).

Nous n'insistons pas davantage, ne voulant pas encombrer de notions philosophiques abstraites cette courte étude. « La réalité a été sévère au système de Hégel, a dit M. Scherer (2). Il a été mis à l'épreuve, et il n'a pas résisté. De quelles promesses il avait séduit l'âme humaine, et qu'il les a mal tenues ». « La philosophie de Hegel... écrit à son tour M. Lichtenberger (3), conduit aux applications les plus dangereuses en politique et en religion; elle est, de plus, fondée tout entière sur des abstractions sans que Hegel nous in-

---

(1) Cfr. De San *o. c.*, p. 94. — Dupont, *Théodicée*, Louvain 1874, p. 53.

(2) *Revue des Deux Mondes* 1861, Février.

(3) *Histoire des idées religieuses en Allemagne depuis le XIIIe siècle jusqu'à nos jours.* — Paris, Fischbacher 1888, T. II, p. 21.

dique le procédé qui les lui fournit. C'est le jeu le plus grandiose que puisse jouer la raison, mais ce n'est qu'un jeu, car nulle part nous n'avons de terrain solide sous nos pieds. Hegel prétend construire le monde tout entier d'une idée, mais ce monde n'est, en effet, qu'une idée et, sous prétexte d'objectivité, nous tombons dans l'arbitraire le plus funeste ».

Critique du matérialisme historique (1).

La formule Marxiste du matérialisme historique, très catégorique au début, disions-nous, paraît plus atténuée dans les derniers écrits de Marx et de Engels. Néanmoins, ils n'ont cessé d'atribuer au facteur économique le rôle prépondérant et décisif dans la vie sociale, politique et intellectuelle. S'ils ont reconnu l'influence des facteurs intellectuels, ils ne leur ont attribué qu'un rôle presque toujours accessoire et subordonné, restreint à la forme de l'évolution sociale et n'agissant guère sur le fond.

Or, nous n'hésitons pas à déclarer que le matérialisme historique, même dans sa forme mitigée, est scientifiquement intenable. Des discussions violentes et passionnées surgissent actuellement au sujet de cette doctrine fondamentale entre les Marxistes purs et les partisans de Bernstein. Et certes, le jour n'est peut être plus loin, où le naturalisme historique subira une condamnation retentissante et sans appel, et sera renié par ceux-la mèmes qui ont mené campagne pour lui. Cette théorie n'est pas seulement une utopie dangereuse, elle a de plus le double défaut capital de rejeter les doctrines les mieux établies, et de n'être pas conforme à la réalité des faits.

---

(1) Il n'entre évidemment pas dans notre plan de discuter ici toutes les erreurs fondamentales que la conception matérialiste de l'histoire professe ouvertement ou par voie de conséquence logique, telles que le fatalisme, le positivisme, la négation de la spiritualité de l'âme et de l'ordre surnaturel.

Le socialisme scientifique a incontestablement rendu service à la science, en appelant l'attention du monde savant sur l'influence indéniable du facteur économique dans le développement général des sociétés humaines (1). Tout le monde aujourd'hui accorde déjà que les conditions économiques sont un élément social d'une importance considérable. Nous ne contestons nullement que ces conditions exercent une influence tantôt heureuse, tantôt néfaste sur les institutions religieuses et morales, politiques et sociales des peuples. Seulement, de là à prétendre que le facteur économique est le facteur prépondérant, agissant partout et toujours en dernière instance, évoluant d'après des lois fatales, et déterminant avec une inéluctable nécessité toute la superstructure idéologique de la société, il y a de la marge !

1° Nous observons d'abord que les Marxistes versent dans une erreur profonde, en assujettissant l'évolution des conditions économiques, tout comme les phénomènes du monde physique et matériel, à des lois nécessaires et fatales. Cette assimilation méconnait en effet, la distinction radicale, essentielle; qui sépare l'être inorganique et l'homme, les lois qui dominent la nature matérielle, et les normes qui président à l'activité humaine individuelle et sociale.

Bernstein est loin d'ajouter foi à la force déterminante du facteur économique et au caractère fatal des évenements historiques. « Plus les autres forces, écrit-il, à côté des forces purement économiques, influent sur la vie sociale, plus se modifie l'action de ce que nous appelons la nécessité historique. A ce point de vue,

(1) Encore ne faut-il pas exagérer le caractère original et neuf du Marxisme. Certes, plus que personne Marx a mis cette influence en évidence, mais il serait injuste de prétendre qu'on n'ait pas songé avant lui a l'influence des conditions économiques et sociales. A ce point de vue, il serait intéressant de montrer comment les grands théologiens du moyen-âge ont déjà prêté leur attention à ce facteur.

nous avons deux grands courants à distinguer dans la société moderne. D'un côté apparaît une intelligence croissante des lois de l'évolution, et notamment des lois de l'évolution économique. D'un autre côté, parallèlement à cette connaissance se développe en partie comme cause et en partie comme effet, une aptitude croissante pour diriger le développement économique. La force économique, tout comme la force physique, de maîtresse devient servante de l'homme dans la mesure où elle est connue. La société est donc vis à vis de la force économique en théorie plus libre que jamais, et seule l'opposition entre les intérêts privés et les intérêts des groupes, empêche cette liberté théorique de passer dans la pratique.

Cependant l'intérêt général se fortifie dans une mesure croissante en face de l'intérêt privé, et, dans la mesure où cela est, et dans tous les domaines où cela se manifeste, la direction élémentaire des forces économiques prend fin ». (1)

Que reste-t-il dans la théorie de Berstein du caractère de la force aveugle et des lois fatales prônées dans les doctrines Marxistes ?

Bernstein a raison. Le mode de production de la vie matérielle n'est pas la cause déterminante et adéquate des institutions et des idées.

C'est précisément à cause du caractère exclusif et outré de leur doctrine, que les socialistes scientifiques ont soin de se renfermer dans des affirmations générales et vagues, évitant régulièrement de prouver en détail leurs théories, et de les confronter avec la réalité objective et l'histoire. « Il en est des socialistes, comme des représentants de l'histoire de l'évolution naturelle, c'est-à-dire des darwinistes : quelque grandiose que soit leur conception en elle-même, et quelque attrayante qu'elle paraisse à première vue, — car de nombreux

(1) *o. c.*, p. 10.

faits y trouvent réellement leur expression adéquate — un examen rigoureux et positif prouve la fausseté de l'hypothèse » (1).

(A suivre).

A. C.

Fabriques d'église

Séance du premier dimanche d'Avril — Renouvellement triennal.

Les conseils de fabrique s'assembleront en séance ordinaire, le 1er Avril prochain, dimanche de la Passion. L'avertissement de la séance sera publié le dimanche *précédent,* au prône de la grand'messe (art. 10 du décret du 30 Décembre 1809).

Le principal objet à l'ordre du jour sont les diverses élections et nominations que le conseil est appelé à faire.

D'abord, en exécution de l'article 7 du décret de 1809 et des articles 1er et 6 de l'arrêté royal du 12 Mars 1849, il y a lieu de procéder au renouvellement de la *petite moitié* des membres électifs de tous les conseils de fabrique du royaume.

Les conseillers **restants**, c'est-à-dire les deux membres de droit et les membres électifs de la grande série, peuvent **seuls** prendre part à cette élection; et pour y procéder valablement, il faut que plus de la moitié, c'est-à-dire *trois* ou *quatre*, d'après que le conseil est composé de sept ou de onze membres, soient présents à l'assemblée.

Cependant, si la moitié restante n'est plus en nombre

(1) Cfr. Hitze, *o. c.*, p. 264 s.

par suite de décès, de démission, ou autre cause, les membres sortants peuvent, avant d'être remplacés, concourir avec les membres restants au remplacement de leurs collègues décédés ou démissionnaires. Cette opération préalable terminée, la série restante, ainsi complétée, procède avec les membres de droit au renouvellement de la série sortante.

Ensuite, le conseil, représenté par *quatre* ou *six* membres au moins, procède, comme *tous les ans* à la même date, à la nomination ou au renouvellement de son président et de son secrétaire (art. 9 du décret); et réélit ou remplace les membres du bureau dont le mandat a cessé (art. 11 et 15 du décret, et art. 6 de l'arr. roy. du 12 Mars 1849).

Toutes ces élections doivent se faire au *scrutin secret,* et à la *majorité absolue* des suffrages.

Le même jour, comme *tous les ans*, les marguilliers, au moins au nombre de trois (art. 20 du décret), nomment ou renouvellent leur président, leur secrétaire, et leur trésorier (art. 19 du décret).

Nota. Dans les *nouvelles paroisses*, érigées depuis les dernières élections triennales, le renouvellement de la petite série doit être précédé d'un tirage au sort, à l'effet de désigner les membres qui appartiennent à la série sortante. Dans la suite, ce seront toujours les plus anciens en exercice qui devront sortir (art. 7 du décret).

Dans ces mêmes paroisses, au premier dimanche d'Avril, qui suit *la formation* du bureau, le conseil détermine par la voie du sort celui des trois marguilliers qui doit sortir, et pourvoit ensuite à son remplacement. L'année après, à la même date, le conseil désigne de la même manière celui des deux autres marguilliers dont le mandat doit être renouvelé ; le troisième marguillier sort de droit la troisième année; et, dans la suite, c'est toujours le marguillier le plus ancien en exercice qui devra sortir (art. 11, 15, 16 et 17 du décret).

Il est à remarquer que personne ne peut être nommé **marguillier**, qui ne soit **actuellement** membre du **conseil** (art. 11 et 13, 2°); — que personne ne peut occuper une dignité au conseil ou au bureau, à moins qu'il ne fasse partie respectivement de l'un ou de l'autre corps (art. 9 et 19); — que le même membre ne peut cumuler deux dignités dans le même corps; — et que la charge de trésorier paraît incompatible avec toute autre fonction.

Observons enfin qu'un état indiquant la composition du conseil de fabrique et du bureau des marguilliers, avec la date de la nomination de chaque membre, doit être transmis, dans la quinzaine qui suit le premier dimanche d'Avril, à l'autorité diocésaine, au collège échevinal, et à l'administration provinciale. Le tableau adressé au gouverneur doit être accompagné d'une expédition du procès-verbal des délibérations prises en exécution des articles 7, 11, 15 et 19 du décret. Cf. *Collationes*, T. I, p. 206; Litt. circul. Episc. Brugen. 21 Februarii 1900, et *Calend. liturg.* diœc. Brugen., an. 1900, p. 38; circul. du Gouverneur de la Flandre Occidentale, du 5 Mars 1900.

C. V. C.

Suspensio Facultatum

vertente Anno Sancto (1)

Declaratio S. Pœnitentiariæ 19 Januarii 1900.

Episcopo diœceseos N., interroganti circa suspensionem facultatum Episcopis concessarum, S. Pœnitentiaria sequens dedit rescriptum, a Sanctitate Sua approbatum, in audientia 19 Januarii 1900:

« Sacra Pœnitentiaria, mature consideratis expositis, declarat, per Bullam *Quod Pontificum*, ratas firmasque manere pro utroque foro, et pro quibuscumque casibus, tum occultis tum publicis, facultates omnes quas Episcopi et Ordinarii habent, sive ex jure communi ecclesiastico, præsertim Concilii Tridentini, sive ex speciali indulto ab Apostolica Sede forte concesso in casu aliquo particulari pro determinatis personis nominatim expressis.

Ceteras vero facultates omnes, sive temporaneas sive perpetuas, quocumque modo concessas, sive a S. Pœnitentiaria, sive a Sacra aliqua Congregatione, seu etiam immediate ab ipso Summo Pontifice, si sint pro foro interno, omnino cessare; si sint pro foro externo (qualis censenda est illa dispensandi in matrimoniis mixtis), manere.

Ad consulendum autem iis qui legitime impediuntur quominus Romam accedant, provisum per declarationem hujus S. Pœnitentiariæ, datam die 21 Decembris 1899 (2), cujus exemplar transmittitur ». (3)

Adnotationes. 1° Apparet ex hoc responso mentem S. Pœnitentiariæ esse quod voce « *impedimentis* », in Const. *Quod Pontificum*, intelligenda sint etiam impedimenta *matrimonii*. Juxta hanc igitur declarationem moderanda jam sunt quæ supra (p. 57 et p. 190, 2°) hac de re exposuimus.

(1) Cf. *Collationes*, T. V, p. 53, et p. 188.
(2) Cf. *Collationes*, T. V, p. 149.
(3) Cf. *Il Monitore ecclesiastico*, T. XI, p. 495.

2° Hac declaratione denuo, et expressis verbis, confirmatur interpretatio quam contra plerosque supra vindicavimus. Cf. *Collationes*, p. 61, c, et V, § *Pro coronide*.

3° Quod speciatim spectat facultatem qua gaudent Episcopi bis in anno *Benedictionem Papalem* cum indulgentia plenaria impertiendi, censent etiam Arndt (1), Beringer (2), et scriptores periodicorum *Ephemerides liturgicæ*, (an. 1900, p. 180) necnon *Il Monitore ecclesiastico* (T. XI, p. 464), hanc facultatem permanere, modo indulgentia *defunctis* per modum *suffragii* directe applicetur. Cf. *Collationes*, T. V, p. 53 et p. 193, nota 2.

C. V. C.

Ex S. R. et Univ. Inquisitione

Vi facultatis concessæ per decreta 20 Febr. 1888 et 1 Martii 1889 ad dispensandum, urgente periculo mortis, cum concubinariis in impedimentis matrimonii, possunt Ordinarii, data necessitate, etiam dispensare in impedimento clandestinitatis.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N., ad pedes S. V. provolutus, humillime quæ sequuntur exponit:

Per Decreta S. R. et U. Inquisitionis dierum 20 februarii 1888 (3) et 1 martii 1889, S. V. benigne facultatem fecit locorum Ordinariis, Parochis communicabilem, etiam per habitualem subdelegationem, qua, urgente mortis periculo,

(1) Cf. *Pastor bonus*, T. XII, fasc. 6, p. 282.

(2) *Quartalschrift*, an. 1900, p. 434.

(3) Cfr. *Collationes Brug*. tom. I, p. 102 sqq. — Theol. Mechl. *Tr. de Sponsal. et Matrim.* (ed. 1894), p. 405 sq.

dispensare valeant cum iis, qui juxta leges civiles sunt conjuncti, aut alias in concubinatu vivunt, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto S. Presbyteratus Ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiæ rite copulari et propriæ conscientiæ consulere valeant.

Jamvero quæstio hac in re exorta est inter viros theologos, utrum vi prædictarum facultatum, liceat Episcopo, data necessitate, dispensare etiam ab impedimento clandestinitatis; aliis quidem affirmantibus, quia nulla de eo fit exceptio in generali concessione: aliis vero negantibus, quia finis concessionis est, ut morituri rite in faciem Ecclesiæ copulentur, quod importare videtur servandam esse, saltem quoad substantiam, formarum solemnitatem a Tridentino sub nullitate præscriptam.

Hisce præhabitis, Episcopus orator S. V. enixe efflagitat, ut definire pro sua benignitate non dedignetur:

Utrum in citatis Decretis vere comprehendatur etiam facultas dispensandi ab impedimento clandestinitatis; adeo ut ex. gr. Parochus, ab Episcopo habitualiter delegatus, possit in sua Parœcia vel conjungere non suos sed extraneos inibi casu existentes, dispensando a præsentia Parochi proprii, ad quem nullimode valeat haberi recursus; vel etiam conjungere suos, sed sine testibus, pariter dispensando ab eorum præsentia, cum omnino non sint qui testium munere fungi possint.

Et Deus etc.

Feria IV, die 13 Decembris 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab E^mis^ ac R^mis^ DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, proposito suprascripto dubio, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem E^mi^ ac R^mi^ Patres respondendum mandarunt:

Affirmative.

Sequenti vero feria VI, die 15 ejusdem mensis et anni, per facultates E^mo^ ac R^mo^ D^no^ Cardinali S. Officii Secretario concessas, SS^mus^ D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII resolutionem E^morum^ ac R^morum^ Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

Ex S. Pœnitentiaria Apostolica

Super dubio sequenti de visitatione Sacrarum Basilicarum quæ ad indulgentiam Jubilæi lucrandam ut conditio necessaria præscribitur, quæritur:

Utrum, terminata eodem die naturali visitatione quatuor Basilicarum, statim possit, quando incipit novus dies ecclesiasticus, inchoari nova quatuor Basilicarum visitatio iterum ingrediendo in Basilicam ultimo loco visitatam? — Die 28 Januarii 1900. — Sacra Pœnitentiaria ad propositum dubium respondet: *Affirmative.*

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 31 Januarii 1900. (1)

E Sacra Congregatione Rituum (2)

URBIS.

Apud S. Rituum Congregationem sequentia excitata fuerunt dubia; nimirum:

Dubium I. Quando super altari extat, præter Crucem, etiam Reliquia S. Crucis exposita, debetne celebrans in Missa et Vesperis solemnibus utramque thurificare separatim; an utramque simul?

Dub. II... Dub. III.

Et eadem Sacra Congregatio, re mature perpensa auditaque sententia Commissionis Liturgicæ rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.... Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 9 Junii 1899.

(1) Hoc responso explicite confirmatur quod scripsimus, suprà p. 137.

(2) Prodiit tertium volumen Collectionis: *Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis ejusdem collecta ejusque auctoritate promulgata sub auspiciis Leonis Papæ XIII.* In hoc volumine continentur decreta ab anno 1871 usque ad annum 1899 data. Plura nondum hucusque in vulgus edita fuerunt, ex quibus sequentia.

Adnotatio. Hac responsione revocatum est decretum 23 Septembris 1885 *in Fesulana*. Per hoc statuebatur in missa cantata celebrantem incensare debere « more solito imaginem Crucifixi in principe loco positam et postea Reliquiam S. Crucis in eodem altari expositam ». Ideo in nova collectione omissum est hoc antiquius decretum 23 Septembris 1885.

PLURIUM DIŒCESIUM.

E pluribus Diœcesibus huic Sacræ Rituum Congregationi sequens propositum fuit dubium resolvendum; nimirum:

Quænam a Diacono et Subdiacono tenendæ sint normæ pro genuflexionibus peragendis in Altari:

1. Dum ab uno latere in aliud transeunt:
2. Dum ab uno latere pergunt in medium:
3. Dum e medio ascendunt ad Altare aut vice versa?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicæ, respondit:

Ad 1. « Diaconus et Subdiaconus, Sacramento non extante super Altari, semper genuflectunt et tantum in medio; Sacramento vero extante super Altari, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere ».

Ad 2. et 3. « Diaconus et Subdiaconus, Sacramento extante super Altari, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt; excepto Subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad Elevationem in Missa solemni de Requie, genuflectere debet in medio tantum: Sacramento non extante super Altari, numquam genuflectunt, præter Subdiaconum quando, accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris; et, facta genuflexione, ibi stat ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 9 Junii 1899.

Nota. Regulas per hoc decretum statutas censemus respicere casum quo missa cantetur sine *Expositione* SS. Sacramenti; et dictio « *Sacramento extante super altari* » indicare videtur tempus a consecratione usque ad peractam Communionem.

DECRETUM.

Cum Commissio Liturgica quæstionem expendisset super conclusione Hymni *Veni Creator Spiritus*, utrum scilicet consultius esset nec ne eam semper immutatam dicere; Sacra Rituum Congregatio sententiam suam aperuit momentaque graviora exposuit, quibus innixa suum sentiendi modum amplexata fuerit. His aliisque probe consideratis;

Sacra eadem Rituum Congregatio declaravit:

« Doxologiam *Deo Patri sit gloria — Et Filio qui a mortuis — Surrexit ac Paraclito — In sæculorum sæcula* — ita esse censendam præfati Hymni propriam, ut eadem semper sit retinenda ac nunquam, quovis anni tempore vel quocumque occurente Festo, in aliam mutandam ». Atque ita servari mandavit.

Die 20 Junii 1899.

Adnotatio. Duo decreta anteriora unum *in Ariminen.* 7 Aprilis 1832, alterum *in Brixien.* 28 Julii 1832 statuebant hymnum *Veni Creator* extra tempus paschale concludi debere per stropham: *Deo Patri sit gloria, ejusque soli Filio.* Sed jam jus liturgicum mutatum est circa hanc doxologiam. Duo decreta citata expuncta sunt ex nova Collectione et insertum novum 20 Junii 1899 supra transcriptum. « Re maturius perpensa judicavit S. C. R. doxologiam *Deo Patri sit gloria — Et Filio qui a mortuis surrexit etc.* propriam censeri posse et debere præfati Hymni. Namque Resurrectio Christi et Missio Spiritus Sancti specialissimam inter se relationem habent, uti ex Evangelio constat ». (*Ephem. liturg.* XIII, p. 741).

Jurisprudence administrative

Fabriques d'église déchues — Subsides de la province et de l'État pour la construction, l'agrandissement, et la restauration des églises

Bruxelles, le 5 Juillet 1899.

A Monsieur le Gouverneur de la Flandre Orientale, à Gand.

Monsieur le Gouverneur,

A la date du 4 Juin 1898, la Députation permanente du conseil provincial a appelé mon attention sur la situation dans laquelle se trouvent les fabriques d'église qui ont encouru la déchéance par application de l'article 15 de la loi du 4 Mars 1870, et a émis le vœu de voir soumettre aux chambres un projet de loi ayant pour objet de permettre à ces fabriques de rentrer dans le droit commun.

Je ne puis, Monsieur le Gouverneur, déférer au désir exprimé par la Députation permanente de votre province.

Les auteurs de la loi du 4 Mars 1870 ont voulu imprimer un caractère définitif à la privation des subsides, prononcée à l'égard des fabriques d'église qui refusent de soumettre leur comptabilité au contrôle de l'autorité supérieure; et une loi qui viendrait supprimer un élément essentiel du mode de coercition introduit par la loi de 1870, donnerait lieu à de graves inconvénients qu'il importe d'éviter.

Il est d'ailleurs à remarquer que l'article 15 de la loi du 4 Mars 1870 n'est pas susceptible d'une application absolument rigoureuse et que, contrairement à ce que paraît croire la Députation permanente, il ne s'oppose pas, en toute hypothèse, à ce que malgré la déchéance encourue par les fabriques, des subsides soient alloués sur les fonds provinciaux et sur le budget de l'État, pour la construction, l'agrandissement et la restauration des églises.

Il résulte de l'ensemble de la législation sur la matière que l'obligation de fournir l'église incombe à la commune. Cette obligation est principale; elle n'est pas subordonnée à la condition que la fabrique n'ait pas les ressources nécessaires à l'effet de pourvoir à la dépense. (1)

D'autre part, ainsi que l'a décidé la circulaire d'un de mes honorables prédécesseurs, en date du 8 Septembre 1884,

---

(1) La question de savoir à qui incombe la mission de construire ou de reconstruire les églises, a reçu des solutions très différentes.

Tielemans met à charge de l'Etat l'obligation de fournir l'église. Voir *Belgique judiciaire*, nº 64, 12 Août 1858, coll. *Mémorial belge*, T. III, p. 159.

La Cour de Cassation, par arrêt du 7 Avril 1881 (*Pasic* 1882, I, p. 139), décida que les fabriques sont incompétentes pour construire ou réédifier l'église; et M. Bara en conclut que « l'intervention de la fabrique étant écartée, c'est à la *commune* seule que la capacité de construire ou de reconstruire l'église peut être reconnue. C'est donc, le cas échéant, la commune qui devra prendre toutes les mesures nécessaires à cet effet. C'est elle qui fera dresser les projets, approuvera les plans, procédera à l'adjudication des travaux et surveillera l'exécution. Rien n'empêchera toutefois que la fabrique ne soit consultée sur ces différents objets »; et si elle possède des ressources suffisantes, « son intervention pécuniaire », si elle n'est pas obligatoire, « peut néanmoins être admise en fait » (Circ. du 10 Mai 1882). C'est à la suite de ces décisions que certains jurisconsultes ont émis l'opinion proposée dans la présente circulaire.

Giron professe une doctrine encore plus étrange. D'après lui, « les fabriques n'ont pas le droit de décréter et diriger la construction des églises »; mais, « elles sont tenues, en ordre principal, de fournir les fonds nécessaires »! *Dict. de droit adm.*, Vº Fab. d'église, n. 61.

Cependant toutes ces théories ne reposent sur aucun fondement solide, et elles sont repoussées par la généralité des auteurs. Il résulte de l'ensemble de la législation sur la matière que le *droit* et l'*obligation* de fournir l'église reviennent, en premier lieu, à la *fabrique*. C'est à elle à prendre l'initiative de la construction ou de la réédification, et à faire toutes les démarches nécessaires à cette fin. Les travaux de construction ou de reconstruction des églises n'incombent à la commune que lorsque les ressources de la fabrique sont insuffisantes. Voir en ce sens *Mém. belge*, l. c.; Lauwers, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 281 ss.; Brixhe, Vº *Edifices du culte*; Moulart, *Des fab. d'égl.*, 8me édit., p. 145 coll. p. 515; Leroy, *Inst. pratiq.*, etc., p. 96; Van Messem, *De la capacité légale des fabriques pour construire et meubler les édifices du culte* (*Rev. cath.*, an. 1883, p. 97 et p. 167); de Corswarem, *Kerkfabrieken*, n. 441; Bernimolin, *Instit. prov. et comm.*, T. II, p. 416; Lentz, *Des dons et legs*, etc., T. I, q. 248; Pandectes belges, Vº *Dépenses obligatoires*, nº 40 ss., Vº *Eglise*, nº 104 ss., et Vº *Fabrique d'église*, nº 1235 ss.; *Het Vl. Bestuur*, T. X, p. 114; *Revue cath. de droit*, T. II, p. 216.

l'art. 15 en question doit être interprété conformément à son texte. Cette disposition a pour unique conséquence de priver de tout subside *les fabriques* d'église contre lesquelles la déchéance a été prononcée ; elle n'apporte aucune modification aux obligations principales dont les communes sont tenues.

La province et l'Etat peuvent dès lors intervenir éventuellement dans les frais de construction d'une nouvelle église quand c'est la commune, et non la fabrique déchue, qui se charge de la construction.

Il en est de même lorsqu'il s'agit de l'agrandissement d'une église existante devenue insuffisante.

L'obligation incombant aux communes de fournir l'église, s'entend d'un édifice convenable, dont les dimensions sont en rapport avec le chiffre de la population de la paroisse. Si l'église devient trop petite par suite de l'accroissement de la population, l'obligation imposée aux communes ne se trouve plus remplie et celles-ci sont naturellement tenues de faire les frais nécessaires pour l'agrandissement de l'église, ces frais n'étant pas mis à la charge des fabriques par le décret du 30 Décembre 1809.

Pour ce qui concerne les travaux de grosses réparations, ceux-ci incombent en ordre principal aux fabriques d'église et subsidiairement aux communes. Les dépenses résultant de l'exécution de ces travaux sont donc au nombre de celles pour lesquelles des subsides ne peuvent être accordés conformément à l'art. 15 de la loi du 4 Mars 1870. Il importe toutefois de prévoir le cas où l'exécution des travaux de l'espèce est indispensable, si l'on veut éviter que l'église devienne impropre à sa destination et que la célébration du culte ne soit rendue impossible dans la paroisse. L'application stricte, en semblable cas, de l'art. 15 de la loi du 4 Mars 1870, serait excessive et certainement hors des prévisions des auteurs de cette loi. Le service du culte doit être assuré et l'art. 15 précité, ne peut être interprété en ce sens, qu'il s'oppose à ce que les administrations communales prennent les mesures nécessaires pour la conservation des édifices du culte et obtiennent à cet effet des subsides de la province et de l'Etat.

Il résulte de ce qui précède que chaque fois que les administrations communales consentiront à se charger de la

construction d'une nouvelle église, de l'agrandissement d'une église existante ou de l'exécution de travaux de grosses réparations indispensables, l'Etat et la province pourront intervenir par voie de subsides malgré la déchéance encourue par la fabrique. Ce n'est que dans le cas où la fabrique ferait le nécessaire, par suite du refus de la commune d'assumer la tâche, soit pour tout autre motif, qu'aucun subside ne pourrait être accordé. (1)

Il semble que c'est surtout en se plaçant au point de vue de la nécessité de l'agrandissement des églises existantes et de la construction de nouvelles églises dans des paroisses dont les fabriques ont été frappées de la pénalité comminée par la loi du 4 Mars 1870, que la Députation permanente de votre province demande la révision de cette loi. Il ne s'agit pas tant d'obtenir que les communes soient à nouveau tenues de suppléer éventuellement chaque année à l'insuffisance des ressources des fabriques pour les dépenses ordinaires du culte, puisque la Députation permanente propose de subordonner la faculté, pour les administrations fabriciennes, d'être relevées de la déchéance, à la condition de produire des budgets et des comptes soldant sans mali pour les trois années précédant celle de la demande qu'elles intentent, et un budget équilibré pour l'année de la demande. Or le budget des cultes pourra, dans nombre de cas, nonobstant l'art. 15 de la loi du 4 Mars 1870, intervenir concurremment avec les provinces dans les frais d'agrandissement ou de construction d'églises et même dans les dépenses résultant de l'exécution des travaux de grosses réparations. Le but que la Députation permanente a eu en vue en demandant la révision de la loi de 1870, est donc en grande partie atteint, sans qu'il faille apporter la moindre modification à cette loi.

Vous voudrez bien, Monsieur le Gouverneur, communiquer le contenu de la présente à la Députation permanente de votre province.

Le Ministre de la Justice,
V. BEGEREM.

---

(1) Au surplus, nous ferons observer qu'il a été déclaré dans les deux Chambres, pendant la discussion de la loi, que les églises qui sont classées comme monument, échappent aux conséquences de la disposition de l'article 15.

Fabrique d'église — legs d'immeubles, à condition qu'ils ne pourront servir à l'usage d'auberges, cafés, etc. — clause illégale.

—

Une personne avait légué à l'église de Notre-Dame à Vosselaer, deux nouvelles habitations avec toutes leurs dépendances et jardin, etc., « à la condition que ces habitations et terrains *ne pourront jamais servir ou être loués à l'usage d'auberges, cafés, représentations théatrales, ni fêtes dansantes, et aussi à la condition de ne jamais y planter des sapins ou d'y placer des tentes pour donner des bals* ».

Un arrêté royal, en date du 17 Février 1900 (*Moniteur* p. 766), dispose comme suit :

« En ce qui concerne la clause d'après laquelle les immeubles légués à la fabrique de l'église de Vosselaer ne pourront servir à certains usages :

Considérant que cette clause porte atteinte aux droits de propriété et d'administration de l'établissement avantagé; qu'elle doit en conséquence être réputée non écrite, conformément à l'article 900 du Code civil, comme contraire aux articles 537 et 544 du même Code; »

La fabrique de l'église de Vosselaer est autorisée à accepter le legs susvisé, aux conditions imposées en tant qu'elles ne sont pas contraires aux lois.

Observation.

Toutes les clauses qui portent atteinte aux droits de propriété, d'administration, et de libre gestion des établissements publics avantagés, sont illégales, et partant réputées non écrites (1). C'est pour ce motif que le Gouvernement rejette comme illégales, par exemple, les clauses portant défense de louer en détail (arr. roy. du 20 Janv. 1898) ou pour certains usages

(1) Cf. *Collationes*, T. III, p. 119.

(arr. roy. cité), d'aliéner (arr. roy. des 16 Oct. 1884, 17 Nov. 1891, 15 Mai 1895, 11 Oct. 1897, 20 Janv. 1898, etc.), ou de vendre au dessous d'un prix déterminé (arr. roy. du 8 Nov. 1887), les immeubles donnés ou légués; les clauses ordonnant que les sommes données ou léguées seront placées en bonne première hypothèque (arr. roy. du 28 Sept. 1886; dép. minist. du 16 Juin et du 7 Sept. 1897: *Rev. adm.*, an. 1899, p. 232); les clauses stipulant qu'un hospice ne pourra pas ou devra être desservi par des religieuses (arr. roy. du 17 Nov. 1891 et du 7 Juin 1894), ou que l'administration devra y ériger une église ou un oratoire (arr. roy. du 22 Fév. 1896); les clauses prescrivant qu'une somme léguée aux pauvres sera distribuée par le conseil communal (arr. roy. du 15 Oct. 1888), que les distributions charitables qui grèvent les fondations seront faites sous la surveillance du curé (arr. roy. du 11 Avril 1895) ou dans un lieu déterminé, par exemple, à l'église (arr. roy. du 29 Avril 1896, du 11 Oct. 1897, etc.) ou à l'hôtel de ville (arr. roy. du 15 Sept. 1899), ou que les pains seront fournis par les boulangers de la commune (arr. roy. du 6 Mai 1896); etc. etc.

C. V. C.

Consultationes

I

Q. 1° Les trésoriers des fabriques d'église ont-ils droit à un traitement ou une rétribution quelconque?

2° Par qui, comment, et sur quelles bases l'indemnité accordée aux trésoriers doit-elle être déterminée?

R. 1° En principe, les fonctions des trésoriers sont gratuites et honorifiques; elles sont de la même nature

que celles des autres fabriciens, toutes de charité et de religion. Tant sous l'ancien droit que sous la législation nouvelle, la charge de marguillier a toujours été considérée « comme un office de charité, de religion, et de piété » (Durand de Maillane, *Dictionnaire de droit canonique*, V° *Marguillier*). « Les fonctions qu'ils (les administrateurs des fabriques) auront à remplir sont de pur zèle: elles ne sont acceptées que par attachement à la religion » (*Rapport du ministre des cultes sur le projet d'organisation des fabriques, en 1809*) (1). Aussi le décret du 30 Décembre 1809 ne contient aucune disposition relative à la rémunération des trésoriers ; et nous ne connaissons aucune autre loi (2), aucun règlement qui leur accorde un traitement, une remise, ou une indemnité quelconque. Il existe, au contraire, une décision ministérielle, en date du 13 Juin 1811 (3), portant que « le service des trésoriers étant gratuit, ils ne peuvent exiger de salaire pour ce qu'ils reçoivent ou peuvent recevoir par eux-mêmes ». (4)

La gratuité est donc la règle ; et les différents juris-

---

(1) Voir *Mémorial belge*, an. 1870, p. 510 ss.

(2) L'auteur de l'avant-projet sur le temporel du culte accordait une remise aux trésoriers pris hors du conseil de fabrique ; mais il n'en accordait aucune aux trésoriers qui étaient fabriciens (art. 26) Voir *Mémorial belge*, an 1864, p. 343.

(3) En examinant les auteurs cités à la fin de cette consultation, le lecteur constatera que la plupart rapportent la décision citée à la date du *13 Juin* 1811. Il en est cependant, p. ex. Dieulin et le *Journ. belge des fab. d'églises*, qui lui donnent une autre date, celle du *24 Juin;* et, si le texte du document tel que ces auteurs le citent est exact, les autres l'attribuent erronément à la date du *13* Juin, attendu que la décision du ministre serait une réponse à une lettre écrite ce même jour. Au surplus, tous sont d'accord sur l'authenticité et la portée du texte.

(4) Cependant, aux termes de la même décision, s'il y a des sommes à recouvrer hors de la portée des trésoriers et pour la recette desquelles il faut recourir à des agents locaux, ceux-ci peuvent, s'ils l'exigent, être rétribués selon une délibération du conseil de fabrique.

Il va sans dire également que le trésorier a droit aux autres déboursés qu'il fait, avec l'autorisation du conseil, pour le soin et la défense des intérêts qui lui sont confiés.

consultes qui ont traité la matière, se sont unanimement rangés à ce principe, et ils enseignent catégoriquement qu'il découle du texte et de l'esprit du décret de 1809.

D'autre part, ces mêmes jurisconsultes constatent avec la même unanimité, qu'en fait cette règle n'est pas observée. En Belgique notamment, beaucoup de fabriques d'églises, pour ne pas dire la généralité, allouent à leur trésorier un denier de recette. Les fabriques se sont décidées à faire ce sacrifice dans l'intérêt d'une bonne administration, et pour ne pas éloigner de cette charge des hommes dont les connaissances pratiques sont très utiles à la gestion du patrimoine des églises. Il faut en effet convenir que les fonctions de trésorier, principalement dans les localités où la fabrique a des ressources assez considérables, imposent des occupations nombreuses, demandent bien des soins, et peuvent devenir fort onéreuses et extrêmement gênantes sans cette compensation, surtout depuis que la loi du 4 Mars 1870, en assimilant les trésoriers aux agents comptables (art. 10, § 2), a fait peser sur eux une bien lourde responsabilité. Dès lors, en supprimant la remise, on priverait peut-être les fabriques de receveurs entendus : il est en effet difficile de trouver des hommes capables, poussant le dévouement au point d'employer leur temps et leur labeur à un établissement public, qui les tient responsables de leur gestion. D'ailleurs, cette pratique a été reconnue comme régulière par une décision du conseiller d'État chargé de l'administration des contributions, en date du 21 Mars 1825 (1), exemptant du droit de patente les administrateurs des églises, chargés de la gestion des biens ecclésiastiques, *pour le cas même où ils jouissent comme tels d'une rétribution* (2). Elle a été

(1) Voir Bon, *Législation des paroisses* (Bruxelles, 1841), p. 202.

(2) Le motif de cette exemption est que « la rétribution dont ces administrateurs jouissent doit plutôt être considérée comme *une indemnité ou un dédommagement*, que comme un salaire ». C'est en se mettant à ce point de vue que le ministre écarte l'assimilation des administrateurs

en outre sanctionnée par les modèles officiels des budgets et des comptes, arrêtés par le Gouvernement (arr. roy. du 7 Août 1870 et du 28 Février 1871), en exécution de l'article 13 de la loi du 4 Mars 1870. Ces modèles mentionnent au n° 41, parmi les dépenses ordinaires, les *Remises allouées au trésorier*. Comme d'une part, ni le décret de 1809, ni aucune autre loi, ne défend expressément d'accorder une rémunération au trésorier; et que d'autre part les arrêtés royaux pris en exécution de la loi de 1870 prévoient l'allocation de semblable rémunération, il est hors de doute que l'usage d'allouer une indemnité au trésorier est absolument légal. Aussi la doctrine qui, avant la loi de 1870, n'admettait qu'avec beaucoup de réserve cette pratique qu'elle considérait comme contraire à l'esprit de la loi (1), en reconnaît aujourd'hui la parfaite légitimité.

Il résulte de tout ce que nous venons de dire que les fabriques *peuvent* allouer des remises à leur trésorier; mais il n'en suit nullement qu'elles sont *obligées* de le faire. C'est une faculté reconnue aux administrations fabriciennes, qui n'engendre pas un strict droit dans le chef de leurs trésoriers.

R. 2° Comme la loi ne dispose rien quant à l'indemnité en question, il appartient au conseil de fabrique de délibérer sur la nécessité d'accorder une remise et d'en déterminer la nature et le montant, sous la surveillance et avec l'approbation de l'Évêque et de la Députation permanente.

Cette allocation ne doit pas faire l'objet d'une délibération *spéciale*, comme il est prescrit par l'article 122 de la loi communale pour la fixation du traitement des receveurs communaux; il suffit que le conseil, lors de

---

des églises aux particuliers, auxquels le droit de patente serait applicable. La loi de 1870 n'a pas modifié, sous ce rapport, le principe du décret de 1809. La rémunération accordée au trésorier n'est *pas un traitement*, mais une simple *indemnité* pour le travail qui lui est imposé,

(1) Voir, p. ex Delcour, Brixhe, et Lauwers, *ll. cc.*

la confection du budget, inscrive à l'article 41 des dépenses, la somme qu'il juge opportun d'allouer. Au surplus, comme il n'est pas question d'un traitement, la fabrique reste toujours libre de réduire ou même de supprimer totalement, pour un prochain exercice, l'indemnité allouée, sauf l'approbation des autorités chargées d'approuver le budget.

L'indemnité allouée peut consister soit dans une somme fixe par an, soit dans une remise proportionnelle. Elle peut être calculée à raison de 5 *p. c.* sur les *recettes ordinaires* de la *fabrique*, non compris *le supplément* de la commune; mais elle ne peut jamais *excéder ce taux*. Contenues dans ces limites, les remises allouées au trésorier constituent une dépense dans laquelle *l'intervention de la commune est obligatoire*, en cas d'insuffisance des ressources de la fabrique. Arr. roy. du 25 Juin 1890 (*Moniteur*, p. 1912), du 15 Décembre 1894 (*Moniteur*, p. 4086), et du 7 Novembre 1899 (*Moniteur*, p. 4788).

Le trésorier ne peut rien recevoir du chef des capitaux à emprunter, des capitaux remboursés, donnés ou légués, du prix des ventes d'immeubles, des subsides extraordinaires qui pourraient être alloués à la fabrique, ni même du supplément de la commune pour les frais ordinaires de la commune. (1)

Le trésorier ne serait pas fondé non plus à prélever un denier de recette sur les sommes qui reviennent au clergé et aux employés de l'église du chef des funérailles ou autres services religieux; ni sur le montant des collectes faites par le curé ou ses agents pour un objet déterminé; ni sur les recettes des confréries indépendantes de la fabrique, etc. Le droit auquel il peut

(1) Ce supplément, il est vrai, se trouve inscrit au chapitre des recettes *ordinaires*; mais il est rationnel de ne pas en tenir compte dans la fixation des remises à allouer au trésorier, vu la corrélation qui existe entre celle-ci et le supplément que la commune devra fournir. Voir arr. roy. du 7 Nov. 1899.

prétendre ne doit s'exercer que sur les recettes ordinaires de la *fabrique*. La raison en est évidente : c'est que le trésorier est exclusivement « *chargé de procurer la rentrée des sommes dues à la fabrique* » (art. 25 du décret de 1809). Cf. *Collationes*, T. I, p. 430; T. III, p. 474; et T. IV, pp. 120 et 184.

Observons en terminant que la remise du trésorier ne peut pas se prélever sur chaque article de recette; elle est globale et figure comme telle au budget. C'est la somme portée au budget qui est liquidée en masse au profit du trésorier, sur mandat délivré par le président du bureau. Le trésorier ne peut donc, sous aucun prétexte, opérer une retenue sur chaque recette spéciale. *Mémorial belge*, an. 1860, p. 499 ss.

Lorsque, dans le courant d'un exercice, un nouveau trésorier est nommé, l'ancien titulaire ou ses ayants droit peuvent exiger un tantième sur les recettes effectuées par lui jusqu'au jour de son remplacement. Cf. *Le Mémorial*, an. 1880, p. 334.

Comp. *Le Mémorial belge*, T. I (an. 1857), p. 515 (Lauwers) ; T. IV (an. 1860), pp. 342 et 499; T. XVI (an. 1872), p. 286 (Daris); *Le Mémorial*, an. 1874, p. 290; an. 1877, p. 799; an. 1880, pp. 332 et 334; an. 1888, p. 287, etc.; Lauwers, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 153; Delcour, *Traité de l'admin. des fab. d'églises*, n. 112, p. 96 ss.; *Revue catholique*, an. 1850, p. 265; *Journ. belge des fab.*, T. IV, p. 209; Brixhe, *Dict. des fab. d'égl.*, V° Trésorier, 1re édit., n. 5, et 2me édit., n. 4; Versluysen, *Handboek der kerkfabrieken*, p. 35; Leroy, *Instruct. pratiques*, etc., p. 80; Moulart, *Des fabr. d'égl.*, 8me édit., p. 343; de Corswarem, *Uitlegging der wetten over de kerkfabrieken*, n. 150, p. 149; *Het Vlaamsch Bestuur*, T. X, p. 125; Dijon, *Guide pratique du trésorier*, 2me édit., p. 11 ; De Brabandere, *Comp. jur. can.*, ed. 6a, T. II, p. 527; Hellebaut, *Dict. des bourgmestres*, V° Culte, n. 337 ; *Pandectes belges*, V° Fabrique d'église, n. 387; *Revue*

communale, T. XXI, p. 116, et T. XXVI, p. 124; *Revue catholique de droit*, T. II, p. 23.

C. V. C.

II

Duplex proponitur dubium *circa facultates absolvendi* a reservatis in diœcesi Brugensi concessas, quales enumerantur in *Libello*, 3ia editione, p. 20-23:

Quæritur 1°/ utrum facultas qua gaudent confessarii absolvendi a reservatis illos qui confitentur « *in ordine ad suscipiendum Matrimonii sacramentum* », extendatur ad confessionem quæ a nupturientibus instituitur, die qua primum eorum banna proclamantur, an vero restringatur ad illam confessionem, quæ in diœcesi præcipitur facienda triduò ante Matrimonii solemnizationem?

R. Quum illa prior confessio non præcipiatur quidem a jure diœcesano, dicatur tamen vehementer optanda ac sponsis suadenda « ad vitanda varia incommoda et *fructuosiorem procurandam sacramenti Matrimonii administrationem* » (1), evidenter censenda est peragi *in ordine ad sacramentum Matrimonii*, cumque nulla in tenore reservationis fiat restrictio, dictæ confessioni indubie suffragatur facultas præfata.

Quæritur 2°/ utrum communis confessarius gaudeat facultate absolvendi a peccatis ab Episcopo sibi reservatis, pœnitentem qui in Paschate *sacrilegè* communicavit et postea ad confessionem redit ut rursus communicet?

Respondetur sub distinctione: Si redit dictus pœnitens *ante Dominicam Pentecostes*, vel ipsa die Pentecostes, potest absolvi, vi facultatis confessariis impertitæ in eodem *Libello*, sub II, 1°/ p. 22, « in favorem fidelium confitentium in ordine ad communionem paschalem »; priori namque SS. Eucharistiæ susceptione, utpote

(1) Cfr, *Liber Manualis*, p. 166.

sacrilega, non est satisfactum præcepto communionis paschalis, adeoque altera communio erit communio paschalis. Cfr. Lahousse, *De Eucharistiæ mysterio*, n. 149, et AA. passim, inter alia nitentes propositione 55ª, ab Innocentio XI damnata: « præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem ».

Si autem iteratam confessionem remittat *ultra Dominicam Pentecostes*, jam ipsi non suffragatur laudata facultas, cum expiraverit tempus pro quo concessa legitur nempe: « a sabbato ante Dominicam Passionis usque ad Dominicam Pentecostes, utrimque inclusive ».

A. D. S.

III

Q. Parochus, cui duo vicepastores sunt auxilio, a suo Episcopo obtinuit ut quatuor singula dominica missæ in sua ecclesia celebrarentur; atque ideo concessit Episcopus ut vicepastores alternatim bis missam die dominica aut festiva de præcepto celebrare valerent. Quæritur utrum, casu quo sive parochus sive unus ex vicepastoribus abesse deberet, ambo reliqui sacerdotes binare possent absque speciali licentia Ordinarii.

Resp. Negative. — Etenim nonnisi *unica* ab Episcopo in casu fuit concessa binatio. Neque opponatur occurrens necessitas, quartam np. celebrandi missam in parochia; nam jus non concedit sacerdoti facultatem missam iterandi ob necessitatem populi nisi *dependenter ab Ordinario, cui pertinet de vera necessitate judicium deque possibilitate applicandi canonica remedia* (S. C. P. F. Instr. 24 Maii 1870). Quare, si excipias casum necessitatis subitò exortæ, qui moram non relinquat recurrendi ad Episcopum ejusve delegatum, non potest ad missæ iterationem procedi sine prævia Ordinarii licentia. Cfr. *Collat. Brug.* tom. III, p. 123 sq. — Nec

dicas Episcopum concedendo quartam missam, *implicite* consentiisse ut duo sacerdotes, si opus esset, Missam iterarent. Negamus enim illationem: re quidem vera Episcopus concessit quartam missam sub hypothesi quòd unus tantum sacerdos binare deberet; ut autem *duo* sacerdotes bis in eadem ecclesia celebrent, gravior profectò requiritur necessitas.

H. V. D. B.

IV

Q. Quotannis in ecclesia mea parochiali, currente mense Januarii, celebratur solemnitas sic dicta *Sanctæ Infantiæ*. Missæ solemni assistunt pueri puellæque scholarum piæ isti associationi adscripti, iisque post missam præbetur jentaculum: mos autem est ut expensæ ad hanc refectionem necessariæ solvantur ex pecunia operi S. Infantiæ destinata. Quæritur utrum legitime?

Resp. Praxis illa minime uti legitima haberi potest; est enim contraria intentioni conferentium pecuniam istam; qui sane intendunt cooperari dicto pio operi, nec præsumi possunt consentire ut suarum eleemosynarum pars in alium usum expendatur. Porro in istis intentio dantium est summa lex, quæ, salva justitia, violari nequit.

Si vero prætendas (quod tamen ægre admitti posse videtur) sodales consentire; tunc quidem praxis de qua quæritur injustitiæ labe expers esset; sed iidem sodales jam non fruerentur indulgentiis aliisque favoribus spiritualibus pio operi adnexis, utpote qui non solventes integre obolum taxatum, non implerent unam ex conditionibus requisitis.

H. V. D. B.

V

In aliquibus locis Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes in benedictione fontis baptismalis, ponitur extra januam ecclesiæ vas amplum (vel etiam plura) impletum aqua; benedictione autem peracta, ante infusionem sacrorum Oleorum hauritur ex fonte, ope situlæ, aliqua quantitas aquæ, quæ miscetur aquæ extra ecclesiam in grandiori vase contentæ. Ita fit ut sufficiens copia aquæ benedictæ habeatur, quam fideles secum asportare possint ad se domosque et agros aspergendos. An recte agitur et an revera aqua illa censeri potest benedicta?

Respondendum negative. Quia ex una parte, aqua extra ecclesiam non est moraliter seu sufficienter præsens ut precibus et ritibus, quæ in benedictione fontis adhibentur, benedicatur, utpote extra conspectum celebrantis et competentem distantiam posita. Quod autem ad benedictionem requiratur materiæ præsentia « liquet, ut ait De Herdt (tom. III, n. 294), tum ex orationibus, in quibus sermo semper dirigitur ad res præsentes per pronomina, quæ solum cadunt super res præsentes; tum ex signationibus, aspersione et incensatione, quæ super solam materiam præsentem fieri possunt ». Nec ex altera parte, aqua fit benedicta per immissionem minoris quantitatis ex fonte benedicto haustæ in longe majorem quantitatem aquæ non benedictæ, quæ in vase grandiori continetur. Ut enim per affusionem aquæ benedictæ sanctificetur aqua non benedicta, necesse est hanc in minore esse quantitate quam benedictam, uti docent auctores et etiam innuit ipsum Rituale, Tit. II, de Baptismo, cap. I, nº 5: « Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest *in minori tamen quantitate* ». Cum autem in casu, ut supponitur, quantitas aquæ non benedictæ excedat quantitatem benedictæ tota mixtio ut non benedicta haberi debet.

Quomodo ergo agendum ut habeatur aquæ benedictæ sufficiens copia qua satisfieri possit devotioni populi?

Missale Romanum in benedictione fontis præscribit ut ante infusionem SS. Oleorum: « per assistentes sacerdotes spargatur de ipsa aqua benedicta super populum, et iterim unus ex ministris ecclesiæ accipiat in vase aliquo de eadem aqua ad aspergendum *in domibus et aliis locis* ». In ordine autem ad faciendam aquam benedictam ponit Rubricam specialem: « In die Sancto Paschæ et Pentecostes, ubi est fons baptismalis, fit aspersio cum aqua pridie benedicta in fonte Baptismi et ante infusionem Olei et Chrismatis accepta ». Rituale autem Tit. VIII, cap. 4 *Benedictio domorum in Sabbato Sancto* ita disponit: « Parochus, seu alius sacerdos,.. cum ministro deferente vas *aquæ ex benedictione Fontium* ante perfusionem Chrismatis acceptæ, visitat domos suæ parochiæ, aspergens eas *eadem aqua benedicta* ». Ex his omnibus liquet intentionem esse Ecclesiæ, ut aqua, quæ inservire debeat pro aspersione populi ipsa die et sequenti, pro benedictione domorum et pro usu pio fidelium, sumatur ex fonte baptismali benedicto et, si fieri possit, hæc aqua sine admixtione adhibeatur. Sed in plerisque parochiis fons baptismalis non satis amplus est ut quantitatem aquæ contineat quæ sufficiat, tum ad Sacramentum Baptismi administrandum, tum ad satisfaciendum devotioni populi aquam cupientis. Ideo ad obviandum difficultati diversi proponuntur usus:

1° In aliquibus locis collocatur magnum vas impletum aqua *prope fontem coram celebrante*, qui, benedicens cum ritibus præscriptis aquam in fonte contentam, dirigit simul suam intentionem benedicendi ad illud vas separatum, quin tamen singulas cæremonias uti tactum, divisionem, effusionem aquæ, dimissionem cerei paschalis, exsufflationes super illud repetat. Tali modo, juxta aliquos (1), licite et valide benedicitur aqua extra fontem posita simul cum aqua fontis, cum habeatur et præsentia moralis et intentio benedicentis; nec obstat omissio cæremoniarum super vas separatum, cum in benedi-

(1) Nouv. Revue Théol. 1882, p. 221, coll. 1879, p. 214.

ctione aquæ fontis nulla mixtio alterius materiæ, v. gr. salis, cum aqua fieri debeat et omnes ritus peracti super aquam potius significationem moralem et mysticam habeant quam actionem materialem et physicam; celebrans autem, cum extendat suam intentionem ad totam aquam, in eumdem finem omnes cæremonias præscriptas peragit. Propter omissionem tamen harum cæremoniarum De Herdt (Tom. III, nº 55) in dubium revocare videtur utrum tali modo aqua benedici possit.

2º Alii proponunt ut medium ubique licitum: « fontem penitus repletum benedicere, inde aquam ante Sacrorum Oleorum infusionem extrahere, eamque in vas satis amplum effundere, huic aquam non benedictam *in minori quantitate* toties admiscere quoties opus est ut fidelium voto satisfiat. Cum enim major pars trahat ad se minorem, sequitur non obstante commixtione singulis vicibus in minori quantitate facta, aquam manere benedictam, quamvis additiones omnes simul sumptæ quantitatem aquæ benedictæ ex fonte extractæ longe superent. (1)

3º Sed aliud medium omnino aptum ab ipsa Congregatione Rituum probatur per sequens decretum 4 Septembris 1880 *in Briocen.*: « Sabbato Sancto, necnon Sabbato in Vigilia Pentecostes, in benedictione fontis plerumque, si non semper, fons baptismalis non potest capere aquam sat copiosam ut Christifideles recipere queant in vasis (ante Olei infusionem) de hac aqua benedicta, ad eam habendam in suis domibus, cubiculis etc. Igitur quæritur: an liceat dolium, vel aliud vas sat amplum aqua refertum juxta fontem ponere, et aquam in ea contentam benedicere secundum ritum præscriptum Sabbato Sancto usque ad effusionem Sancti Olei exclusive, et peracta hac prima parte benedictionis, de dicta aqua benedicta in fontem baptismatis fundere, et tum supra ipsum fontem prosequi bendictionem, uti in Missali legitur, *relicta aqua*, *quæ remanet in dolio*, *usui*

(1) De Herdt, Tom. III, nº 55; Cfr. Ephemer. liturg. III, p. 601.

fidelium? Resp. Affirmative, id est, licet perficerê *in uno tantum vase* extra fontem posito benedictionem aquæ, deinde fundendæ in fontem ipsum, ante immixtionem Sancti Olei ».

Non autem expedit alius modus, quem quidam proponunt et in praxim deducunt, scilicet benedicendi aquam formula ordinaria, quæ juxta Missale et Rituale adhibetur singulis dominicis ante aspersionem. Missale enim, prouti vidimus supra, exigit ut aspersio populi die Paschatis et Pentecostes et aspersio domorum aliorumque locorum fiat cum aqua benedicta formula speciali et solemniori in benedictione fontis. Unde contra intentionem Ecclesiæ agit qui benedictionem ordinariam adhibet in ecclesiis, in quibus habetur fons baptismalis, iis diebus quibus hujus benedictio peragitur.

H. V. D. W.

VI

Quæritur 1° utrum omnes illi qui S. Viatico reficiuntur lucrari valeant jubilæum et, si affirmative, utrum possint etiam bis illud acquirere?

2° Quænam sint opera ipsis præstanda; et quoniam « indulgentiam jubilæi sibi comparare nemo potest faciendo opera ad quæ ex alio titulo obligatur » (*Coll. Brug.* IV, p. 135), an teneantur repetere et confessionem et communionem?

Respondetur. *Ad primum:* non est dubitandum quin omnes illi qui satis graviter decumbunt, ut possint legitime recipere S. Communionem in modum *viatici*, frui possint privilegio concesso infirmis de quibus in Const. *Æterni Pastoris* (suprà p. 44 sub n. VII).

Utrum autem *bis* possint acquirere jubilæum, non sine distinctione asseverandum videtur.

Quamdiu manet periculum mortis, vel, si convaluerint, quamdiu manet talis debilitas ut, judicio medici, probabiliter intra annum jubilæi « non sine gravi incommodo romanum iter aggredi possint », certe etiam secunda vice indulgentiam jubilæi lucrari possunt.

Si vero ita convaluerint ut, prudenti judicio, nullum ex debilitate timendum sit impedimentum pro itinere intra annum instituendum, censemus illos ægrotos jam non versari in conditionibus requisitis ut privilegio fruantur. Nobis enim videtur infirmitatem a Romano Pontifice tantummodo haberi ut motivum exemptionis ab itinere romano, inquantum revera impedimentum præbet quominus Urbem adeant; et proinde qui semel jam, stante impedimento, fruitus est privilegio, non potest secundò eo gaudere si jam cessaverit impedimentum.

Ad secundum: 1° non tantum eximuntur ab obligatione adeundi Urbem, sed generatim ipsas visitationes ecclesiæ parochialis vel communitatis, in diœcesi nostra ab Episcopo subrogatas, commutare poterit confessarius. Imo si, inchoatis illis operibus quæ confessarius imposuit, infirmi fiant incapaces illa perficiendi, nihilominus jubilæum consequentur.

2° Quoad communionem et confessionem:

Ex una parte, infirmi in periculo mortis constituti, juxta communem sententiam, præcepto divino, quod Ecclesia servandum legibus suis urget, tenentur a/ ad S. Communionem recipiendam et b/ si mortalis peccati sibi conscii sint, etiam ad confessionem instituendam. Imo ad confessionem tenentur duplici titulo: primò per se et ratione sui et secundò per accidens, ratione dispositionis ad S. Communionem.

Ex alia parte, ad jubilæum lucrandum S. Communio et confessio necessariæ sunt tanquam opera injuncta, quæ juxta sententiam, quam Bened. XIV ut veriorem habet et practice sequitur, non possunt esse alio titulo obligatoria (Const. *Inter præteritos*, § 53).

Notandum tamen est confessionem quæ (extra periculum mortis et necessitatem adimplendi præceptum annuæ confessionis) unice necessaria est ratione S. Communionis, sufficere ad jubilæum: secus enim omnes qui in peccato mortali sunt constituti deberent bis confiteri,

semel ut sese disponerent ad S. Communionem jubilæi et semel ad præstandum opus pro jubilæo impositum: hoc autem nemo contendere auderet; esset ceteroquin contrarium responso S. Pœnitentiariæ relato ap. *Nouv. Rev. Théol.* t. VII, p. 339, ad VII, juxta quod potest præcepto paschali satisfieri et jubilæum lucrifieri, non quidem unica communione, sed duabus communionibus et una confessione, si quis jam satisfecerit obligationi præcepti annuæ confessionis.

Nihilominus peccatori in articulo mortis communio et confessio per se et *ratione sui* manent obligatoriæ; proinde juxta principiorum rigorem, utraque iteranda esset pro jubilæo acquirendo.

Quum autem Ecclesia tantopere cupiat ut nullus in tremendo mortis instanti removeatur a jubilæi gratia, et tam facile, pro indulgentiis in articulo mortis lucrandis, conditiones ordinarias mitigare soleat, merito cum *Nouv. Rev. Théol.* VII, p. 541 et *Mechl. Tract. de indulg.* n. 12, q. 2, dubitari potest utrum revera *mens* fuerit Romani Pontificis, adeo urgere regulam de insufficientia operis aliunde obligatorii, ut ipsi infirmi graviter decumbentes deberent communionem et confessionem iterare. Et cum *Nouv. Rev. Théol.* ibid. concludimus: « le doute mériterait d'être soumis à la S. Pénitencerie ».

Stante hoc dubio, prudenter, ni fallamur, agit confessarius qui infirmo, apud quem advocatur, magnam ingerit jubilæi æstimationem, eique auctor est ut conetur pro posse suo illud lucrari, utque eo proposito confiteatur, S. Communionem recipiat, aliaque opera injungenda incipiat peragere, ea tamen mente ut, si satis supervixerit, ad tutiorem jubilæi consecutionem, rursus confiteatur (1) et S. Communionem repetat.

C. C.

---

(1) Confessio quidem iterari non deberet ab eo qui nec erat nec est in statu peccati mortalis; suadendum tamen est ut *omnes*, quod non adeo

VII

Quæritur. Moniales nostræ congregationis, præter domum religiosam matricem, variis in locis incolunt et gubernant instituta diversæ naturæ: scholas, conservatoria pro educandis puellis (pensionnats), orphanotrophia, xenodochia (hospices de veillards), nosocomia (hôpitaux); in nonnullis quædam mulieres, soluta annua pecunia, cubiculum sibi proprium occupant (dames en chambre).

Inter illa instituta, alia auctoritate communitatis civilis eracta sunt eique subsunt, alia vero auctoritate Episcopi a nobis instituta sunt et reguntur.

An sicut religiosæ, ita etiam omnes aliæ personæ in his domibus degentes jubilæum hoc anno lucrari possunt?

Respondendum est sub multiplici distinctione:

1° Ad præsentem quæstionem parum refert utrum instituta præfata erecta fuerint auctoritate ecclesiastica necne. In priori casu sunt loca *religiosa* stricto sensu; in altero vero non, sunt tamen instituta pia (1). Jamvero hoc sufficit. Nam, licet instituta vitæ communis de quibus agitur in bulla *Æterni Pastoris* interdum vocentur domus *religiosæ*, (cf. suprà p. 42) in aliis locis ibidem nominantur communitates seu domus *piæ* (p. 42; 45), imo simpliciter *communes* (p. 46).

2° Privilegium quod in dicta bulla conceditur ratione *vitæ religiosæ et communis*, certe non extenditur ad viros. Excluduntur igitur omnes pueri masculi vel viri, qui in scholis, xenodochiis vel hospitalibus degunt, nisi privilegio gaudere possint ratione infirmitatis aut senectutis.

3° Quoad puellas et mulieres, præ oculis habenda

---

difficile erit, ad confessionem iterandam inducantur, ne si aliis secunda confessio imponatur, ab aliis vero non exigatur, sigillum sacramentale in periculum vocetur.

(1) Cf. Ill. De Brabandere, *Jur. Can. Comp.*, II, n. 693.

sunt verba Pontificis concedentis privilegium personis « *in monasteriis et piis domibus degentibus* » (p. 42), quæ ibidem « *assidue vitam degunt* » (p. 42), « *educationis aut alia de causa legitima commorantur* » (p. 43), una cum religiosis « *degunt* », « *communi cum ipsis contubernio utuntur* » (43), quæ « *in gynæceis seu conservatoriis degunt* » (43), quæ « *vitam communem agunt* » (45), « *in communibus domibus vitam agunt* » (46).

Ex quibus liquet vitam requiri aliquo modo communem, licet hæc conditio, inspectis varietate et laxitate verborum, non nimis stricte sit intelligenda, eo vel magis quod privilegium est latæ interpretationis.

Morali autem æstimatione prudenti judicandum est in quibusnam casibus hæc vita communis sufficienter verificetur. Qua in re quid censeamus proponere non recusamus.

A privilegio excludendæ nobis videntur: a/ puellæ quæ unice per aliquot diei horas ad scholam accedunt; b/ mulieres ægrotantes quæ deferuntur ad nosocomia, in quibus non alia est vitæ communis ratio quam coacta et temporanea commoratio sub eodem tecto.

E contrario jubilæi acquirendi privilegio frui posse censemus, pupillas quæ in orphanotrophiis degunt; puellas quæ educationis gratia in convictibus (pensionnats) assiduam vitam degunt et *internæ* dicuntur; item mulieres quæ vitam tranquillam quærunt in beguinasiis vel aliis piis domibus, licet exire possint (dames en chambre); item quæ ministerii gratia illas domus inhabitant; tandem anus quæ assidue degunt in piis xenodochiis. Nec *forte* carpendi essent qui hoc extenderent ad illas convictuum puellas, quæ omnibus exercitiis diei communibus intersunt, sed vespere domum regrediuntur.

C. C.

R. P. Dom Urbain Baltus, O. S. B., S. Th. D. *Le Protestantisme contemporain.* Namur, 1899, in-8°, 80 pp. — 1 fr.

Varias Protestantismi sectas œvo nostro magnis iisque diversissimis agitari motibus inficias ibit nemo. Dum enim alii, maxime in Germania per evolutionem « subjectivisticam » ad putidum declinant materialismum, (1) alii contrà sive per studium antiquitatis et rituum æstimationem (ut in Anglia) (2), sive per doctrinam de justificatione (ut in Norvegia) (3), dogmata catholica partim amplectuntur vel et integre; alii tandem ad proselytismum majorem excitati, in catholicis etiam regionibus suos errores spargere nituntur: memoria revolvantur tantum eorum tendentia in Austria « los von Rom », prædicationes in vicinio Urbis Romæ, conamina in Gallia (4). Sed etiam in parte Wallonica nostræ patriæ advenere hujusmodi pseudo-prophetæ.

Utilissime igitur R. P. D. U. Baltus, ex abbatia Maredsolana, in conferentia Namurci habita, et in hoc opusculo, permultis notis ad calcem adjectis, juris publici facta, catholicos argumentis instruere optimo fructu conatus est. Auctor nempe qui multa perlegit, alacri calamo et methodo omnium captui accommodata, factis et testimoniis clare ostendit Protestantismum hodiernum — de Lutheranismo germanico potissimum agit — intimo et innato laborare *contradictionis* morbo in constitutione, doctrina et cultu. In constitutione sua: gloriatur enim Reformatio se esse *ecclesiam*, quod dicit

---

(1) Cf. optimum opus G. Goyau, *L'Allemagne religieuse, le Protestantisme*, Paris, 1898, præsertim c. II-III.

(2) Cf. permulta scripta de motu religioso in Anglia, notatim de Ritualismo.

(3) Cf. libros Doct. K. Krogh-Tonning, v. g. *Die Gnadenlehre und die stille Reformation*, 1894, in quo doctissimus auctor, tunc professor in Universitate in Christiania, postea pastor in eadem civitate, qui nunc fidelibus suis valedixit, ostendit Protestantes doctores per tacitam et lentam reformationem in doctrina de justificatione, quam vocat punctum stantis vel cadentis ecclesiæ, a Lutheri placitis merito ad doctrinam Ecclesiæ Catholicæ devenisse. In præclaro opere *De gratia Christi et de libero arbitrio S. Thomæ Aquinatis doctrina*, 1898, hujus S. Doctoris doctrinam evolvit, cum doctrina Ecclesiæ Romanæ constanti concordare ostendit et contra Lutheri sententiam defendit.

(4) Cf. Ern. Renaud, *Le péril Protestant.*

cohæsionem, unionem, unitatem, et simul proclamat ut principium fundamentale *liberum examen*, quod implicat unitatis fidei dissolutionem; in doctrina dogmatica: ex testimoniis enim disertis Protestantium apparet liquidò doctrinæ duces inter se non concordare quoad dogmata fundamentalia (1): quod auctor adversus contradicentem Protestantem perbelle ostendit quoad divinitatem Christi Domini in nota 4. Quod cultum spectat, unius tantum — quod parum est — sed omni attentione digno testimonio ostendit, quomodo Protestantes, contra propriam doctrinam, ab Ecclesia catholica subreptitie mutuari velint simulacrum cultus et sacramentorum.

In adjecta appendice (pp. 37-78) ampla exhibetur bibliographia, addito interdum — quod utinam pro utilitate studiosorum sæpius factum fuisset — verbulo de operum valore; plurimæ occurrunt notæ quæ merito lectoris attentionem alliciunt; nonnullæ tamen v. g. de testimoniis traditionis circa præsentiam realem, transsubstantiationem et septenarium sacramentorum numerum, viro studioso vix sufficientes videbuntur; etiam notitia apologetica de inquisitione aliquatenus moderanda nobis videtur. Quibus non obstantibus opus utile ac gratum legentibus patebit.

C. C.

(1) Idem auctor uberius hoc evolvit in *Revue Bénédictine*, 1899, pp. 563-545: *le christianisme sans dogmes*.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Expone I Jo. IV, 18: *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate.*

II

Præmissa notione adorationis, expone et demonstra sequentem propositionem: « Christi una est adoratio ex parte ejus qui adoratur ».

III (1)

Da notionem potestatis Episcopi *ordinariæ*, *quasi-ordinariæ* et *delegatæ*.

IV

Determina utrum Episcopus dispensare possit cum non-diœcesanis, vel cum diœcesanis extra fines diœcesis degentibus.

V

Interpretare tenorem facultatis sub Form. III, n. 3, Episcopis Belgii ad quinquennium concedi solitæ: « Dispensandi *in 3 et 4 gradu*, *simplici et mixto*, in *contrahendis* et in *contractis* ».

---

(1) In præcedenti fasciculo, p. 231, ultima linea, *loco* a Paula *lege* a Paulo; et p. 232, prima linea, *loco* a Paulo *lege* a Paula.

VI

Confice elenchum, tum Scriptorum quæ Decretis Generalibus « De prohibitione et censura librorum » *absolute* prohibentur; tum illorum quæ non prohibentur nisi *cum aliquo temperamento*, quatenus, si quædam conditio obtineat, omnibus aut certis saltem personis permittuntur, vel unice ob defectum legitimæ approbationis vetantur.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. Explica II Mach. XII, 43: *Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans.* 44 *(Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret: superfluum videretur et vanum orare pro mortuis).* 45 *Et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* 46 *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

R. 43. *Et facta collatione.* Græce: *Et facta viritim collatione. Duodecim millia drachmas argenti.* Græce: *Ad duo millia drachmas argenti*, id est, 1500 circiter francos, si drachmæ fuerunt atticæ, 3000 vero circiter francos, si drachmæ fuerunt hebraicæ. Quæ summa cum nimis exigua appareat, haud improbabile est ex græco textu excidisse vocem δέκα, decem. *Misit Jerosolymam*, in quo solo loco ritè offerri poterant sacrificia. *Offerri* in templo *pro peccatis mortuorum sacrificium.* Græcè deest vox *mortuorum,* sed ex iis quæ immediatè sive præcedunt (40-42) sive sequuntur (44-46) manifestum est hîc agi de peccatis in ultimo certamine defunctorum. *Bene et religiose de resurrectione cogitans.* Græce: *Omninò bene et pulchre faciens, de resurrectione cogitans*, id est, optimè et præclarè agens, quia de beata resurrectione cogitabat, seu persuasioni quam de resurrectione habebat, actionem suam egregiè conformans.

44. *Nisi enim...* Hoc versiculo demonstrat Auctor Judam tam bellè egisse eò quòd de resurrectione cogi-

taverit. Probatio autem est hæc: Nisi enim de resurrectione cogitasset, non sic fecisset, seu pro defunctis istis non orasset. Sensus verò est: *Nisi enim eos, qui ceciderant* in prælio nuper acto (vv. 39, 40), *resurrecturos speraret* (græcè προσεδόκα, exspectaret), supple: sed totum hominem in morte in perpetuum interire existimaret, *superfluum videretur et vanum*, prorsus inutile duxisset oblatis sacrificiis *orare pro mortuis,* adeoque supradicta sacrificia non obtulisset. Quomodo autem consequens sit, sublata spe resurrectionis mortuorum, superfluam et vanam fore pro mortuis orationem, elucet tùm ex intrinseca connexione dogmatis resurrectionis carnis cum dogmate immortalitatis animæ, tum ex eorumdem dogmatum connexione extrinseca, quatenus nimirum tunc temporis, quemadmodum temporibus Christi et Apostolorum (Cf. Matth. XXII, 31, 32; I Cor. XV, 19, 32), qui admittebant immortalitatem animæ, non negabant resurrectionem carnis, qui vero hanc negabant, illam pariter negabant.

Observandum etiam est hic agi de sola beata resurrectione, seu de resurrectione *ad vitam* (de quâ VII, 14), quæ sola *speratur*, dum impiorum resurrectio, quoniam ad æternam erit mortem, cruciatum et miseriam, non speratur, sed creditur solùm.

45. *Et quia considerabat.* Græcè: *Deinde considerans.* Latinè verba: *quia considerabat*, quemadmodum: *cogitans* (v. 43) pendent à: *misit offerri sacrificium* (v. 43); græcè verò utrumque participium *(considerans* et *cogitans)* pendere videtur à participio πράττων, faciens (v. 43). Tam igitur bene fecit Judas, tum quia de futura carnis resurrectione cogitabat (v. 43), tum *quia considerabat quod hi cum pietate*, certantes nimirum pro Dei cultu et lege et populo, adeoque in unione cum Deo, *dormitionem* mortis *acceperant*, seu occubuerant. « Mors enim in Scriptura vocatur somnus per analogiam et similitudinem; mors enim est quasi longus somnus, somnus verò est quasi brevis mors; sed maximè mors vocatur

somnus ob spem resurrectionis, in qua quasi è somno evigilabimus ad vitam æternam » à Lapide — *optimam haberent* apud Deum *repositam gratiam*, egregiam haberent mercedem sibi apud Deum in altera vita reservatam. Veritas generalis est, omnibus in unione cum Deo defunctis, munificum apud Deum reservatum esse præmium, sed eam Auctor hìc applicat prostratis in ultimo certamine Judæis, de quibus v. 39. Verùm quæritur quo pacto Judas sperare potuerit æternam mercedem eos manere qui in actu peccati mortalis interfecti essent, nimirum *habentes sub tunicis de donariis idolorum, à quibus lex* (Deut. VII, 5, 25, 26) *prohibet*, ex quo *omnibus manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse?* v. 40. Cf. 41, 42. Gravis enim lex ista, gravis pœna: gravis ergo culpa. — Responderi potest nonnullos saltem ex iis fortasse haud graviter peccasse, eò quòd ad prædictam legem ejusve gravitatem non satis attenderint, aut finem legis, nimirum periculum idololatriæ, adeoque ipsammet legem sibi cessasse autumârint; vel certè, etiamsi ponantur graviter peccasse omnes, Judam haud immeritò sperare potuisse Deum pro sua causa certantibus et morientibus elargitum esse in extremis gratiam contritionis, qua æternam damnationem evaderent. Hæc autem spes erat ratio sufficiens orandi pro illis defunctis. Simili enim spe, ut bene notat Corluy, conceduntur Ecclesiæ publica suffragia pessimis etiam peccatoribus, dummodo aliqua ratione supponi possit ante mortem eos pœnituisse.

46. *Sancta ergo... solvantur.* Græcè: *Sancta et pia consideratio!* Hæc nimirum Judæ consideratio, piè defunctis optimam reservatam esse mercedem. Sequitur autem: *Quare pro defunctis propitiationem fecit*, sacrificia propitiatoria offerenda curavit, *ut à peccato solverentur* perfecte, ut nimirum veniam obtinerent minorum delictorum et pœnarum temporalium restantium, sine quà optimæ istius mercedis adeoque beatæ resurrectionis non poterant esse participes. — Demonstratum

hucusque non est, græcam lectionem textui Vulgatæ esse præferendam. Ceterum ad doctrinam ipsam quod attinet, idem juxta utramque lectionem docetur hîc dogma purgatorii atque efficaciæ bonorum operum, precum et sacrificiorum à vivis pro defunctis oblatorum. Quod enim juxta Vulgatam in recto docet Auctor inspiratus, nimirum *sanctam et salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*, idem juxta textum græcum docet in obliquo, probando scilicet motivum *(sancta et pia consideratio!)* quo impellente *(quare pro...)* Judas pro defunctis exoraverit seu propitiationem fecerit, ut à peccatis solverentur. Enimvero talis est Auctoris sacri in tota hac pericopa processus, ut adductis etiam rationibus totam Judæ agendi rationem approbet, adeoque etiam sacrificia ab ipso pro defunctis sociis oblata.

Ex hac igitur pericopa ritè intellecta, facile colliguntur dogmata immortalitatis animæ, resurrectionis carnis, purgatorii et efficacitatis suffragiorum pro animabus in eo detentis. — Ut autem nos christiani admirabilem Judæ charitatem erga defunctos imitemur, invitat specialis indoles novæ legis, quæ lex est amoris et fraternæ charitatis, invitat pariter singularis excellentia et efficacia sacrificii nostri incruenti.

G. V. D. P.

II

Q. *Præmissa notione sanctitatis expone per quid formaliter sancta sit humana Christi natura.*

R. I. In præsenti inquirimus de sanctitate prout hæc propria est entibus intellectu et voluntate præditis. Videamus ergo qua formali ratione tum homines, tum angeli, tum ipse Deus dicantur sancti.

Vocantur κατ'εξοχην *sancti* homines illi quorum liberum operari eminenti modo conforme est regulæ secundum quam ordinanda est humana vita ut attingat finem suum

ultimum. Sancti vocantur angeli illi qui libere adhæserunt ultimo fini, et opponuntur malis angelis qui libere sese ab ultimo fine averterunt. Tandem Deus, qui est sui ipsius ultimus finis, sanctus dicitur quatenus se ipsum, utpote Summum Bonum, infinito amat amore et ex hoc amore agit quæcumque agit. Patet igitur *sanctitatem* esse formaliter *rectitudinem voluntatis circa ultimum finem.* (1)

Hominis autem sanctitas in duplici statu considerari debet: in *via* homo nondum perfecte finem ultimum possidens, ad illam possessionem tendit ordinando omnes suas operationes (2) ad acquisitionem boni ultimi ad quod est creatus; in *termino* autem hoc bonum perfecte possidet homo, et in ejus possessione complete quiescit: in hac *quiete* consistit formaliter *beatitudo*, in *rectitudine* vero voluntatis circa ultimum finem consistit formaliter *sanctitas.*

Sed jam occurrit maximi momenti distinctio inter *naturalem* et *supernaturalem* ordinem.

Objectum cujus possessione ens intellectu præditum perfectionem attingit est, in qualibet hypothesi, ipse Deus: attingitur autem Deus et possidetur præprimis actu intellectus. Jamvero si intellectus creatus Deum attingit, h. e. cognoscit, modo qui naturalis facultatis exigentiam non transcendit, hæc aliqualis Dei possessio est naturalis; sin autem hæc facultas cognitione ditatur quæ omnino transcendit ipsius naturales vires et vires

(1) Ex dictis sequitur in conceptu sanctitatis contineri *immunitatem a peccato:* sanctitas omnino excludit peccatum *mortale* quippe quod est *aversio* a fine ultimo; deinde sanctitas quo major est eo magis excludit peccatum etiam *veniale* quippe quo *retardatur* homo in prosecutione ultimi finis. Immunitas autem a peccato est aliquid negativum; positive et formaliter consistit sanctitas in rectitudine, quæ est positiva perfectio, voluntatis circa ultimum finem.

(2) Ordinare autem operationes ad ultimum finem est opus *voluntatis.* Unde hæc ordinatio est perfectio *moralis:* morale enim dicitur omne id quod spectat operationes voluntarias: *mores* enim nihil aliud sunt quam series humanarum operationum voluntarium. Cf. Taparelli, *Saggio teoretico di Dritto Naturale*, T. I, n. 41.

cujuslibet naturæ finitæ, hæc possessio est simpliciter supernaturalis.

Porro revelatione divina edocemur homines in præsenti Providentiæ ordine destinatos esse ad finem ultimum supernaturalem, qui in perfecta cognitione, hoc est, in intuitiva visione Dei consistit. Jamvero ut valeat homo, etiam in via, recte agere in ordine ad hunc finem attingendum, addidit Deus naturalibus operandi principiis quasdam perfectiones naturæ indebitas, quibus humana natura perficitur et elevatur ita ut ad ultimum finem, modo huic fini vere proportionato, possit tendere. Illæ supernaturales perfectiones sunt gratia sanctificans, virtutes infusæ et dona Spiritus Sancti. (1)

Jamvero illis habitibus constituitur homo vere et formaliter sanctus. Et sane: gratia sanctificante perficitur ipsa animæ essentia, redditur deiformis h. e. naturæ divinæ consors, et *radicaliter* capax visionis beatificæ. (2) Ergo hæc gratia vere dicitur et est *sanctificans* quia est illud *principium primum quo* anima constituitur recta in ordine ad attingendum suum verum ultimum finem. Deinde potentiis animæ, quæ gratia sanctificante ornatur, infunduntur virtutes infusæ et dona Spiritus Sancti, quæ sunt *principia quibus proxime* disponitur homo ad recte operandum in ordine ad ultimum finem supernaturalem. *Actus* autem sanctos exercet homo quando his principiis utens, opera elicit bona ac salutaria. (3)

---

(1) Cf. *Collat. Brug.* T IV, p. 387.

(2) Vid. egregiam de natura gratiæ sanctificantis disputationem in opere P. Terrien: *La grâce et la gloire,* T. I, L. II, ch. II. (Paris, Lethielleux); et in « Catechismo » Ill. D. Lambrecht, p. 807.

(3) Inter virtutes præcipuum omnium locum obtinet *charitas*, quippe « quæ unit nos Deo qui est ultimus finis humanæ vitæ » S. Thom. II-IIæ, q. CLXXXIV, a. 2. Ideoque « per se quidem et essentialiter consistit perfectio christianæ vitæ (h. e. sanctitas) in charitate » Id. l. c. a. 3. Charitate nempe unimur Deo utpote Summo Bono, illoque amore, quum in voluntate dominatur, omnia opera ad Deum diriguntur et ordinantur, et divinæ voluntati redduntur conformia. Cf. S. Franciscum Sal.

II. Quum sanctitas supernaturalis, ut ex præcedentibus patet, in quâdam supernaturali unione cum Deo consistat, quæstio inter theologos facta est utrum humana Christi natura *formaliter sanctificetur* per unionem hypostaticam, necne.

Hujus autem *quæstionis status* ulterius est exponendus: primo sciendum est quod per communicationem idiomatum Christus dici potest infinite sanctus. Hic enim homo, Christus, vere est Deus, ideoque sicut ipsam naturam habet divinam ita etiam omnes divinæ naturæ perfectiones in quibus est etiam infinita sanctitas.

Difficultas ergo est in hoc, utrum per unionem hypostaticam *formaliter* vel solùm *exigitive* sanctificetur *humana Christi natura*, aliis verbis: utrum ex ipsa unione hypostatica et *independenter omnino a gratia sanctificante*, vere proprie et positive sancta sit humana Christi natura, an e contrario unio hypostatica non sit nisi ratio exigitiva sanctitatis quæ tunc formaliter obtinetur per gratiam habitualem et dona ei annexa.

Huic ergo quæstioni respondemus: 1/ unio hypostatica *non formaliter* sanctificat humanam Christi naturam; 2/ unio hypostatica est tantum ratio exigitiva sanctitatis quæ formaliter constituitur per gratiam. Quod paucis demonstrare conabimur.

1. *Non formaliter sanctificatur humana Christi natura per unionem hypostaticam.*

Ut complete hoc assertum demonstremus, illud in duas subdividimus partes.

a/ Non formaliter sanctificatur humana Christi natura per unionem hypostaticam *præcise ratione sui* spectatam.

Traité de l'Amour de Dieu, L. II, ch. XXII; Scaramelli, *Direttorio ascetico*, Tr. I, a. 1, c. 1. — Profundissime ostendit Taparelli op. c. n. 43 « effectum naturalem amoris esse sacrificium amantis ad amatum, et transmutationem amantis in amatum perfectissima imitatione ». — Demonstrat S. Thomas II-II, q. CXXIV, a. 3 « quod martyrium inter cæteros actus humanos est perfectius secundum suum genus, quasi maximæ charitatis signum ».

Etenim unio hypostatica sic considerata est unio ad Deum secundum *esse* tantum (1). Et sane hypostatica unione efficitur ut humana natura *subsistat* per esse personale Verbi divini, ita ut ex hac unione constituatur persona una duas habens naturas; sed hac unione, præcise ratione sui considerata, nullum humanæ Christi naturæ additur novum principium agendi, nec habitus operativus, nec operatio quælibet: consequenter nec habitualis nec actualis cognitio aut amor Dei, nec primum principium quo radicaliter capax visionis beatificæ redditur anima: ergo per unionem hypostaticam, præcise et ratione sui spectatam, non formaliter sanctificatur humana Christi natura: quum sanctitas, uti supra ostendimus, sit formaliter rectitudo voluntatis circa ultimum finem.

b/ Non formaliter sanctificatur humana Christi natura per unionem hypostaticam *ratione sanctitatis increatæ* cui unitur humana Christo natura. Et sane, sanctitas formalis est perfectio formaliter immanens in subjecto quod sanctum est: ergo sanctitas, qua ipse Deus sanctus est, nequit alteri naturæ communicari: et eadem est ratio de omni perfectione immanente: « Sicut intellectio mea posita in Petro non redderet eum intelligentem quia nón redderet eum moventem se ab intrinseco per illam, ita multo minus intellectio divina potest reddere intelligentem humanitatem (Christi) propter eamdem rationem. » De Lugo, *De Mysterio Incarnationis*, Disp. XVI, Sect. I, n. 15. Idem argumentum valet de sanctitate.

Demonstratum est, ut videtur, hoc nostrum assertum

---

(1) « Elevatur autem humana natura in Deum dupliciter: uno modo per operationem, qua scilicet sancti cognoscunt et amant Deum; alio modo per esse personale: qui quidem modus est singularis Christo, in quo humana natura assumpta est ad hoc quod sit in persona Filii Dei. Manifestum est autem quod ad perfectionem operationis requiritur quod potentia sit perfecta per habitum; sed quod natura habeat esse in supposito suo, non fit mediante aliquo habitu » S. Thom. III, p. II, a. 10.

quod scilicet non formaliter sanctificatur humana Christi natura per unionem hypostaticam.

Hoc autem confirmatur auctoritate S. Thomæ aientis: « Deitas autem non est formaliter, sed effective perficiens ipsam (sc. animam Christi); unde oportet aliam formam creatam in ipso ponere, quo formaliter perficiatur, et hæc est gratia » III, D. XIII, Q. I, a. 1. « Lux solis et lux candelæ utrumque est active illuminans; sed Deitas et gratia non sic se habent; sed unum illuminat active, alterum formaliter » Ibid. ad 3.

2. *Unio hypostatica est ratio exigitiva supernaturalis sanctitatis in humana Christi natura: quæ sanctitas formaliter habetur per gratiam sanctificantem et dona ei annexa* (1). Etenim anima Christi propinquissime secundum esse unitur Deo: summa igitur est convenientia imo vera necessitas, ut hæc anima etiam propinquissime attingat Deum secundum operationem; consequenter ut non solum aliquo modo cognoscat et amet Deum; sed ut Illum cognoscat et amet supernaturali cognitione et amore, et totum operari rectissime in Deum ordinet: uno verbo, requiritur ut Christi anima sanctitate supernaturali ornetur. Jamvero ad hoc oportet ut Christi anima per gratiam sanctificantem et per dona ei annexa perficiatur et elevetur, et sic *formaliter* sancta reddatur.

Adnotatio. Primum nostrum assertum quo negatur per unionem hypostaticam formaliter sanctificari humanam Christi naturam, contradicit opinioni plurium theologorum recentiorum (2). Illi auctores suam sententiam superstruunt distinctioni inter substantialem et acci-

---

(1) Exclusis tamen fide et spe quæ in Christo ratione visionis beatificæ esse nequeunt.

(2) Inter illos sunt Suarez, in III p. Disp. XVIII, sect. 1; De Lugo, *De Mysterio Incarnationis*, Disp. XIV, sect. 1; Billuart, *De Incarnatione*, Disp. VIII; Franzelin, *De Verbo Incarnato*, Thes. LXI; Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 236 et seq.; Pesch., *Tractatus Dogmatici*, T. IV, n. 276.

dentalem sanctitatem, et statuunt Christum quoad *substantialem* sanctitatem formaliter sanctificari per unionem hypostaticam, independenter a quolibet habitu creato; quoad accidentalem vero sanctitatem Christum formaliter sanctificari per gratiam. Hæc autem distinctio videtur rejicienda. Etenim substantialis sanctitas esset illa « quæ immediate provenit a Verbo Dei substantialiter unito et divinam naturam, quæ est sanctitas per essentiam includente » Billuart, *De Incarnatione*, Disp. VIII, § 1. Sed contra est quod humanæ Christi naturæ immediate ex ipsius unione cum Verbo nulla additur perfectio intrinseca et absoluta: nam ex hac unione natura humana quoad essentiam non mutatur, sed manet cum solis perfectionibus quæ humanæ naturæ propriæ sunt. (1)

Et siquidem humana natura ex se sola et sine addita perfectione, non est sancta, ideo etiam ex sola unione hypostatica humana Christi natura non constituitur sancta. Ergo non datur hæc substantialis sanctitas quam adstruunt prædicti auctores. Etiam falsum est quod dicunt, unionem scilicet hypostaticam præstare eminenter id quod facit gratia sanctificans. Ad hoc respondet S. Thomas: « quia cum unitate personæ remanet distinctio naturarum, anima Christi non est per suam essentiam divina (h. e. deiformis). Unde *oportet quod fiat divina per participationem quæ est secundum gratiam*. III, q. VII, a. 1, ad 3. Et sane alia omnino est unio secundum *esse*, qua in re consistit unio hypostatica, et alia est unio secundum *operari*, qua in re consistit sanctitas. Cf. S. Thom. l. c. et *de Veritate*, q. XXIX, a. 1.

Sententiam quam exponere et demonstrare conati sumus docent S. Thomas, ut constat ex loc. cit.; Scotus in III, D. II, q. 1; Durandus in III, D. XII, q. 2 et D. XII, q. 1; Scotistæ communiter inter quos cfr.

(1) Cf. Billot, *De Verbo Incarnato*, Thes. XVI.

Henno, *Theologia dogm. mor. et schol.* De Incarnatione, Disp. XIV, q. 1; Billot, *De Verbo Incarnato*, Thes. XVI.

J. V. D. M.

III

Q. *Caius catholicus Belga tendit Londinium, ibique, absque ulla prævia dispensatione, coram ministro hæretico matrimonium init cum Johanna, puella Londiniensi, Anglicana et baptizata. An et quare* valide *et* licite *contrahit Caius?*

R. I/ **Validè** contrahit Caius. Attento namque tenore casus propositi, nullum obstat huic matrimonio impedimentum *dirimens*.

Equidem *clandestine* contrahitur matrimonium, seu absque præsentia proprii parochi (catholici) vel delegati et duorum testium, contra decretum Conc. Trident., quo *inhabiles* redduntur ad contrahendum illi « qui aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt », ipsorumque contractus irriti decernuntur et nulli. Sess. XXIV, cap. 1°, *De Reformatione Matrimonii*. Atvero personæ quæ domicilium habent vel quasi domicilium in loco in quo prædicta lex Tridentina non est promulgata (1) nec legitima consuetudine introducta (2), ab illa inhabilitate existunt exemptæ *in ordine ad matrimonium in hujusmodi loco ineundum*. (3)

---

(1) Cfr. clausulam finalem decreti *Tametsi*.

(2) Cfr. decreta citata apud De Becker *De sponsalibus et matrimonio*, p. 106-107.

(3) Quæstio utrum pars quæ domicilium vel quasi-domicilium habet et *retinet* in loco non subjecto sit obnoxia legi clandestinitatis, in ordine ad matrimonium ineundum *in loco subjecto*, ante ibidem acquisitum quasi-domicilium vel domicilium, in partem affirmativam est soluta in notanda recentissima causa Parisiensi, diei 25 Januarii 1899. Cfr. *Anal eccles.*, 1898,

Hac nempe ratione tales personæ undequaque subtrahuntur legi, tum quatenus *localis* est et afficit territorium, siquidem contractus initur in loco non subjecto, tum quatenus *personalis* est, quia dictæ personæ contrahentes domicilio vel quasi-domicilio pertinent ad locum in quo lex non viget. Cfr. *Instruct.* C. S. O., 14 Decemb. 1859 (*Collect. de Prop. F.* n. 1403).

Sufficit autem *una pars* sit immunis a forma Tridentina, cum juxta Bened. XIV, *De Synodo diœc.*, l. VI, cap. VI, n. 12, cujus verba sua fecit C. S. O., in responso ad episc. Quebec., 17 Nov. 1835 (*Collectan.*, n. 1402), « exemptio qua ipsa fruitur alteri parti communicata remanet propter individuationem contractus, vi cujus exemptio quæ uni ex partibus competit, ad alteram secundum etiam civiles leges extenditur, eique communicatur » (1). Cfr. *Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 225, in nota.

Jamvero quæ juxta dicta ad exemptionem requiruntur conditiones perfecte verificantur in casu solvendo. Revera sponsa Johanna supponitur habere domicilium Londinii ibidemque matrimonium inire; locus autem est in quo non est promulgatum decretum *Tametsi*, nec consuetudine inductum.

Nec obstat valori impedimentum dirimens *disparitatis cultus*, cum hoc afficit matrimonia dumtaxat inita inter partem fidelem seu baptizatam et partem infidelem: hic autem utraque pars est baptizata.

II/ **Illicite** contrahit Caius, idque *triplici titulo:*

1°/ quia *absque dispensatione* contrahit *matrimonium*

---

pp. 288-298; 1899, p. 15-16, cum subnexo voto R. P. Wernz consultoris, p. 62-74 et p. 194-201; cfr. etiam decr. C. S. O. 16 Aug. 1896, relatum apud *Quartalschrift*, Lintz, 1899, p. 865-871. Nimirum hujusmodi persona ligaretur non vi *personali* sed *locali* cap. *Tametsi*.

(1) Disciplinam specialem statuit Leo XIII, pro insula Melitensi, die 12 Januarii 1890, juxta quam disciplinam valida decernuntur matrimonia clandestine inita vel ineunda ab una parte hæretica cum altera parte pariter hæterodoxa, non autem cum parte catholica. Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XXV, p. 160 et seq.

mixtum. Matrimonium enim mixtum est illud quod initur inter duas personas *baptizatas*, quarum una *catholica*, altera vero *acatholica*, nempe schismatica vel hæretica seu alicui sectæ schismaticæ aut hæreticæ adscripta; quod hic obtinet.

Porro dicta connubia, utut valida (1), graviter tamen sunt illicita. Et quidem *regulariter* ipso jure *naturali et divino* existunt prohibita propter gravissima pericula ex illis oriunda et difficulter vitanda, quorum præcipua enumerantur in *Instruct.* C. S. O. 12 Decembr. 1888, apud *Collect.*, n. 1444, et in Encyclica Leonis XIII *Arcanum*. Quæ incommoda sequi nata rationem subministraverunt Ecclesiæ ad inducendam legem positivam *universaliter* proscribentem matrimonia mixta, statuto contra illa impedimento *impediente* religionis mixtæ: unde factum est ut *salva dispensatione* maneant *jure ecclesiastico* vetita, etiam ubi, in casu particulari, sufficienter amotis periculis invocatis, jure naturali et divino jam non essent illicita. Proscriptionis ecclesiasticæ monumenta abundant, quorum nonnulla indicantur apud De Becker, op. cit., p. 259.

2°/ quia non celebrantur nuptiæ coram *parocho proprio*.

Præsentia namque saltem (2) sacerdotis proprii *ad liccitatem* requiritur etiam in locis in quibus non viget lex Tridentina *irritans* nuptias clandestinas. Et sane uti docet Bened. XIV, *De Synodo diœces.*, l. VIII, cap. XII, n. 3, « quo religiosius fideles matrimonium celebrarent, quod magnum esse sacramentum in Christo et in Ecclesia prædicaverat Apostolus *ad Eph.*, V, ab Ecclesiæ primordiis cautum est ne aliter illud inirent quam coram sacerdote, cujus benedictione quodam-

(1) Cfr. Feye, *De matrim. mixtis*, pp. 82-88; *De Impedim. matrim.*, n. 556; *Instruct.* C. S. O., 12 Decembr. 1888, apud *Collectan.*, n. 1444, sub 1; Declaratio Bened. XIV, 4 Novembr. 1741, ibidem n. 1420.

(2) Circa præsentiam *testium* requirendam cfr., in diversam partem, De Becker, op. cit., p. 125-126, et Gasparri, *De matrimonio*, II, n. 873.

modo obsignaretur ». Adnectit plurima documenta quæ, uti ait n. 4. « aliaque hujus generis multa a viris eruditis congesta probant quidem semper ab Ecclesia vetita clandestina conjugia ». Cfr. etiam decr. Gratiani, Causa XXX, qu. V, cap. 1-5; Decret. l. IV, tit. III. *De Clandestina desponsatione,* cap. 3.

Cæterum semper et ubique erant et manent reprobandæ nuptiæ clandestinæ propter maxima incommoda quæ facile sequuntur ex matrimoniis de quibus authentice constare nequit. Cfr. ipsum decretum *Tametsi;* Bened. XIV, l. c., n. 7. Ab asserta autem prohibitione clam ineundi matrimonium excusarent graves rationes, quales, post Pirhing, enumerat Gasparri, *De matrimonio*, II, n. 873.

3°/ quia contrahit *coram ministro hæretico*, formaliter, uti supponitur, *qua ministro cultus hæretici.* Etenim « quotiescumque minister hæreticus censeatur veluti sacris addictus, et quasi parochi munere fungens, non licet catholicæ parti unà cum hæretica matrimonialem consensum coram tali ministello præstare, eo quia adhiberetur ad quamdam religiosam cæremoniam complendam, et pars catholica ritui hæretico se consociaret; unde oriretur quædam implicita hæresi adhæsio, ac proinde illicita omnino haberetur cum hæreticis in divinis communicatio ». *Instruct.* C. S. O., 14 Febr. 1864, apud *Collectan.*, n. 1431.

Contrà, quando contingit « quibusdam in locis hæreticum ministrum *agere personam magistratus mere civilis,* coram quo se sistere solent conjuges aut etiam debent ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti conjuges prolesque censeatur legitima; tunc vero, urgentibus hæreticis, aut lege civili imperante, non improbatur quod pars catholica unà cum hæretica se sistant ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro hæresi addicto, ad actum civilem dumtaxat implendum ». Ibidem.

Nota contrahentes matrimonium coram ministro hæ-

retico qua tali, præcise ob assertam hæresi adhæsionem implicitam, incurrere, positis ponendis, *censuram* speciali modo S. Pontifici reservatam, in Constit. *Apostolicæ Sedis* latam « in hæreticos eorumque credentes ». Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XXV, p. 284 et seq., et loca ibi allata, signanter tom. XV, p. 595-600; item decreta citata apud *Collectan.*, nn. 1436, 1438 et 2202.

A. D. S.

IV

Q. *Bertha, puella majorennis, oriunda ex parochia S^ti^ Ægidii, Brugis, in qua domicilium habent ejus parentes, ab anno famulatum exercens in S^tæ^ Annæ, nuptias intendit inire cum Carolo ex S^tæ^ Walburgæ, et pridie matrimonii tendit in parochiam S^ti^ Jacobi, in locata domo habitatura, cum animo ibidem cum viro perpetuò manendi. Coram quonam parocho Brugensi valide et licite contrahunt dicti sponsi?*

R. I. Quoad **valorem**.

Principium est *ad validitatem* requiri ut matrimonium contrahatur coram parocho proprio vel alio sacerdote de ipsius parochi licentia.

« Parochus autem *proprius* in ordine ad matrimonii celebrationem ille est in cujus parochia *alteruter* ex sponsis habet *domicilium habitationis* (hic np. non attenditur ratio *originis*), aut *quasi-domicilium*, vel, si sit vagus (i. e. nullibi habens domicilium aut quasi-domicilium), in ea actu commoratur ». *Collat. Brug.*, II, p. 493.

Uti autem notatur *Coll. Brug.*, IV, p. 246, « ipsi quoque Ordinarii (i. e. Episcopus et Vicarii Generales) parochi, sive per se sive per sacerdotem a se commissum, parochianorum ejus matrimoniis assistere possunt »; ratione utique habita decreti C. S. O., 9 Novembr. 1898, ibidem allati et adnotationibus illustrati.

Domicilium autem in parœchia *acquiritur* ab illis *qui sunt sui juris* per actualem in ea habitationem, conjunctam cum animo ibidem *perpetuo* manendi; et *conservatur* donec ab illa parœchia actu recedant cum animo non redeundi. *Qui vero alieni juris*, puta minorennes, retinent domicilium patris vel tutoris, donec *sui juris* facti in dicto domicilio remanserint.

Ad constituendum vero quasi-domicilium... duæ hæc simul requiruntur, habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium contrahitur atque animus ibidem permanendi per majorem anni partem [2]. Ex Liber. canonic.

---

1 *Quemque non [illegible] sui juris [illegible] parentum remanere*, ut exponit Wernz, [illegible] Fontes [illegible] apud *Anal. Eccl.*, 1899, p. 63, n. 49.

2 *Quantum ad* [illegible] quod [illegible] et [illegible] vel [illegible] ex sponsis animum habere permanendi per majorem anni partem [illegible] *primum*, ut patet ex [illegible] et majorem [illegible] animus et actualis habitatio, judicandum est quasi-domicilium [illegible] et **matrimonium quod proinde contrahatur esse validum.**

Verumtamen si de prædicto animo non constet ad [illegible] rem [illegible] est et signanter attendendum est [illegible] ante matrimonium [illegible] saltem unius mensis, vel ambo vel alterutrum in [illegible] habitaverint. Quodsi factum fuisse deprehendatur, censendum est ex præsumptione juris intentionem permanendi per majorem anni partem [illegible] et domicilium fuisse acquisitum, proinde que matrimonium esse validum. At si præsumptio hæc juris, quæ ex mensuna habitatione [illegible] contrariis elidatur probationibus, [illegible] et liquet [illegible] præditum animum nullo pacto extitisse, nunquam profecto [illegible] judicium manifestum est, quia præsumptio cedere debet veritati. *Collectan.*, n. 1413. Actualis nempe [illegible] unius mensis est presumptio juris non autem præsumptio *juris et de jure* nisi ex speciali indulto, quemadmodum habet in Statibus Fœderatis Americæ in quibus id indulgente Leone XIII, 12 Mai 1886, [illegible] caput *Tanaa*, in album [illegible] *per spatium saltem unius mensis*, et status sui libertatem [illegible] est, compererint [illegible] censendi sunt [illegible] habere [illegible] ordine ad matrimonium, *puta [illegible] per majorem anni partem* ». *Collectan.*, n. 1413.

Note 2 [illegible] AA. [illegible] Feye, *De Imped. Matrim.* [illegible] Van den Berghe, *De Legibus*, [illegible] De Angelis, *Prælectiones* [illegible] III, p. 96; Theol. Mechl., *De Matrimonio* [illegible] conditionibus enumeratis, facto scilicet habitationis actualis et animi manendi per majorem anni partem omnemque satisfecit, per realem habita-

C. S. O. 7 Junii 1867, apud *Collectan.* n. 1407, collato n. 1409.

Applicando indicatum principium habemus:

1°/ Carolum et Bertham *validè* contrahere coram parocho S^tæ^ Walburgæ et parocho S^ti^ Jacobi, cum, *momento celebrationis matrimonii,* uterque sit *parochus proprius* alterutrius nupturientium. Revera in parochia S^tæ^ Walburgæ domicilium supponitur habere sponsus, sponsa vero in parochia S^ti^ Jacobi: in hac enim *pridiè matrimonii* sedem cepit cum animo ibidem perpetuò manendi; a primo autem instanti quo utraque verificatur conditio, illicò acquiritur domicilium, uti dictum est in nota pro quasi-domicilio.

2°/ Parochi S^ti^ Ægidii et S^tæ^ Annæ non possunt *validè* assistere matrimonio qua *parochi proprii*; et sane sponsi non sunt vagi actu in illorum parochia degentes, et neuter ex nupturientibus, momento matrimonii, in alterutra parochia retinuit domicilium vel quasi-domicilium.

Nimirum *quasi-domicilium*, ex unius anni famulatu in S^tæ^ Annæ acquisitum (1), amisit sponsa pridie matrimonii recedendo cum animo non redeundi; domicilio autem parentum in S^ti^ Ægidii, si ipsi non renuntiaverit prius, profectò valedixit per idem factum tendendi in parochiam S^ti^ Jacobi, cum intentione ibidem perpetuò manendi.

Atvero aliunde potest præfatis parochis obtingere

---

tionem ultra sex menses protractam, etiamsi *absque intentione tamdiu manendi fuerit incæpta,* uti obtinet in casu a C. S. O., 9 Nov. 1898 soluto, et apud *Collat. Brug.*, IV, p. 182 cum adnexa adnotatione relato. Supponunt utique agi de sponsis commerantibus ad modum vere proprieque habitantium et non more vagorum et itinerantium, juxta monitum prælaudati decreti 1867. Contrariam autem tenent sententiam Planchard, apud *Rev. theol. franç.*, 1899, p. 168 et seq., *Nouv. Rev. theol*, 1899, p. 184 et seq.; *Canoniste Contemp.*, 1899, p. 204, 272, decretum 1898 interpretantes ad instar concessi indulti, quibus consentit Wernz, *in Voto*, l. c, p. 67-68, scribens ante decretum 1898.

(1) Quasi-domicilium sponsæ non deducimus ex *mero facto* commorationis per spatium plus sex mensium, sed ex habitiatione conjuncta cum animo manendi per majorem anni partem, quæ intentio meritò præsumitur ex susceptione famulatus.

titulus vi cujus validè intersint matrimonio de quo quæritur, *tanquam delegati* videlicet parochi vel Ordinarii. Jamvero, in Congregatione Prosynodali 24 Maii 1899, edidit Illustr^mus^ ac Reverd^mus^ Episcopus Brugensis decretum sequentis tenoris: « Ad obviandum periculo ne, ob domicilii ante celebratas nuptias mutationem, matrimonium invalide contrahatur, parochis cujusvis loci diœceseos nostræ, in quo duæ pluresve parœciæ sedem habent, concedimus ut ipsi (vel sacerdos ab eis commissus) assistere valeant matrimonio eorum, quos prævia instructione facta ad proclamationes admiserunt, etsi postea hi parochiam suam dereliquerint, nisi forte in diœcesim alienam abiverint. Volumus autem hanc nostram licentiam vim habere per tres menses (seu nonaginta dies) ultimæ proclamationis diem (exclusive) subsequentes tantum ». Cfr. *Collat. Brug.*, IV, p. 377-378. (1)

Vi cujus concessionis et commissionis ab Episcopo factæ posset *parochus Ste Annæ* validè nuptiis interesse, *si sponsam Bertham prævia instructione facta ad proclamationes admiserit*, nec inde ab ultimo proclamationis die nonaginta dies effluxerint.

Idem, *eadem sub conditione*, valeret de *parocho S^ti^ Ægidii*, *modò ante* instructionem factam et admissionem ad banna, domicilio parentum non renuntiaverit sponsa; quam renuntiationem non videtur *per se* importare merum propositum matrimonium ineundi, cum, uti docet

(1) Præsens disciplina est introducta ad tramites decreti C. S. O. 9 Novembr. 1898, Ordinario agnoscentis jus concedendi parochis hanc licentiam generalem in hujusmodi occurrentia, et simul suggerentis nonnullas regulas et cautiones, juxta decr. S. C. C. 18 Martii 1893, præ oculis habendas in usu juris agniti. Cfr. *Collat. Brug.*, IV, p. 244, cum adnotatione ad dubium alterum. Porro circa hanc quæstionem de valore et liceitate delegationis *generalis* Cfr. decr. S. C. C., 20 Julii 1889 in causa Posnoniensi (De Becker, op. cit, p. 18); decr. S. C. C. 1893, in causa Coloniensi, latum post responsum dilatorium 7 Sept. 1890, apud *Nouv. Rev. théol.*, XXIII, p. 21 et seq.; XXIV, p. 248 et seq; et signanter XXV, p. 229 et seq., cum voto R. P. Wernz Consultoris. Cfr. etiam Planchard, *Rev. théol. Franç.*, 1899, p. 204 et seq., et p. 277 et seq.; De Brabandere-Van Coillie, *Jus. Canon.*, I, n. 104; Feye, op. cit., p. 297 ad 6°.

Feye, op. cit., n. 204, ad ejusmodi renuntiationem non sufficiat « in filiis famulatui se addicentibus supponere intentionem interpretativam amplius non redeundi ad domicilium parentum ». Cfr. *Collat. Brug.*, II, p. 493 et seq.

II. Quoad **liceitatem.**

Solus parochus S^ti^ Jacobi *per se licitè* assistit dictorum sponsorum matrimonio. Juxta nostrum namque jus diœcesanum statuitur : « decentia et praxis communis exigunt ut matrimonium contrahatur coram *parocho sponsæ :* huic praxi in posterum omnes se conformabunt » (*Stat. diœces.*, ed. 2^a^, P. II, tit. II, art. 4°, § 4); *parochus* autem *sponsæ* tempore celebrationis matrimonii nemo alius est quam parochus S^ti^ Jacobi.

Porrò huic statuto non videtur derogare citatum decretum prosynodale 1899, cum omni careat clausulâ derogatoriâ, et ratione terminorum et finis expressi solum attingat *valorem* actus.

Parochi proinde S^ti^ Ægidii et S^tæ^ Annæ, utentes, positis ponendis, delegatione ab Episcopo facta, validè quidem nuptiis interessent, sed illicite, nisi *per accidens*, quatenus bona fide mutationem domicilii vel quasi-domicilii ignoraverint (quod facile in occurrenti casu continget), vel quatenus ob grave incommodum secus oboriturum, parochus S^ti^ Jacobi legitime haberetur non invitus.

Conclusio generalis: Carolus et Bertha contrahunt 1°/*validè:* a/ coram parochis S^ti^ Jacobi et S^tæ^ Walburgæ, qua propriis alterutrius sponsi parochis; b/ coram parocho S^tæ^ Annæ, qua delegato ab Episcopo, si ipse sponsam Bertham prævia instructione ad banna admiserit, nec inde ab ultimo proclamationis die nonaginta dies effluxerint; c/ coram parocho S^ti^ Ægidii, pariter qua delegato Episcopi, eadem sub conditione, modò sponsa, *ante* instructionem factam et ad proclamationes admissionem, domicilio parentum non renuntiaverit. — 2° *licitè*, *per se* coram solo parocho S^ti^ Jacobi.

A. D. S.

V

Q. *Titius vicepastor a parocho delegatus ad assistendum matrimonio Pauli et Paulæ, delegat alterum vicarium qui reipsa nuptiis benedicit. Postea Titius matrimonium invalidè contractum reputans, inscio parocho, Paulum et Paulam, quodam sub prætextu arcessitos, et nihil de nullitate suspicantes, præsentibus duobus testibus, interrogat utrum consensum conjugalem olim datum ratihabeant, quibus annuentibus dicit:* Ego vos conjungo... *eosque dimittit. — Modum agendi Titii dijudica.*

R. 1°/ Perperam egit Titius vicepastor alterum subdelegando vicarium, cum potestate subdelegandi penitus careret. Hac enim facultate non gaudet *delegatus* nisi ipsam speciatim a delegante acceperit vel delegatus existat ad universalitatem causarum. Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Jus Canon.*, I, n. 104. Porro Titius in casu committitur *ad determinatam causam*, et nulla fit mentio acceptæ facultatis subdelegandi. Unde

2°/ merito reputavit matrimonium Pauli et Paulæ invalidè celebratum, utpote non contractum coram parocho vel sacerdote a parocho vel Ordinario ad assistendum matrimonio valide commisso. Nulla enim erat commissio ipsi per Titium a parocho derivata, et in facultate quam accepit ab Episcopo sacramenta administrandi in parochia in qua munus vicepastoris obit, non includitur, saltem in diœcesibus Belgii, facultas assistendi matrimoniis in parochia utcumque celebrandis, uti confirmatur ex decr. C. S. O., 7 Septembr. 1898, collata decreto subnexa adnotatione apud *Collat. Brug.*, IV, p. 116-117.

Recte etiam cogitavit de procuranda convalidatione, quippe quæ est via *per se* sequenda in casu matrimonii nulliter contracti, etiam ubi partes sunt in bona fide, uti hic in casu.

3°/ Quod spectat *revalidationis modum*, notandum est

matrimonium de quo quæritur invalidum esse *ob defectum formæ Tridentinæ*, in qua forma nunquam aut vix unquam dispensatur per simplicem dispensationem (1). Adducendi igitur erant putati conjuges, in supposito hic obtinente quod fuerint bene dispositi (2), ad renovandum consensum coram parocho ejusve delegato et duobus testibus (3), quamvis nullitas fuerit occulta.

Nequaquam igitur improbandus est Titius in hoc quod arcessendos censuerit sponsos ad iterandum consensum *in forma Tridentina*. Atvero

4°/ ipsum erravisse contendimus *in modo* quo consensum a nupturientibus renovandum curaverit. Censemus nimirum in casu eliciendum esse novum consensum *a priori distinctum et independentem*, *prioris consensus nullitate cognita vel saltem suspecta*, nec adeo ad valorem sufficere consensus prioris olim nulliter dati *meram ratihabitionem* coram parocho et testibus, *nullitate matrimonii nequidem in suspicionem vocata*.

En argumentum quo nitimur:

Tanquam indubium habemus ad matrimonii clandestini convalidationem, citra sanationem in radice, non proficere quod fuerit utcumque ratificatum *in loco in quo non viget cap. Tametsi*, nisi partes *nullitatis matri-*

---

(1) Posset esse locus *sanationi in radice*, casu quo *alterutra* pars, *nullitatis conscia*, renuit consensum debito modo iterare. Cfr. exemplum citatum a Gasparri, *Tractatus canonicus de Matrim.*, II, n. 1137, ex rescripto S. Pœnitentiariæ 25 Aprilis 1890.

(2) Si partes timentur male dispositæ et nullitatem matrimonii ignorant, relinquendi sunt in bona fide. Si autem ambæ nullitatis sunt consciæ et simul male dispositæ ita ut nolint in matrimonium (denuo contrahendum) in forma Tridentina consentire, « nullum, præter orationem ad impetrandam eorum conversionem, suppeteret remedium, quando quidem in hisce circumstantiis Ecclesia non concedat sanationem in radice ». De Becker, *De sponsalibus et matrim.*, p. 339.

(3) Supponuntur enim sponsi remanere in loco Tridentinæ legi subjecto; si autem in alium locum tenderent habitaturi in quo non viget lex clandestinitatis, satis esset, ad valorem, ut novum ibi præstent consensum privatim inter se, absque præsentia parochi et testium.

monii fuerint consciæ; uti aperte docetur in decreto C. S. O. 31 Augusti 1887, relato apud Gasparri, l. c., n. 982; necnon in decreto C. S. O. 16 Aug. 1896, apud *Quartalschrift* (Lintz, 1899), p. 865-871. (1)

Atqui quod valet de ratihabitione *privata in loco non subjecto,* prærequiri nempe *nullitatis conscientiam*, pariter valere videtur de ratihabitione, *juxta formam Tridentinam in loco subjecto peracta,* adeo ut insufficiens sit habenda dicta ratihabitio, casu quo partes plane ignorant matrimonii nullitatem, non attendunt ad præsentiam testium, nec suspicantur sese, per hujusmodi ratihabitionem alieno prætextu extortam, consensum matrimonialem præstare.

Cæterum asserta doctrina conformis est cum disciplina canonica in hac materia. Ita ubi convalidandum occurrit matrimonium invalidum ob impedimentum aliud quam ob clandestinitatem, absque dispensatione per mutationem facti sublatum, renovandus est consensus matrimonialis, *præsupposita nullitatis notitia*. Lege decretum C. S. O. 8 Maii 1899, relatum apud *Collat. Brug.*, IV, p. 666, ubi agitur de matrimonio invalidè inito ob impedimentum disparitatis cultus, et post conversionem partis infidelis convalidando: ad hanc nempe convalidationem inepta declaratur consensus olim præstiti ratihabitio a nullitatem nescientibus, et ea non obstante dari potest parti novas nuptias ambienti documentum libertatis dummodò moralis adsit certi-

---

(1) Non dicimus talem renovationem consensus, nullitate cognita, requiri *ex natura rei* sed *ex positiva voluntate Ecclesiæ*. « Vult nimirum Ecclesia, ait Gasparri, op. cit., II, n. 1130, de jure communi, nisi aliud in casibus particularibus statuerit, (puta sanando in radice) ut, remoto etiam impedimento, consensus ab initio præstitus et perseverans remaneat inefficax, sed pars, habilis effecta per impedimenti remotionem, novum consensum exprimat; et tunc matrimonium valet vi hujus novi consensus ». Cfr. Feye, op. cit; n. 766 collatis nn. 762 et 763; De Becker, op. cit., p. 342-344, cum nota ad p. 340; Lehmk., *Théol. mor.*, II, n. 825; Bened. XIV, *Institutio* 80ª, n. 68 et 80; et infra dicenda circa sanationem in radice.

tudo « de asserta ignorantia sponsorum circa impedimentum disparitatis cultùs ». Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XXXI, p. 510 et seq.

Imo S. Pœnitentiaria dispensando, per simplicem dispensationem, in impedimentis quibusvis in ordine ad revalidandum matrimonium nulliter contractum, exigit ad valorem ut utraque pars renovet consensum, idque ea lege ut pars nullitatis inconscia, in quantum quovis modo possibile est, de nullitate prioris consensus certioretur.

Unde stat conclusio probanda, ad quam pauci in responsis devenerunt, renovationem consensus, qualis a Titio fuit provocata, esse habendam qua inefficacem ad revalidationem matrimonii Paulum inter et Paulam.

5°/ Ulterius autem quæri posset utrum, supposita penes sponsos nullitatis conscientia, rite observata fuerit forma Tridentina, utrum, inquam, Titius validè fuerit commissus ad assistendum matrimonio, siquidem hanc assistentiam præbuerit, *inscio parocho.*

Solutio pendet ab indole delegationis a parocho primitus impertitæ. Nimirum si facultas assistendi matrimonio, ex intentione parochi, concedatur in ordine ad conjungendos determinatos sponsos in horumque gratiam, uti ex tenore casus propositi præsumi potest, non videtur adesse seria ratio valorem infirmandi ; assistentiam enim ad quam erat commissus (primus vicepastor) nondum præstitit neque per se, uti patet, neque per alium, nempe per alterum vicarium, quippe cui propriam delegationem communicare non valebat : nullatenus ergo erat usu exhausta facultas nec adeo renovanda. Contrà si licentia, ex intentione delegantis, potius concedatur, uti sæpius continget, mere ad functionem pastoralem statuta hora vice parochi obeundam, sane non negamus licentiam, saltem ad cautelam, fore iterandam. Si tandem dubia fuerit intentio, adhuc validè nuptiis interfuisset Titius, Ecclesia, in quantum opus fuerit, supplente propter titulum coloratum cum errore communi.

6°/ Cum nullitas supponatur *occulta* optime fecit Titius ad convalidationem procedendo *secretò*, extra ecclesiam et absque ulla solemnitate, omissa quavis proclamatione, etiamsi diu præterierint denuntiationes olim factæ; providendum tantùm erat de statu gratiæ nupturientium.

A. D. S.

VI

Q. *Quænam missa celebranda est pro benedictione nuptiarum; quænam orationes et præfatio in ea dicendæ?*

R. In quæstione dicitur *pro benedictione nuptiarum;* supponimus scilicet nuptias benedici posse vel debere, et excludimus tum tempus clausum, tum casum quo mulier vidua jam alias benedicta fuerit; hoc enim in casu et tempore clauso tam benedictio, quam missa pro sponsis, imo etiam commemoratio hujus missæ prohibetur.

His prænotatis, pro benedictione nuptiarum, diebus quibus per rubricas licet, celebranda est missa votiva pro sponso et sponsa in fine Missalis specialiter assignata, cujus Introitus incipit *Deus Israël* et quæ continet solemnem matrimonii contracti benedictionem per speciales orationes dicendas post *Pater noster* et ante orationem *Placeat tibi;* diebus autem exceptis, celebranda est missa de die cum commemoratione missæ pro sponso et sponsa et insuper cum orationibus propriis in eadem missa votiva pro benedictione nuptiarum positis post *Pater noster* et ante *Placeat tibi.* (Rit. Rom. Tit. VII, cap. 2, n° 4; Missale, Rubr. præmissa prædictæ missæ votivæ et Decreta S. C. R. in specie Decr. gener. recens 30 Junii 1896. — Cfr. *Collat. Brugen.* 1896, p. 99 et 1899, p. 185).

Dies autem excepti seu quibus per rubricas non licet votivam celebrare et dicenda est missa officio conformis cum orationibus ut supra, sunt: omnes dies Dominicæ; festa de præcepto; Duplicia primæ et secundæ

classis; omnes dies Octavarum Epiphaniæ et Pentecostes ac hujus Vigilia, et dies octava SS. Corporis Christi necnon aliæ, si sunt, quæ, sicut hæc dies octava, excludunt duplicia secundæ classis. Excipiunt etiam auctores, pro ecclesiis in quibus *una* tantum missa celebratur, dies Rogationum, si fiat Processio, quia in tali casu missa Rogationum in præcepto est; item diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, si decantatur Officium Defunctorum, quia in casu missa quæ officium sequitur *de Requiem* esse debet. (1) (Ill. Vanderstappen *de Rubricis Missalis*, q. 304; Ephem. liturg. 1893, p. 540; 1896, p. 187.)

Quænam orationes et præfatio in missa dicendæ?

1° Si celebratur missa pro sponso et sponsa « cum sit votiva privata, semper celebranda est, etiam si fiat in cantu,.... cum tribus *(ad minus)* orationibus: prima scilicet ejusdem missæ votivæ propria; secunda et tertia diei occurrentis ut in Rubr. Tit. VII, n. 3 *de commemorationibus* ». (Decr. gen. 30 Junii 1896 ad VI). Rubrica autem citata ita disponit: « Quando infra Hebdomadam dicuntur missæ votivæ, post primam orationem semper dicatur oratio ejus de quo fit officium »; secunda ergo oratio dicitur ea quæ officio diei correspondet.

Quod tertiam orationem spectat, juxta decretum citatum debet, sicut secunda, esse « diei occurrentis », scilicet, ut explicant auctores, ea quæ in missa conformi officio diei secundo loco dicenda esset, nempe vel commemoratio specialis, si sit facienda, vel commemoratio communis. Ita, si in missa diei facienda est commemoratio octavæ alicujus, vel feriæ majoris v. gr. quatuor temporum, vel vigiliæ vel festi simplicis, tertia oratio erit de octava, vel feria, vel vigilia vel simplici. Imo si

(1) Juxta plures permittitur missa pro sponso et sponsa in die commemorationis Defunctorum vi decreti *in Veronen.* 7 Sept. 1850 ad 4, quod tamen in collectione authentica decretorum non reperitur.

duæ vel plures præscribuntur in officio commemorationes, eædem omnes et eodem ordine faciendæ sunt in missa votiva, ita ut in casu plures quam tres orationes dicendæ sint; ideoque diximus *ad minus* tres esse recitandas, quia sæpe plures numero præscribuntur. Si autem nulla in missa diei specialis commemoratio occurrit, ad perficiendum numerum trium orationum, sumenda est pro tertia ea ex orationibus ordinariis seu commemorationibus communibus, quæ in missa officii secundo loco poni debuisset pro varietate missæ vel temporis; ita si missa diei dicenda esset de octava, in votiva tertia oratio erit illa quæ secundo loco infra illam octavam ponitur, si de vigilia, illa quæ secundo loco in missa vigiliæ assignatur; si autem de semiduplici, de simplici, de feria vel etiam de duplici (missa enim pro sponsis in duplicibus etiam majoribus permittitur), tertia oratio recitabitur, quæ pro varietate temporis secundo loco in semiduplicibus præscribitur, nempe vel de B. M. V. *Deus qui salutis* (ab Epiphania ad Purificationem) aut *Concede* (tempore Paschali), vel oratio *A cunctis* (a Purificatione ad Quadragesimam et ab octava Pentecostes ad Adventum). (1) Si autem votiva pro

(1) Ita communiter auctores ubi tractant de orationibus in missis votivis privatis: De Herdt, I, nº 44; Schöber *de Cærem. Missæ*, app. III, cap. 4 et 7; Erker *Enchiridion*, nº 278; Pourbaix-Coppin, nº 257; A Carpo *Cæremon.*, p. II, nº 92; Ill. Vanderstappen *de Rubr. Miss.*, q. 224; Zualdi *Cæremoniale Missæ privatæ*, tit. XVI, 7; Hausherr, *Compend. Cæremon.*, Sect. II, § I, III, 2. Aliqui tamen ex eis, dum in specie agunt de missa pro sponsis, videntur admittere in ea tertio loco, nisi specialis commemoratio occurrat, semper ponendam esse, eam orationem B. M. V., vel *A cunctis* quæ in semiduplicibus, extra octavas pro varietate temporis diceretur; sed nullam indicant rationem qua fundaretur pro missa nuptiarum exceptio regulæ generali ab ipsis pro missis votivis in genere datæ. De Herdt III, 281, citat solum decretum generale 28 Februarii 1818, sed in hoc quoad orationes in missa pro sponsis dicendas nihil continetur, nisi quod habet decretum citatum 30 Junii 1896, scilicet 2 et 3 orationem debere esse « diei currentis ». Insuper notari potest in tabellis ordinis servandi pro missæ privatæ celebratione, quæ solent in calendariis liturgicis describi, easdem orationes assignari pro missa nuptiarum ac pro aliis generatim votivis, sæpius sub eadem formula « diei cur-

sponsis celebranda est in festo B. M. V., tempore quo tertia oratio *A cunctis* dicenda esset, juxta De Herdt III, nº 281 et alios, hæc oratio retinetur sed in ea omittitur mentio B. M. V., recitando : *Intercedente B. Joseph* etc. Tempore vero Paschali quo præscribtur in semiduplicibus oratio de B. M. V. *Concede*, hæc certe, ne bis fiat de eodem, dici non potest tertio loco in missa pro sponsis, cum fiat secundo loco commemoratio festi B. M. V. occurrentis. Unde in casu juxta *Ephemerides liturgicas* (1898, p. 568) dicenda esset oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa, quæ tertio loco dicenda assignatur hoc tempore, vel potius de Spiritu Sancto, quæ (nisi omittenda propter commemorationes speciales) tertio loco præscribitur in missis votivis B. M. V., et secundo vel tertio loco in missa diei infra octavas ejusdem. Hic quidem agitur de missa votiva non de B. M. V. sed pro sponsis, at juxta *Ephemerides* ratio dicendi orationem de Spiritu Sancto eadem esse videtur et sequendam credunt regulam traditam à Cesari (*Cerem. d. Mess.* lib. IV, nº 1164): Tempore quo ex lege pro tertia oratione ponenda esset oratio de S. Maria vel etiam *A cunctis*, in festis B. M. V. oratio subrogabitur de Spiritu Sancto, quemadmodum fit in votivis ejusdem B. M. V.

Diximus *ad minus* tres orationes esse dicendas in

---

rentis ». In ultimo tamen decreto citato 30 Junii 1896 (quod primo editum est in nova collectione, anno 1900), ad III, ubi tractatur « de missis votivis privatis vel ex privata causa in genere »; legitur ad 3: « Orationes dicantur diei et tempori congruentes, etiam in missa votiva de SS. Sacramento. Quod si infra octavam missa votiva dicatur, secunda oratio erit de octava, *tertia autem de tempore* ». Utrum autem S. C. R. per hæc ultima verba voluerit contra doctrinam auctorum præscribere, ut infra octavas in missis votivis, etiam in votiva pro sponsis, oratio communis tertio loco ponenda sumatur illa quæ *extra* octavas in festis semiduplicibus dicenda est pro diversitate temporis anni, nobis dubium videtur, cum in *eodem* decreto ad VI, sicuti in decreto anteriori generali 3 Martii 1818, decernat missam pro sponsis celebrandam esse cum tertia oratione *diei occurentis*, et nihil ordinet de votiva celebranda in die qua officium fit de vigilia cujus missa exigit orationem communem de B. M. V. vel de Spiritu Sancto juxta Rubr. tit. IX, 9.

missa votiva pro sponsis, plures tamen dici debere, quando duæ vel plures commemorationes factæ sunt in officio diei. Notandum autem est, etiam ex alio titulo exigi plures quam tres orationes, quando scilicet orationes votivæ late dictæ, v. gr. commemoratio SS. Sacramenti expositi vel oratio ab Ordinario imperata vel utraque addenda est; propter illas enim nulla ex præscriptis per rubricas orationibus omitti potest, ut v. g. tertio loco ponatur imperata vel oratio SS. Sacramenti, sed hæ aliis tribus vel pluribus adjungendæ sunt.

Insuper potest etiam celebrans, sicuti in reliquis votivis et in festis simplicibus, alias, post omnes supradictas, ad libitum addere orationes votivas, ita ut numerus omnium simul sit quinque vel etiam septem, sed, casu quo adduntur, curandum est ut numerus omnium sit impar, et ut collecta de SS. Sacramento vel oratio imperata, si dicendæ sunt, ponantur post commemorationes speciales vel etiam post orationem communem quæ tertio loco ponenda præscribitur, sed ante orationes votivas quas celebrans ad libitum adjungit. (Cfr. Ill. Vanderstappen, q. 248).

Quoad præfationem in missa pro sponso et sponsa, servanda est Rubrica generalis missalis Tit. XII, 4: « In missis votivis dicitur etiam Præfatio propria, si propriam habeant: si vero non habuerint, dicitur Præfatio de tempore, vel Octava infra quam contigerit hujusmodi missas celebrari: alioquin, Præfatio communis. »

Cum autem votiva in casu non habeat præfationem propriam, ideo si celebretur infra octavam præfatione propria gaudentem hæc est dicenda; si autem non occurrit octava propriam habens præfationem et celebratur votiva intra tempus anni ecclesiastici pro quo præfatio propria datur, v. gr. intra tempus Paschale necnon feria VI post Octavam Ascensionis, dicenda est hæc præfatio de tempore. Si nulla propria ex prædictis præfatio occurrit dicitur præfatio communis. « Nulla autem ratio habenda est præfationis, quæ

propria foret missæ conformis officio diei; hæc negligitur in missa votiva ». (Ill. Vanderstappen, q. 251).

2° Si celebranda est pro benedictione nuptiarum missa diei seu conformis officio, dicendæ sunt omnes orationes quas hæc missa exigit, insuper additur commemoratio missæ pro sponso et sponsa, etiam in festis duplicibus primæ classis (Decr. 20 April. 1822 et decr. gener. 30 Junii 1896 ad VI); numquam autem dicitur hæc commemoratio sub unica aut prima conclusione cum prima oratione missæ, sed semper sub altera; ponitur primo loco post cæteras commemorationes de præcepto (speciales aut communes in missa diei præscriptas), si quæ faciendæ sunt, sed ante orationes a superiore imperatas. Præfatio dicitur illa quam missa exigit, sive sit propria missæ, sive sit de octava, quæ habet propriam, sive de tempore, sive communis.

H. V. D. W.

Ordo Missæ

SEU

precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 240.)

—

80. **Fractio hostiæ.** — Dum sacerdos præcedentem orationem concludit dicens: *Per eumdem Dominum* etc., hostiam sacram frangit in tres partes. « Ritus iste ab ipsa institutione Sacramenti exordium ducit: ipse Christus enim in cœna accepit panem et benedixit ac *fregit;* quem morem Apostoli secuti sunt et Ecclesiæ tradiderunt: in Actis Apostolorum legimus quod die Dominica fideles convenerunt *ad frangendum panem* (XX, 7); quod

erant perseverantes *in communicatione fractionis panis* (II, 42); et Apostolus in I ad Corinthios, scribit: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* (X, 16). Nulla Liturgia est, in qua Hostiæ fractio non fuerit a primis temporibus præscripta » (1). Probe autem animadvertendum improprie dici quòd frangitur *hostia*, cum juxta catholicum dogma, corpus Christi totum, indivisibile et integrum sub qualibet speciei consecratæ parte subsistat, quod fracturæ non convenit. Proinde proprie loquendo non frangitur hostia seu corpus Christi, sed franguntur *species* sacramentales; aliquo tamen modo dici potest frangi hostia seu corpus Christi, np. per quamdam communicationem idiomatum, qua « actiones externæ, quæ fiunt circa species, tribuuntur rebus, quæ sub iis continentur; quemadmodum (servata debita proportione) quæ humanæ tantum naturæ proprie conveniunt, de Filio Dei propter unionem hypostaticam dicuntur. » Juveninus cit. ap. Bened. XIV l. c. cap. XX, n. 7. Huc spectant verba hymni de SS^mo^ Sacramento: *Fracto demum sacramento... nulla rei* (sc. sub specie panis contentæ) *fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur.* (2) Apposite Billot: « Sunt prædicata quæ etsi non proprie, at certe *per metonymiam* conformem usuali modo loquendi, corpori Christi recte communicantur. Cum enim illud quod competit signo sub ea ratione sub qua signum est soleat transferri in signatum, maxime si in signo realiter contineatur, bene dicitur corpus Christi frangi, cum franguntur species » (3).

81. Quærunt autem AA. de mystica significatione divisionis hostiæ in tres partes, atque diversimodè illam interpretantur; communius autem cum Sylvio, in 3^m^ P. q. LXXXIII, a. 5, intelligunt illas tres partes de

---

(1) Ill. Van der Stappen, l. c. q. 186

(2) Cfr. S. Thomas, P. 3, q. LXXVII, a. 7.

(3) De Ecclesiæ sacram, (ed. 2^a^) T. I, p. 480.

triplici statu hominum qui corpus Christi mysticum efformant; videlicet: « Prima beatos (designat); secunda existentes in purgatorio; tertia viventes in hoc sæculo. Qui per primam designantur extra calicem sunt, quoniam neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor aut passio iis qui beati sunt. — Qui per secundam, sunt quidem in pœnis purgatorii, sed tamen optamus et rogamus, ut venia per istam oblationem donati in eadem statim felicitate jungantur: unde et partem secundam primæ conjungimus. — Qui per tertiam, adhuc debent bibere calicem passionis hujus vitæ, adhuc peregrinantur et sunt in via ad merendum. Unde in calicem ipsa pars mittitur, nec aliis, qui sanctos extra peregrinationis viam existentes significant, conjungitur, sed potius commiscetur sanguini in calice existenti, quoniam debemus esse socii passionum et communicare passionibus Christi, si volumus aliquando socii esse beatitudinis ».

82. Dein sacerdos cum particula sacræ hostiæ triplex signum crucis efformans super calicem, populo ominatur pacem, dicens: *Pax Domini sit semper vobiscum*. Pax *Domini*, illa np. pax quam mundus dare non potest, sed quam Dominus attulit in terram et suo sanguine in cruce effuso firmavit et consecravit; pax *triplex*, nimirùm: pax uniuscujusque cum Deo, quæ in ejus gratia et amicitia consistit; pax cum seipso quæ in concordia appetitus cum recta ratione sita est, ut quod hæc approbat et dictat, ille sequatur et exequatur; pax cum proximo, ut nemo alteri præbeat offensionem, sed unusquisque potius christianæ charitatis officiis omnes sibi devinciat. — Vicissim populus voce ministri sacerdoti pacem exoptat, dicens: *Et cum spiritu tuo*.

83. Tunc eamdem particulam calici immittit, dicens: *Hæc commixtio*... Ipsa autem actio miscendi sacras species est plena mysterii; videlicet: « In missa usque ad hanc de qua loquimur partem, Jesu Christi passio et mors repræsentatur per consecrationem Corporis et

Sanguinis separatim factam, vi consecrationis sub speciem panis Corpore Christi et sub speciem vini Sanguine subeunte: et quamvis separatio hæc tantum mystica sit, (neque enim reipsa Corpus est sine Sanguine, nec Sanguis vicissim sine Corpore), tamen mystica hac separatione Corporis a Sanguine et Sanguinis a Corpore expresse Christi passio et mors nobis repræsentatur. Reliquum erat ut gloriosa exprimeretur Christi *resurrectio;* neque enim id concinnius fieri poterat, quam si Hostiæ particula immitteretur in calicem, atque ita Corpus iterum conjungeretur cum Sanguine, quod bene observavit Micrologus (*De eccles. Observ.* cap. 17): *Unam* (fractæ Hostiæ partem) *in calicem mittere debet* (sacerdos)... *ad designandum corporis et animæ conjunctionem in Resurrectione Christi;* et consentit Innoc. III (*op. cit.*, lib. VI, cap. 2): *Commixtio panis et vini designat unionem carnis et animæ, quæ in resurrectione Christi denuò sunt unitæ* (1). »

Equidem hæc commixtio intelligenda est de solis *speciebus* sacris; at per metonymiam seu quamdam idiomatum communicationem dicitur de ipsis Corpore et Sanguine Christi sub speciebus contentis, (cfr. *suprà* n. 80).

84. Quod verò concomitantis orationis *(Hæc commixtio... æternam)* intellectum spectat, non una est AA. sententia: alii opinantur verba, *Hæc commixtio et consecratio*, sumenda esse in concreto pro: *Hæc commixta et consecrata* (2). Sed hæc interpretatio videtur violenta et nimis remota a sensu obvio formulæ, juxta quem ipsi *actioni* commixtionis et consecrationis tribuitur effectus salutaris. — Alii cum Bellarmino (l. c. cap. XXVII, n. 6) putant unà cum commixtione quæ hic et nunc fit enuntiari *consecrationem antea factam* (3). At rursus illa

(1) Bened. XIV, l. c. n. 17.

(2) Cfr. De Herdt, *S. Liturgiæ Præxis*, T. II, n. 107. — De Castillon, *Confer. Clericales*, P. II, conf. XIX, n. 3.

(3) Lebrun, op. cit., Part. V., art. 5. — Bened. XIV, l. c. n. 19.

distinctio temporum arbitraria habetur, cùm utraque vox, *commixtio* et *consecratio*, in phraseos structura, actionem præsentem exprimere videntur (*Hæc* commixtio et *(hæc)* consecratio fiat...). Quod ipsemet Bellarminus advertisse diceres, siquidem subjungit: « Posset etiam fortasse commode responderi, agi hoc loco de nova quadam consecratione, quæ ex commixtione nunc primùm exsurgit... Porro hæc consecratio nihil est aliud nisi nova quædam significatio sacramentalis: ut enim consecrari dicitur quod acquirit sacramentalem significationem, ità etiam dicitur iterum consecrari, quod acquirit aliam significationem sacramentalem. Significatur autem per illam commixtionem resurrectio Domini, ut Amalarius et omnes alii scribunt: nam in resurrectione iterum caro Domini cum sanguine suo conjuncta fuit. Itaque in illa commixtione, nova fit consecratio, dum species illæ quæ divisæ Christi mortem repræsentabant, nunc inter se conjunctæ, resurrectionem Domini repræsentant ».

Hæc altera Bellarmini explicatio nobis præplacet; quare opinamur hoc modo istius orationis sensum reddi posse: Per hanc commixtionem Corporis et Sanguinis D. N. J. Ch., qua gloriosam Domini resurrectionem repræsentamus et profitemur, fiat ut sumptio ejusdem Corporis et Sanguinis nobis prosit in vitam æternam, quatenus scil. sicut Christus « resurgens (gr. suscitatus) ex mortuis jam non moritur » (Rom. VI, 9), ita et nos cum Christo æternùm vivamus.

***

85. Jam bis in hac Missæ parte sacerdos pacem a Domino postulavit, eamdemque semel et iterum ante communionem postulabit: quod mirâri non debemus, siquidem pax est optima et necessaria dispositio ad sacram communionem, quæ est sacramentum pacis seu signum perfectæ Deum inter et hominem reconciliationis et amicitiæ.

Cæterum, quoniam pax Dei obtineri nequit sine remissione peccatorum, quæ inimicitias ponunt nos inter et Deum, ideo sacerdos ter interpellat Christum, *Agnum Dei, qui tollit peccata mundi* (1), ut *misereatur nobis donetque nobis pacem.*

Jamverò « ad *Agnus Dei* sacerdos manus jungit et caput inclinat, ut nimirùm non tantum verbis sed etiam actione statum supplicantis exprimat... Elata voce illud recitat ad excitandum populi attentionem eumque exstimulandum ut simili oratione ac pectoris percussione Dei misericordiam imploret. Post primum *Agnus Dei*... postremis dexteræ digitis pectus percutit in signum compunctionis (2), dum bis profert *Miserere nobis,* itemque dum inquit *Dona nobis pacem*, quum cordis compunctio sit optima dispositio ad pacem obtinendam » De Carpo, *Biblioth. liturg.,* P. 1, art. 50, n. 202.

In Missis defunctorum, cùm minus sui quam animarum purgantium memor esse videtur, sacerdos non dicit *miserere nobis*, sed *dona eis requiem;* nec percutit pectus, cum petitio nihil exprimit ad quod ille ritus referatur.

86. Postquam sacerdos imploravit pacem pro se et pro adstantibus, jam idem donum pacis supplicat Domino J. Ch. ut largiatur toti Ecclesiæ sanctæ, cujus in Missa personam agit. Et quidem præmittit tanquam fiduciæ suæ fundamentum promissionem ipsius Christi, qui discessurus ex hoc mundo Apostolis suis, tunc temporis Ecclesiam repræsentantibus, pacem suam hæreditatis instar reliquit, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (Jo. XIV, 27). Dein præ humilitatis sensu rogat Dominum ut non *respiciat peccata* ipsius, quæ petitionis effectum impedire possent; sed attendat potius ad *fidem Ecclesiæ*, quam teste Propheta (Osee II,

---

(1) Cfr. suprà n. 10. — Lebrun, l. c. art. 6. — Gihr., ouvr. cit. T. II, p. 390 svv.

(2) Cfr. suprà n. 4.

20) « sibi in fide sponsavit », atque juxta Apostolum (Ephes. V, 26) « sanctificavit mundans lavacro aquæ in verbo vitæ »; quæ proinde ipsi dilectissima est. Petit autem ut Christus Ecclesiam suam dignetur *pacificare* seu ab hostilibus incursibus immunem servare, et *coadunare* seu efficere ut omnia ejus membra *unum sint* (Jo. XVII, 11) *unumque ovile sub uno pastore* (Jo. X, 16) efforment, prouti sese velle testatus est *(secundum voluntatem tuam).*

Ex dictis intelligitur pacem quæ hìc petitur Ecclesiæ *militanti* esse propriam; quare in Missis pro defunctis, ista oratio omittitur.

87. Sequuntur orationes duæ, quibus sacerdos speciatim pro seipso efflagitat gratiam quàm digne sacram commmunionem celebrandi atque divini sacrificii fructum copiose percipiendi.

Domine Jesu Christi, Fili Dei vivi. Christus, Filius Dei Patris, qui per essentiam *vita* est, omnisque vitæ fons et origo, et ipse, Patri suo natura identicus, vitæ auctor est: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* (Jo. V, 26). Jamverò Christus *per mortem suam mundum vivificavit*, mundum i. e. homines a morte peccati suscitavit ad vitam gratiæ morte sua mortem nostram destruens, seu pro debito mortis peccatis contracto justitiæ divinæ satisfaciens. (1) Idque fecit *ex voluntate Patris*, qui « sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam » (Jo. III, 16); atque *cooperante Spiritu Sancto:* etenim « per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo » (Hebr. IX, 14); nimirum, ut scribit S. Thomas in h. l.: « Causa quare Christus sanguinem suum fudit, fuit Spiritus sanctus cujus motu et instinctu, scil. charitate Dei et proximi, hoc fecit ».

Petit sacerdos vitam illam gratiæ, quæ est semen

(1) Cfr. *suprà* n. 39.

vitæ gloriosæ, et quam Christus mundo morte sua acquisivit, abunde sibi communicari; ideoque rogat ut *liberetur ab omnibus iniquitatibus suis* seu peccatis quæ ejusdem vitæ vigorem et augmentum impedire possent; *et universis malis*, putà passionibus inordinatis, periculosis tentationibus, cæterisque omnibus, quæ ad peccata inducere sunt nata; utque in posterum semper valeat Christi *inhærere mandatis* ea fideliter servando, juxtà conditionem a Christo positam: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata » (Matth. XIX, 17); atque sic a Christo, fonte vitæ, *numquam separetur*, neque in præsenti sæculo per culpam, neque in futuro per pœnam gehennæ seu æternam a Deo separationem. Hæc autem postulat *per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum*, seu per corpus et sanguinem Christi, quæ coram se habet mystice immolata Deoque oblata in victimam propitiationis et impetrationis; quæque mox sumpturus est in antidotum peccati et alimentum immortalitatis.

88. In altera oratione recogitans sese in eo esse ut *manducet Dominum* ipse *pauper*, *servus et humilis*, rei gravitate commotus humillime agnoscit indignitatem suam: *Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo.* Novit enim quod si ad solam Sacramenti excellentiam attendatur, solis radiis ipsisque angelis puriores ad illud digne percipiendum esse deberemus. Imo quamvis, juxta monitum Apostoli, probaverit semetipsum nec gravis peccati reum sese agnoverit, tamen timens ne forte super statum animæ suæ hallucinetur, petit ne dicta perceptio Corporis dominici sibi *proveniat in judicium et condemnationem*, quam terribiliter comminatur idem Apostolus (1 Cor. XI, 27, 29) scribens: « Quicumque manducaverit panem hunc vel biberit sanguinem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini; — et ille — judicium sibi manducat et bibit ». Hujusmodi igitur infortunium a se averti obsecrat sacerdos, simul petens a *pietate* seu benignitate ac misericordia Domini, ut sanctissimæ

Eucharistiæ perceptio prosit ipsi *ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam.* Etenim « illa in sacris mysteriis vis est, ut nos a criminibus puros et integros, atque a tentationum impetu incolumes servet, ac tanquam cœlesti medicamento animam præparet, ne alicujus mortiferæ perturbationis veneno facile infici ac corrumpi queat... Sed carnis etiam libidinem cohibet ac reprimit; dum enim charitatis igne animos magis accendit, concupiscentiæ ardorem restinguat necesse est » (1).

(Sequetur).

H. V. D. B.

De Jubilæo

Declarationes et controversiæ.

I. S. Pœnitentiaria benigne indulsit:

a/ die 20 Dec. 1899, ut firmæ remanerent omnes indulgentiæ concessæ visitantibus almam Domum Lauretanam.

b/ die 19 Januarii 1900, « ut indulgentiæ, facultates et indulta per Bullam Cruciatæ concessa hoc quoque anno jubilæi in suo robore remanerent. »

II. S. Pœnitentiaria die 11 Januarii 1900 declaravit: « ad moniales quoque simplicia vota professas spectare beneficia Bullæ *Æterni Pastoris*, eisque licere confessarium sibi semel eligere *ex simpliciter approbatis ad audiendas confessiones personarum sæcularium.* »

Hac declaratione dilucide confirmantur quæ scripsimus suprà, p. 183.

(1) Catechismus Rom., *De Sacram. Euchar.*, n. 46.

*
* *

Manet ut quædam antea jam tradita denuo tractemus, quum doctissimus J. V. in *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXXII, nostras opiniones accurata investigatione perlustrans, nonnullas ex professo impugnaverit.

Statim fateor me erravisse dum scripsi (p. 184) sacerdoti regulari confessiones excipienti regularium alieni ordinis sufficere approbationem sui superioris regularis. Animum citato ibidem S. Pœnitentiariæ responso nimis intentum fugerant hæc verba : « *eisdem conditionibus* », quibus exigitur approbatio ad confessiones *sæcularium* audiendas, quæ necessario est approbatio *ordinarii loci*.

De convictuum puellis in ordine ad jubilæum.

Impugnat etiam idem auctor, p. 152 sqq., sententiam quam proposuimus (suprà pp. 212 et 285), puellas nempe in convictibus degentes (pensionnaires) posse frui privilegio bullæ *Æterni Pastoris*, etiamsi per ferias Romam facile adire valeant. Rationem adjecimus quia nempe nobis « videtur privilegium monialibus, oblatis, puellis etc. concessum, ipsis indultum fuisse, non *ratione impedimenti particularis et personalis* (1) ut pro carceratis et infirmis —, sed *intuitu dignitatis et naturæ status* in quo

(1) Videtur clarissimus J. V. putare nos fere totum motivum exemptionis ponere in dignitate vitæ *religiosæ*. Sed ex proposito tunc ibidem abstinuimus ab illa voce et usi sumus verbis generalibus ; « *dignitatis et naturæ status* .. ob *incommoda* » : Nonne forte v. g. ipse sexus muliebris, junior actas, separatio a mundo pertinent ad naturam status ipsarum et sponte secum trahunt incommoda itineris quæ pro aliis hominibus non adeo existunt? Quæ si attente perpendisset scriptor, probabiliter non esset usus contra nos hoc sat miro ratiocinio : « De plus, le motif *dignitatis et naturæ status* vaut au moins aussi bien pour les religieux que pour la plupart des femmes énumérées dans les nn. I-IV ; l'auteur en convient, or il s'en faut que tous les religieux puissent profiter du privilège ; le n. V ne l'accorde qu'aux ermites, strictement empêchés ». Quum *J. V.* ponat totam vim exemptionis in *vita communi*, nonne idem ratiocinium contra ipsum retorqueri posset : « le motif de la vie de communauté vaut au moins aussi bien pour les religieux que pour la plupart des femmes énumérées... or... »?

vivunt et quem Romanus Pontifex habet ut *impedimentum universale et per se sufficiens*, ob *incommoda magna* quæ *pro illis personis* nata sunt oriri ex itinere instituendo. » Ad hæc respondet J. V.: « Nous admettons cela pourvu que l'on dise que cet empèchement est réel, non *pro singulis personaliter et de facto*, mais pour la communauté prise dans son ensemble » (p. 152, note).

Ni fallamur, nobiscum consentit auctor citatus in hoc quod non debeant *singulæ* personæ impediri, dummodo versentur in ea « conditione » quam Romanus Pontifex statuit esse « legitimam causam » impeditionis et exemptionis (1). Existente ea conditione, approbat et membris communitatum applicat regulam quam (suprà p. 213) tradidimus: « sicut lex fundata in præsumptione periculi universalis obligat etiam illos qui huic periculo in particulari non sunt obnoxii, ita exemptione concessa communitati ob præsumptionem impedimenti universalis, non privantur ea communitatis membra quæ forte dicto impedimento non detinentur » (p. 155, nota 1).

Verùm, illa « conditio » debet, juxta clarissimum J. V., tamdiu perdurare ut iter Romanum jam non sit vel physice vel moraliter vel saltem convenienter possibile infra anni sacri decursum (p. 154).

« Nous appliquons, ait p. 154, nota 1, aux personnes cloîtrées et aux captifs cette explication donnée au sujet des malades (2), parce que le privilège de toutes ces personnes a le même motif: or *ubi eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio.* »

Concedimus quoad carceratos. Sed negamus idem

---

(1) Nec aliud eruendum est ex textibus ab ipso citatis: « de thesauro recludendo... iis etiam quibus *sua conditio non sinit* ut... peregrinationem suscipiant... nisi eos septa monasterii impedirent » (suprà p. 42); « providentiam ad eos convertimus qui *legitima causa præpediuntur* quominus... visitationes exequantur, quales sunt... » (Bulla *Quoniam* § 28).

(2) v. g. « morbum... cujus causa intra Jubilæi annum, Urbem adire medici judicio, non possint » (sup. p. 44).

esse privilegii motivum pro ægrotis ac pro monialibus, oblatis et puellis: a/ infirmi enim eximuntur tantum ob impedimentum *singulos personaliter* afficiens, dum feminæ (sub nn. I-IV) eximuntur ob præsumptionem impedimenti *universalis*. b/ Præterea infirmitas non est causa exemptionis nisi *in quantum revera impedit* iter Romanum, ita statuente summo Pontifice (n. VII); pro personis autem enumeratis sub nn. I-IV, causa exemptionis est illa ipsa conditio vitæ religiosæ et communis, *in quantum de facto existit prout Pontifex eam describit in bulla*, et qua talis ut impedimentum habetur. Ergo diligenter perpendendi sunt bullæ textus, ut eluceat a quibus in specie personis et qualis degenda sit vita ut hæc sit causa legitima exemptionis.

In procemio, ait laudatus auctor (p. 152), bulla requirit ut præfatæ personæ « in monasteriis et religiosis domibus *assidue* vitam degant ».

« Evidemment, pergit in nota p. 153; ici le mot *assidue* n'a pas le sens de *continuo, sine ulla interruptione* (1), mais pourtant il en a un, et nous croyons que l'incidente citée désigne simplement les personnes qui vivent *toujours* en communauté, c'est-à-dire toute l'année, ou du moins prolongent leur vie de communauté de telle sorte qu'il ne leur reste plus le temps de faire le voyage de Rome en dehors de cette époque, alors elles ne pourraient le faire que pendant le temps où elles vivent en communauté, ce qui est censé ne pouvoir se fairê, elles sont donc empêchées. Or cela n'est pas le cas des pensionnaires dont nous parlons : elles peuvent faire le voyage pendant le temps où elles ne sont pas en communauté. Elles ne sont donc pas empêchées et ne jouissent pas du privilège. »

Ast, quæstio non est utrum prædictæ personæ *sint* impeditæ, sed utrum a Romano Pontifico, ratione conditionis suæ, ut impeditæ *habeantur*. Ad hanc autem quæstionem dirimendam, ratio habeatur oportet non unius verbi, sed complexùs textuum quorum præcipuos

(1) Alludit ad nostram notam 5, p. 212 positam.

in unum collegimus, suprà p. 286 (1). Jamvero in *novem* illis locis generatim dicitur « commorari », « degere », « vitam communem agere » sine adjecta restrictione. *Semel* tantum, non in parte dispositiva, sed in proœmio, additur « *assidue* ».

Merito igitur, ut nobis videtur, scripsimus p. 286: « ex quibus liquet vitam requiri aliquo modo communem, licet hæc conditio, inspectis varietate et laxitate verborum, non nimis stricte sit intelligenda, eo vel magis quod privilegium est latæ interpretationis ». Ceterum vox *assidue* etiam in nostra sententia sensum habet, quatenus excludit eas personas quæ tantummodo per accidens, ob causam omnino transeuntem in talibus domibus degerent. Et quis dicet dictas « *pensionnaires* », non obstantibus feriis, non degere vitam communem qualem Romanus Pontifex requirit, aut sensu exposito *assidue* hanc vitam non vivere?

Præterea, quamvis summus Pontifex non ignoret multas puellas educandas etiam in Urbe feriis gaudere, nullum ponit discrimen inter feriis gaudentes et non fruentes. Tandem, per totam bullam, et signanter nn. I-IV, puellæ educandæ adjunguntur religiosis, et enumerantur mediæ inter eas personas quæ, patente adversario, vi conditionis suæ vitæ communis ipso facto præsumuntur impeditæ, et eis in omnibus æquiparantur. Jamvero ubi lex non distinguit vel privilegium restringit, nec nos distinguere vel restringere debemus. Ergo puellæ educandæ, æque ac religiosæ feminæ, ratione vitæ communis frui possunt privilegio, etiamsi Romam adire valeant vel et de facto adeant.

Nec mirum Summum Pontificem has puellas, quoad privilegii concessionem, æquiparasse religiosis feminis, tum quia earum libertas vita communi, saltem per maximam anni partem, coarctatur, et iter Romanum

(1) Quibus addi potest ex bulla *Quoniam* § 28: « oblatæ aliæque in religiosis aut piis domibus seu conservatoriis *degentes* ».

pro ipsis semper multis incommodis obnoxium est; tum quia, spectata earum « vitæ innocentia et religionis ardore », « conjunctis earum precibus et lacrimis » « divinæ misericordiæ placandæ spem licebit multo validiorem fovere » (Bulla *Æterni Pastoris*, procœmio).

De jubilæi communione non commutanda.

Idem laudatus auctor sententiam, quam de facultate commutandi *communionem in favorem ægrotorum* exposuerat (*Nouv. Rev. Théol.*, tom. XXXII, p. 79), majori vi tuetur et contra argumenta, quibus eam summatim impugnavimus (suprà p. 210), ex-professo vindicat (*Nouv. Rev. Théol.* p. 199-202).

Conemur imprimis paucis sed accurate contrahere ejus arguendi rationem: § 53 bullæ *Inter præteritos* (1) et § 24 bullæ *Quoniam* (2), quæ excipiunt communionem a commutandi facultate, confessariis jubilæi concessa, statuunt regulam *generalem* quæ respicit omnes fideles *in conditionibus ordinariis* degentes. Exceptio afferri potest dummodo probetur. Jamvero ægroti communicandi incapaces non versantur in conditionibus ordinariis. Exceptio quidem in favorem illorum infirmorum non invenitur in bulla jubilæi, sed colligi potest ex decreto 18 Sept. 1862. Nam *Theologia Mechliniensis* et responsum S. Pœnitentiariæ 10 Maii 1886 admittunt illud decretum statuere *exceptionem* pro casu jubilæi *extraordinarii*. Atqui, juxta decretum 15 Martii 1852, regulæ Benedicti XIV applicari debent in jubilæo tum *ordinario* tum *extraordinario*. Ergo etiam in jubilæo *ordinario*, decretum anni 1862 tanquam exceptio admittendum est et proinde, vi hujus decreti, valet confessarius jubilæi commutare communionem erga præfatos infirmos.

---

(1) Cf. hunc textum suprà pp. 138 et 211.

(2) « Præter hanc autem facultatem dispensandi circa prædictas visitationes, sciant nullam aliam dispensandi cum quoquam facultatem sibi concedi. »

Ne in infinitum disceptatio protrahatur, non possumus quin ex integro quæstionem exponamus.

1/ Imprimis ex ipsis verbis decreti 18 Sept. 1862 (1) liquet facultatem eodem confessariis factam commutandi communionem et visitationem, concedi in favorem omnium infirmorum, qui « ob physicum permanens aliquod impedimentum » *non possunt adire ecclesiam* ad suscipiendam communionem, ne ideo permultis indulgentiis privarentur. (2)

Ergo modo omnino arbitrario præfatus auctor hoc decretum restringere videtur ad solos ægrotos — paucissimos sane — qui *communicare non valent.* (3)

Quodsi contendat se non decretum ipsum sed decreti

---

(1) *Urbis et Orbis* — « Est hoc in more positum, quod ab animarum pastoribus SS Eucharistiæ Sacramentum in aliquibus tantum infra annum præcipuis festivitatibus *ad fideles habitualiter infirmos, chronicos, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes solemniter deferatur,* proindeque hujusmodi fideles *tot plenariis indulgentiis*, privantur quas consequerentur, si conditionibus injunctis adimpletis ad sacram Eucharisticam mensam frequentius possent accedere. Itaque... Sanctitas Sua... clementer indulsit ut præfati Christifideles, [exceptis tamen illis qui in communitate morantur], acquirere possent omnes et singulas indulgentias plenarias jam concessas vel in posterum concedendas, quasque aliàs acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione præscripta sit Sacra Communio et visitatio alicujus ecclesiæ vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere pœnitentes confessi, ac cæteris omnibus absolutis conditionibus, si quæ injunctæ fuerint, loco S. Communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario injungenda fideliter adimpleant » (*Decreta Authentica* n. 393). — « Exceptio pro iis qui in communitate vivunt postea sublata fuit a Summo Pontifice Leone XIII, vi decreti S. Congr. Indulg. 16 Januarii 1886 » (*Raccolta* ed. 1898, p. XIV).

(2) Hinc jam apparet hanc concessionis rationem motivam pro unica vel duplici extraordinaria jubilæi communione non adeo urgere.

(3) In præcedenti fasciculo *Nouv. Rev. Th.*, p. 78, jam scripserat auctor: « les malades qui ne peuvent communier ». Sed inspectis decreti 1862 verbis luculentissimis, quæ ipse scriptor p. 79 citabat, non ausi sumus locutionem ipsius sumere sensu proprio. Nunc vero omnino liquet ipsum agere de solis ægrotis qui non valent *etiam domi* recipere S. Communionem: « *qui ne peuvent communier* » p. 199 et 202; que « l'infirmité empêche de communier » p. 200; qui « seraient dans l'impossibilité de gagner le jubilé », p. 202.

applicationem in casu ita coarctare, respondemus: *vel* decretum anni 1862 non est applicabile operibus pro jubilæo præsenti injunctis, et tunc neque illi ægroti qui sunt communionis incapaces *vi hujus decreti* eximi possunt ab onere communicandi; *vel* illud decretum est applicabile etiam in casu præsentis jubilæi, et tunc confessarius potest commutare communionem pro *omnibus* « habitualiter infirmis... *e domo egredi impotentibus* ».

2/ Quæritur igitur utrum decretum anni 1862 valeat pro confessariis jubilæi. (1)

a/ Et primo quidem, pro casu jubilæi extraordinarii, nec unquam scripsimus nec nunc censemus dictum decretum posse *semper* applicari. Sed quia non raro *solet*, ut diximus, in jubilæis extraordinariis concedi ampla commutandi potestas, ratione illius largæ concessionis *solet* confessarius posse commutare communionem in jubilæo tantum extraordinario (2). Inspiciatur ergo oportet tenor bullæ.

Ita v. g. in jubilæo extrardinario anni 1886, Leo XIII, enumeratis operibus præstandis, addit: « Regularibus... nec non aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis, *qui carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet justa caussa impediantur, quominus memorata opera vel eorum*

---

(1) Admittit auctor prohibitionem commutandi communionem esse regulam generalem, cujus exceptio positive probari debet. Addit autem hanc regulam dari pro iis qui versantur in conditionibus ordinariis. Notetur jam, quo magis aliqua regula est restricta ad conditiones minus generales, eo difficilius admitti exceptionem. Jamvero Leo XIII, præter bullam indictionis *Properante* pro omnibus universim fidelibus datam, dedit bullam *Æterni Pastoris* speciatim pro iis *qui versantur in conditionibus specialibus*, notatim pro ægrotis qui Romam adire nequeunt. Omnes autem conveniunt *generalem* prohibitionem commutandi communionem sustineri etiam erga personas privilegiatas (notatim infirmas) in bulla *Æterni Pastoris* enumeratas. Ergo in casu speciali hujus bullæ quæ ipsa negative saltem, facultatem commutandi restringit ad solas vistitationes, jam multo difficilius est admittenda exceptio quæ tenderet contra ipsam bullam.

(2) Cf. suprà p. 210.

aliqua præstent, concedimus, ut ea confessarius in alia pietatis opera commutare possit ».

Inspecta generalitate verborum, liquet nullum opus per se (1) excipi a commutatione: ergo nec communionem. (2) Si hæc autem comparentur cum concessione decreti anni 1862, fere eadem, imo forte major conceditur potestas in bulla ac in præfato decreto. Sed bulla requirit ut « justa caussa » impediantur. Dubitari autem poterat quantum impedimentum esset « justa caussa », utrum in specie physica impotentia egrediendi e domo esset causa sufficiens.

« Ad rem, ait Mocchegiani (3), anno 1886 declaratum fuit:

Pro jubilæo (*anni* 1886) valere etiam concessionem diei 18 Septembris 1862, ita ut pro ægrotis, qui domo egredi non possunt, confessarius communionem in alia pietatis opera commutare possit (S. Pœnit. 10 Maii 1886). »

Circa hoc decretum ita ratiocinatur clarissimus scriptor:

On ne dit pas que la bulle de 1886 donne ce pouvoir; on dit que, indépendamment de la bulle, on peut user *aussi* du décret de 1862 : *valere etiam*. C'est bien une exception, faite en faveur des malades, au § 53 de la bulle *Inter præteritos*, alors applicable. Nous ignorons donc pourquoi cette exception ne serait pas admise pour le jubilé ordinaire. »

Omnino negamus heic statui *exceptionem* generali regulæ de non commutanda communione, statutæ in § 53 bullæ *Inter præteritos*. Ratio est quia non datur *exceptio* ubi non adest *regula*. Atqui in jubilæo anni 1886 dicta regula non vigebat. Nam hæc regula, sicut omnes regulæ Benedictinæ, non potest applicari, si ei « adversatur bulla jubilæi ». Porro, ut vidimus supra, bulla jubilæi 1886 diserte concedebat facultatem commutandi opera quæcumque, etiam communionem.

---

(1) Confessio excipitur quia commutatio operum dari non valet, nisi in ipso actu sacramentalis confessionis.

(2) *Nouv. Rev. Theol.* XVIII, p. 72.

(3) *Collect. indulg.* n. 530.

Nihilominus tunc valuisse decretum anni 1862 nequaquam negamus. Non adeo tamen urgenda est vox *etiam*. Inde enim minime sequitur confessarium jubilæi potuisse communionem commutare vi solius decreti 1862, abstrahendo a facultate in bulla concessa. Non quidem exprimitur bullæ tenor, sed ex ipsis temporis adjunctis evidenter *supponitur*. Quum autem confessarius valeret vi ipsius bullæ jubilæi commutare communionem erga ægrotantes aliosve « qualibet justa caussa impeditos », nulla erat ratio ut suspenderetur facultas, qua confessarius generatim idem valet erga eos qui infirmitate corporis domo egredi impediuntur. Ergo non mirandum declarasse S. Pœnitentiariam *valere* vel *valere etiam* decretum 1862, quod quasi in idem concurrit cum ipsa bulla jubilæi (1).

Concesso igitur decretum 1862 hoc sensu valere etiam pro communione jubilæi anni 1886, an ideo applicari poterit *semper* in quocumque jubilæo extraordinario? Applicari non poterit, ut censemus, nisi bulla jubilæi concedat similem commutandæ communionis faculta-

---

(1) Hæc jam typis mandata erant, quum vidimus hac de re TH. ARIZZOLI, *Constitutiones Leonis XIII super jubilæo,* qui p. 12 citare videtur ipsum textum hujus dubii et responsi ad Episc. Comensem « Iste quæsivit: *an ad indulgentiam jubilæi posset applicari decretum diei 18 Sept. 1862... quo Pius IX concessit infirmis habitualiter chronicis ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentibus, ut acquirere possent omnes indulgentias, sacra Communione in alia pia opera a confessario commutata?* S. Pœnit. *annuente D. N. Leone* respondit: *affirmative.* » Ergo in *ipso textu decreti* deest famosum illud verbum ETIAM cui tantopere insistit *J. V!* Additum fuit a Mocchegiani qui suis verbis substantiam duntaxat decreti refert.

Th. Arizzoli non videtur contulisse hoc responsum cum bulla Jubilæi 1886, illudque explicat ut « gratiam specialum » quæ « non habenda est veluti norma pro omnibus Jubilæis » « Præcipue, si inspicimus in Constitutionem *Quoniam* et in Const *Æterni Pastoris*, omni super hac re dubitatione detrahimur. Nam ibi inveniuntur plures alii qui in eadem causa et sæpe graviori versentur ac *chronici infirmi*; et tamen ii sine communione Jubilæo gaudere nequeunt; *quare videtur non esse dubitandum quin et illis infirmis responsum S. Pœnitentiariæ non suffragetur.* »

tem (1) qualis concessa est etiam in jubilæis extraordinariis ann. 1879 et 1881.

b/ In jubilæo autem nostro **ordinario** *seu* **anni sancti**, non solum non conceditur hæc facultas, sed implicite denegatur in bulla *Æterni Pastoris*, et explicite in bulla *Quoniam* § 24 auctoritativo modo urgetur regula Benedictina prohibens positive quominus communio commutetur nisi pro solis pueris. Ergo in præsenti anno sancto, nullus confessarius potest communionem pro jubilæi acquisitione præscriptam commutare vi decreti anni 1862.

Sufficerent hæc nisi clarissimus scriptor pluries provocaret ad decretum diei 15 Martii 1852.

« On ne doit pas oublier le décret du 15 Mars 1852, qui déclare les règles de Benoit XIV applicables aux jubilés *ordinaires et extraordinaires*. Or en raisonnant comme nous venons de voir (?) la *Théologie de Malines* a cru, et avec raison, que le décret de 1862 déroge (au) § 55 de la bulle *Inter præteritos,* quand il s'agit du jubilé extraordinaire. Pourqui donc n'y déroge-t-il pas pendant le jubilé ordinaire? Nous nous le demandons en vain. » (p. 200-201).

Sed primò negamus suppositum: nec verum est, nec *Theologia Mechliniensis* (2) contendit decreto 1862 statui *exceptionem* pro jubilæo extraordinario.

Præterea secundò negamus consequentiam. Ita enim habet decretum S. Congr. Indulg. 15 Martii 1852:

An in jubilæo tum ordinario tum extraordinario, servandæ

---

(1) Idem sentire Mocchegiani eruitur ex hoc quod ipse ad permittendam communionis commutationem provocat ad « descriptam generalitatem verborum » bullarum ann. 1886, 1879 et 1881, et ex eo quod in textu responsi S. Pœnitentiariæ ipse inserit temporis notationem: « Pro jubilæo (*anni* 1886) valere... »

(2) *Tractatus de Indulg.* n. 12, q. 7, II nititur præsertim « generaliori formula » qua « usi sunt Pontifices in jubilæis extraordinariis », et « generalitati verborum » vi cujus concedit ut possit communio commutari pro infirmis « in aliquibus casibus », simulque animadvertit quod « aliunde decreta 18 Sept. 1862 et 16 Jan. 1886 non statuunt exceptionem pro jubilæo ». Non igitur est cur hæc verba adeo urgeat adversarius.

sunt omnes regulæ a S. P. Benedicto XIV traditæ *quibus non adversatur bulla jubilæi?*

R. Affirmative.

Jamvero in jubilæis extraordinariis ann. 1886, 1879 et 1881, ut vidimus, bulla jubilæi concedit facultatem commutandi etiam communionem: ergo adversatur regulæ § 53 const. *Inter præteritos* prohibenti communionis commutationem. E contrario in bullis jubilæi anni sancti, saltem negative, excipitur communio a facultate commutandi, et expresse urgetur (in bulla *Quoniam* § 24) regula § 53 bullæ *Inter præteritos*, quæ regula ceteroquin data fuit tantum pro jubilæo ordinario.

Ceterum, non admittimus vi decreti 15 Martii 1852, quamcumque regulam a Benedicto XIV statutam, posse indiscriminatim cuicumque jubilæo applicari (1). Ergo, dato non concesso, quod valeat applicari decretum anni 1862 in omni jubilæo extrordinario, non eo ipso applicari potest in jubilæo ordinario. (2)

Nota: Hæc argumenta, saltem æque valent ut dicamus, contra sententiam ejusdem scriptoris p. 202, confessarium in ordine ad præsens jubilæum lucrandum electum, non posse uti facultate, commutandi communionem in favorem illorum impeditorum *qui actum charitatis heroicum emiserunt,* quam tamen vi rescripti 20 Nov. 1854 (3), ab Ordinario obtinere potest.

---

(1) Decretum enim 15 Martii præstat sane interpretationis regulam maxime utilem, quæ tamen applicari nequit nisi prudenti judicio et pro subjecta materia. Benedictus XIV alia statuit pro jubilæo ordinario, alia pro extraordinario: proinde non indiscriminatim hæc applicenter. Ut unum tantum ex multis exemplis adducatur, ita scribit *Nouv. Rev. Théol.* XVIII, p. 31, cujus tunc rector, R. F. Piat, ipse proposuerat dubium anni 1852: « Benoit XIV a positivement statué que le jubilé *de l'année sainte* se gagne plusieurs fois... En ce qui concerne les jubilés *extraordinaires*, la discussion théorique reste ouverte; en pratique la question est tranchée par les déclarations de la Pénitencerie qui interviennent à chaque jubilé. » Ideo etiam Mocchegiani, commemorata Benedicti XIV prohibitione commutandi communionem, pergit n. 528: « Benedictus XIV in citatis locis loquitur *tantum* de Jubilæo *maximo* seu *ordinario* ».

(2) Nescimus utrum ullus scriptor cum clarissimo nostro adversario consentiat.

(3) J. Schneider. *Rescripta authentica,* n. 392.

Si tandem quæratur utrum aliquis ægrotans qui sit omnino incapax — quod rarissime accidet — etiam *domi* communicandi, prorsus sit removendus a jubilæi gratia, respondendum censemus: in illa extrema necessitate posset forsan confessarius recurrere ad communionis commutationem, non vi bullæ aut decreti anni 1862, sed ex benigna mentis Pontificis interpretatione, qui censendus est non velle « afflictis afflictionem addere » (1).

C. C.

Suspensio facultatum

vertente Anno Sancto

Ex S. Congregatione de Propaganda Fide.

Romæ, die 8 Januarii 1900.

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Ad omnem perplexitatem e medio tollendam circa interpretationem Apostolicæ Constitutionis « Quod Pontificum » prid. Kal. præteriti Octobris editæ super suspensione indulgentiarum et facultatum, vertente hoc anno universalis Jubilæi; curæ mihi est universos sacrorum Antistites Sacræ huic Congregationi subjectos certiores reddere:

I. Omnes facultates Episcopis aut locorum Ordinariis *pro foro externo* concessas, vertente hoc jubilari anno perdurare:

II. Facultates *pro foro interno* ab hoc S. Consilio Christiano nomini Propagando concessas, uti Summus Pontifex in audientia diei 6 vertentis Januarii **benigne indulsit,** adhiberi pariter posse decurrente Jubilæi tempore, in casu gravis incommodi.

(1) Vid. quæ scripsimus suprà p. 282 sqq. de communione in modum viatici suscepta. — Cf. THEOD. A S. SPIRITU, *De jubilæo* n. 394.

Hæc dum Amplitudini Tuæ, pro meo munere, significo, Deum precor ut Te diutissime sospitet.

M. Card. LEDOCHOWSKI, Præf.
Aloisius Veccia, *Secret.*

Adnotatio. Jam liquet ex hoc S. Cong. de Propaganda Fide rescripto, **declarationem** S. Pœnitentiariæ diei 21 Decembris 1899 (1) veram esse **moderationem** Bullæ *Quod Pontificum*, ex benigna Pontificis indulgentia factam. Cf. *Collationes*, T. V, p. 189 ss.; *Rev. théol. franç.*, T. V, p. 161 ss.

C. V. C.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — aliénation de fonds grevés de services religieux — reconstitution des capitaux dotaux.

Par arrêté royal, en date du 23 Septembre 1899 (*Moniteur*, p. 4143), la fabrique de l'église de Leysele (prov. de la Flandre Occidentale) a été autorisée à aliéner trois inscriptions au Grand-livre de la dette publique belge 3 p. c., respectivement au capital nominal de 2500 fr., de 4500 fr. et de 1000 fr., le produit de cette aliénation devant servir à payer les dépenses résultant de la construction d'une maison qui sera louée au vicaire de la paroisse.

Observations. Il résulte des pièces versées au dossier que cette aliénation a donné lieu à un échange de vues entre l'autorité diocésaine et le département de la justice, et qu'elle a été l'occasion d'une mesure très

(1) Cf. *Collationes*, T. V, p. 149 et seq.

importante que nous signalons à l'attention des administrations fabriciennes.

Les capitaux que la fabrique désirait aliéner en vue de la construction de la maison vicariale, étaient grevés de charges pieuses. C'est pourquoi l'autorité diocésaine, d'accord avec la Députation permanente, voulant éviter la confusion entre le patrimoine général de la fabrique et la dotation des fondations, et conserver à chacune de celles-ci les garanties d'existence et d'exécution que les fondateurs avaient voulu leur donner, subordonna son avis favorable à l'aliénation projetée, à la condition que les capitaux dotaux aliénés seraient intégralement reconstitués au moyen des excédants éventuels des comptes annuels de la fabrique, lesquels devraient, dès lors, être employés pour ce but, conformément à l'article 63 du décret du 30 Décembre 1809.

Le ministre de la justice ne partagea d'abord pas cet avis; il trouva qu'il n'y avait pas lieu d'exiger la capitalisation des excédants de compte en vue de la reconstitution de la dotation, attendu que celle-ci serait désormais représentée par l'immeuble acquis au moyen des capitaux aliénés.

Cependant l'Evêque fit remarquer, avec raison, que cette prétendue « représentation » est absolument insuffisante, par le motif qu'il importe de conserver à chacune des fondations pieuses la somme exacte des garanties d'existence et d'exécution, et que, dans l'espèce, la substitution d'un immeuble aux capitaux dotaux était de nature à diminuer cette somme de garanties, contrairement à la volonté des fondateurs. En effet, comme *capital*, un immeuble bâti n'est pas une valeur de repos au même titre qu'une inscription au Grand-livre de la dette publique: il est sujet à dépréciation; il suit la hausse et la baisse des propriétés foncières; il a rarement une valeur vénale, égale au coût de sa construction, surtout dans les communes rurales. Comme *rendement*, un prix de loyer est toujours pré-

caire; il peut être absorbé par les frais de réparation et d'entretien; les paiements peuvent rester en souffrance; la maison peut rester inoccupée, etc.

Il y a un autre inconvénient à substituer un immeuble à un capital, c'est la difficulté de renseigner annuellement les ressources dont disposent les fondations, et, conséquemment, la part pour laquelle celles-ci doivent valoir respectivement, chaque année, dans le prix du loyer. Cette constatation cependant est d'une grande importance au point de vue des variations de tarif et des demandes de réduction des charges qui pourraient se produire.

Le ministre se rendit à ces observations, et déclara ne pas voir d'objection à ce que le mode de procéder proposé par l'Evêque fût appliqué.

En conséquence, dans l'espèce, la fabrique de l'église de Leysele (et toute autre fabrique dans un cas analogue), est tenue de faire emploi *(aanleggen)* des excédants ou bonis éventuels que présenteront ses comptes annuels, jusqu'à reconstitution intégrale des divers capitaux grevés de charges pieuses, qui ont été aliénés en vue de la construction de l'immeuble occupé par le vicaire. Cet immeuble, qui représente actuellement la dotation des fondations, sera dégrevé, jusqu'à libération complète, à mesure de la reconstitution des capitaux dotaux primitifs.

Subsides de l'Etat pour la construction et la restauration des édifices religieux — anomalie de la jurisprudence du département de la justice.

—

A la date du 4 Juin 1898, la Députation permanente du conseil provincial de la Flandre Orientale émit le vœu de voir soumettre aux chambres un projet de loi ayant pour objet de permettre aux fabriques d'église

déchues par application de l'article 15 de la loi du 4 Mars 1870, de rentrer dans le droit commun. C'est surtout en se plaçant au point de vue de la nécessité de l'agrandissement des églises existantes et de la construction de nouvelles églises dans les paroisses dont les fabriques ont été frappées de déchéance, que la Députation permanente demanda la révision de la loi de 1870.

Par dépêche du 5 Juillet 1899, adressée au Gouverneur de la Flandre Orientale, le Ministre de la Justice, M. Begerem, répondit qu'il ne pouvait déférer au désir exprimé par la Députation permanente : d'abord, parce que « les auteurs de la loi du 4 Mars 1870 ont voulu imprimer un caractère définitif à la privation des subsides », et qu' « une loi qui viendrait supprimer un élément essentiel du mode de coercition introduit par la loi de 1870, donnerait lieu à de graves inconvénients qu'il importe d'éviter » : ensuite, parce que le but que la Députation permanente a eu en vue en demandant la révision de la loi de 1870, sera, dans nombre de cas, atteint sans qu'il faille apporter la moindre modification à cette loi. En effet, l'article 15 survisé, « contrairement à ce que paraît croire la Députation permanente, ne s'oppose pas, en toute hypothèse, à ce que malgré la déchéance encourue par les fabriques, des subsides soient alloués... sur le budget de l'Etat, pour la construction, l'agrandissement, et la restauration des églises ». En ce qui concerne **la** CONSTRUCTION, « **il résulte de l'ensemble de la législation sur la matière que l'obligation de fournir l'église incombe à la** COMMUNE. **Cette obligation est** PRINCIPALE; **elle n'est pas subordonnée à la condition que la fabrique n'ait pas les ressources nécessaires à l'effet de pourvoir à la dépense....** Il en est de même lorsqu'il s'agit de L'AGRANDISSEMENT d'une église existante devenue insuffisante ». (1)

---

(1) Cfr. Collationes, T. V, p. 265 ss.

A la séance de la Chambre des représentants du 27 Mars 1900, au cours de la discussion et du vote des articles du budget de la justice, le député M. Hoyois posa les questions suivantes : « Lorsqu'une fabrique d'église ne peut faire effectuer à ses frais, à cause de manque de ressources, un travail concernant un édifice du culte, est-il exact que le département de la justice se refuse à l'octroi de tout subside, si minime qu'il soit, quand la situation financière de la commune n'apparaît pas comme certainement mauvaise?.... Cette jurisprudence existe-t-elle réellement? Dans l'affirmative, qu'est-ce qui la justifie? »

Le gouvernement, par l'organe du ministre de la justice, M. Van den Heuvel, répondit que telle était réellement la jurisprudence constante de son département. « **La raison s'en trouve dans les lois qui nous régissent. Ces lois déclarent que les frais relatifs à la** CONSTRUCTION **et à la restauration des édifices religieux incombent en principe aux fabriques d'église et** SUBSIDIAIREMENT **aux** COMMUNES, **lorsque les fabriques ne sont pas en mesure de faire face à ces dépences.** C'est donc sur ces deux institutions que retombe, en vertu de la législation, la charge de pourvoir à la restauration et à la construction des églises. Si l'Etat intervient parfois, c'est en second ordre et pour suppléer à l'insuffisance des ressources des fabriques et des communes ».

Observation. La jurisprudence du département de la justice, relativement à la question de savoir à qui, de la fabrique ou de la commune, incombe en principe l'obligation de construire, de reconstruire ou d'agrandir l'église, dépend donc des cas ou des Ministres. Nous jugeons tout commentaire superflu et inopportun.

C. V. C.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Demonstra Ezechielem XLVI, 17 : « Si autem dederit (princeps) legatum de hereditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad *annum remissionis*, et revertetur ad principem » non respicere *annum sabbaticum* de quo Exod. XXIII, 10, 11 ; Levit. XXV, 3-7 ; neque *annum liberationis* de quo Exod. XXI, 2 ; Deut. XV, 12 ; Jerem. XXXIV, 14-16, sed *annum Jubilæi* de quo Levit. XXV, 10.

II

Quæritur utrum et quare 1/ *humanitati* Christi exhiberi possit honor *latriæ ;* 2/ *divinæ* autem *personæ* Christi honor *duliæ*.

III

Expone quid, *ex potestate quasi-ordinaria*, valeant Episcopi circa impedimenta dirimentia in ordine ad convalidandum matrimonium *contractum*.

IV

Expone quid, *ex eadem potestate quasi-ordinaria*, valeant Episcopi circa impedimenta dirimentia in ordine ad matrimonium *contrahendum*.

V

Titius viduus matrimonium intendit inire cum Bertha consobrina germana uxoris defunctæ, suamque mentem

altero ante nuptias mense aperit parocho qui ex confessione novit Titium copulam habuisse carnalem cum sorore dictæ sponsæ Berthæ.

Indica quomodo procedat oportet parochus in procuranda dispensatione.

VI

Quænam omittenda, quænam specialiter observanda in administratione Extremæ Unctionis, quando hoc Sacramentum immediate post viaticum ab eodem sacerdote confertur?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. Explana Jac. II, 10: *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

R. *Quicumque autem*, gr. γὰρ, enim. Nam adducit S. Jacobus hanc sententiam ad probationem ejus quod proximè dixit v. 9: *redarguti à lege quasi transgressores* legis, ac si dicat: Ne miremini me eos qui personas accipiunt, simpliciter vocare transgressores legis: *Quicumque enim totam legem*, seu omnia legis præcepta, *servaverit*, uno excepto (*offendat autem in uno* legis præcepto), *factus est omnium* præceptorum *reus*, adeoque simpliciter transgressor legis (vv. 9, 11), quatenus nimirum omnia legis præcepta unam constituunt legem unitatemque mutuantur ab unius ejusdemque legislatoris voluntate et auctoritate. Expositionem hanc omninò expostulare videtur contexta oratio (v. 11). Assertionem enim suam demonstrat Apostolus ab identitate legislatoris, ac pro iisdem, aut certè pro reciprocè se consequentibus habet *esse transgressorem legis* et *esse reum omnium*. Sic namque pergit: *Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit et: Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

Nota. 1. Ex hoc versiculo minimè sequitur dogma Stoicorum, omnia nempe peccata esse *paria* aut ita *connexa* ut qui unum legis præceptum transgreditur, etiam aliorum omnium et singulorum sit transgressor. Quamvis enim offendens in uno dicatur omnium reus, non tamen dicitur *æqualiter* reus ac si in alio aut in

pluribus offendisset. Insuper apertè significat Apostolus totam legem servari posse, uno excepto, sic nimirum ut adversus reliqua non peccetur (v. 10), utque nominatim occidat quis, non autem mœchetur (v. 11).

2. Neque locus hic suffragatur hæreticis, discrimen peccatorum mortalium et venialium tollentibus. Non enim de omnibus hìc agitur peccatis, sed tantum de gravi legis transgressione, uti ex allatis statim exemplis (homicidii et mœchiæ) constat; acceptionem autem personarum, quam hoc loco insectatur Apostolus, ad grave peccatum facile pertingere posse, apud theologos in confesso est.

3. Germanum hujusce loci sensum non assequuntur qui volunt eum qui offendit in uno, factum esse omnium reum, quia omnia peccata dimissa quodammodo per ingratitudinem redeunt et imputantur; aut quia eamdem pœnam damni incurrit, sc. privationem gratiæ, charitatis, virtutum moralium infusarum, meritorum, ac ipsius cœli, perindè ac si omnia legis præcepta violasset. Namque voces *uno* et *omnium* ad unum genus referendæ sunt, scilicet præcepti, hoc modo: Qui offendit in uno præcepto, factus est omnium præceptorum reus.

4. Ab interpretatione nostra prope absunt qui cum S. Augustino (Epist. 29) volunt eum qui offendit in uno, factum esse omnium reum, *quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet.* Observandum tamen est rationem à S. Jacobo allegatam non ex eo repeti quòd omnia legis præcepta ab una pendeant Dei legislatoris charitate, sed quòd ab unà eàdemque pendeant Dei legislatoris voluntate et imperio. Cæteroquin hæc duo ita sunt inter se connexa, ut qui graviter facit contra Dei voluntatem, graviter etiam peccet contra Dei charitatem, adeoque avertatur simpliciter à Deo ejusque lege universa. Meritò S. Thomas I, II, q. LXXIII, art. I. « Ad primum ergo dicendum quod Jacobus loquitur de peccato, non ex parte conversionis, secundùm quod

peccata distinguuntur, sed... *ex parte aversionis*, in quantum scilicet homo peccando recedit à legis mandato. Omnia autem legis mandata sunt ab uno et eodem, ut ipse ibidem dicit; et ideò idem Deus contemnitur in omni peccato; et ex hac parte dicit quòd *qui offendit in uno, factus est omnium reus*, quia scilicet uno peccato peccando, incurrit pœnæ reatum ex hoc quòd contemnit Deum, ex cujus contemptu provenit omnium peccatorum reatus. »

5. Recte nonnulli Interpretes (Estius, a Lapide) monent dictionem *omnium* exponendam esse collective seu copulatim, non autem distributive seu copulative, ut sit enallage totius universalis pro toto integro, nimirum *omnium*, id est *totius legis*, q. d. violat omnem, id est totam legem, violat integritatem legis, adeoque simpliciter et absolute est transgressor legis. Hanc tamen unitatem qua omnia legis præcepta unam integrant totalem legem non repetit Apostolus ab eorum intrinseca connexione aut dependentia mutuâ, sed ab eorum communi origine et auctoritate divina, nimirum ex eo quod omnia præcepta sancita sint ab eodem legislatore Deo, cujus proinde auctoritas contemnitur et offenditur, si vel unum transgrediaris, perinde ac si omnia transgredereris: « In legislatore ergo uno, ait à Lapide, leges omnes coeunt, suamque habent unitatem, ut si unam violes, omnes violare censearis, eo quod legis integritatem violes... Nota illo tempore fuisse errorem et hæresim Pharisæorum, qui censebant unum aut alterum legis præceptum transgredi non esse grave peccatum, quo Deus offenderetur, nisi quis omnia præcepta aut potiorem eorum partem transgrederetur: à potiori enim parte quam servat, censendum esse justum potius, quam ab una violata injustum... Contra hos asserit eum qui in uno offendit, fieri omnium reum, Deique offensam et iram incurrere, utpote qui tam unum quam alterum præceperit: qui enim universam legem condidit, singula quoque ejus præcepta condi-

dit. » Docet igitur Judæos fideles vel unius præcepti transgressionem satis esse ad amittendam justitiam, et incurrendam pœnam, seu maledictionem legis, ut hoc ipsum hic velit S. Jacobus, quod post Moysen (Deut. XXVII, 26) S. Paulus Gal. III, 10 : *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro legis ut faciat ea.*

G. V. D. P.

II

Q. *Demonstra Christum peccare non potuisse.*

R. Ad propositam quæstionem solvendam nihil aliud est ostendendum quam prorsus repugnare ut Christus committat peccatum. Quod sic constat :

1. Si Christus peccasset, Deus peccasset. Atqui hoc ultimum prorsus repugnat. Ergo repugnat prorsus ut Christus peccet.

Major declaratur : In Christo unica est persona ; persona nempe divina subsistens in humana etiam natura. Jamvero actiones *sunt* suppositorum : supposito non mere attribuuntur actiones per extrinsecam denominationem, sed ipsum suppositum est principium *quod* agit : ergo in Christo *principium quod* omnium operationum est Verbum.

Unde si Christus secundum humanam naturam peccaret, « natura humana non esset is qui peccaret, sed tantum esset id *quo* tamquam operationum principio peccaret divina hypostasis, formaliter ut homo est. » Franzelin, *de Verbo Incarnato*, Thes. XLIII, I, 1°. Ergo si Christus peccasset, Deus peccasset.

Minor patet : peccatum enim est voluntaria aversio a fine ultimo : quum autem Deus sit Ipse finis simpliciter ultimus, ac necessario semetipsum infinito amet amore, quumque nequeat Ipse se a semetipso avertere, patet Deum peccare nequaquam posse.

2. Ut clarius appareat quomodo ipse Deus a rectitudine morali deficeret si Christus peccaret, considerandum est qua ratione ad ipsam divinitatem pertineat regimen humanæ Christi naturæ. Hoc breviter indicatur a S. Thoma scribente: « Secundum autem quod (Christus) fuit Deus, et anima ejus et corpus ejus fuerunt quasi organum Deitatis, secundum quod, ut dicit Damascenus (lib. 3 de Fide, cap. 18), Deitas regebat animam, et anima corpus; unde non poterat peccatum attingere ad ejus animam sicut nec Deus potest peccare. » In III D. XII, Q. II, a. 1.

Idem argumentum optime evolvitur a Franzelin: « Propterea quod natura humana est natura Verbi ita, ut Verbum per eam sit homo, imo hypostasis in duabus naturis; actus quidem Verbi functionibus humanitatis exerciti et nunc adhuc sunt et in vita mortali erant vere humani, directio tamen horum actuum spectabat ad Verbum secundum divinam suam naturam. Ubi enim operator seu principium *quod* agit, seu hypostasis subjectum omnium attributionum, realiter et ontologice unum est, plura vero in eo sunt distincta et diversa principia *quibus* agit; inter hæc est subordinatio inferiorum ad supremum principium, ita ut in moralibus operator per principium supremum teneatur dirigere et ad normam rectitudinis ordinare principia agendi inferiora. Sic homo ratione et voluntate superiore tenetur, quantum potest, dirigere ad normam rectitudinis imaginationem et appetitus inferiores, quod si negligat, vitium est hominis non solum secundum facultates inferiores, sed etiam secundum facultates superiores spectati. Jam vero in Christo, hypostasi ontologice una, supremum principium dirigens est Verbum secundum divinam naturam spectatum, natura autem humana est principium agendi inferius et subordinatum: ideoque si verbum aliquando suam humanam voluntatem non ordinaret et dirigeret ad normam recti, defectus redundaret in Verbum secundum ipsam divinam naturam

spectatum. » (*De Verbo Incarnato*, Thes. XLIII, I, 2°). Ergo si Christus peccaret, Deus peccaret.

Nota. Varia loca S. Scripturæ docent quidem Christum nunquam commisisse peccatum, non tamen valent ad demonstrandam absolutam impossibilitatem peccati in Christo.

J. V. D. M.

III

Q. *Inter dispensationes matrimoniales aliæ dicuntur valere* pro foro externo, *aliæ autem* pro foro interno: *utriusque termini sensum expone.*

R. A/ Dispensationes matrimoniales quæ conceduntur **pro foro interno**, valent pro foro *interno tantùm*, id est efficiunt quidem ut impedimentum (quod supponitur dirimens) jam non sit attendendum *coram Deo et conscientia*, adeoque matrimonium legitimè iniri possit in conscientia, et initum haberi queat ratum et firmum; sed minime auferunt impedimentum nec matrimonium reddunt legitimum *coram publica et externa administratione Ecclesiæ*, adeo ut, si in publicam notitiam venerit dictum impedimentum hoc modo dispensatum, nuptiæ contractæ sint habendæ *a iudice ecclesiastico* tanquam nullius valoris, conjuges sint tractandi ceu concubinarii, et, si aliter scandalum vitari nequeat, separandi, donec dispensatio fuerit obtenta pro foro externo. (1)

B/ Dispensationes quæ indulgentur **pro foro externo**, seu foro Ecclesiæ, seu foro fori, uti aiunt,

---

(1) Sapienter, post Benedictum XIV, *Instit. Eccles.* 87, n. 51, monet Feye, *De Imped. Matrim.*, n. 639, sub 1°: « quodsi impedimentum nondum sit publicum, Episcopus tamen ejus notitiam in foro externo acquirat, a separatione quidem injungenda et actione contra matrimonium instituenda abstinere debet, si in foro conscientiæ dispensatum fuisse noverit testimonio secreto legitimo, ex. gr. confessarii qui cum pœnitentis venia illud Episcopo communicaverit ». Cfr. Putzer, *Comment. in Facult. Apostol.*, n. 19.

valent a/ *directe pro foro externo*, nimirum ita vim suam exerunt ut *coram publico regimine Ecclesiæ* impedimentum censeatur ablatum et ad legitimas nuptias possit convolari; insuper b/ *per se* vim habent *in foro conscientiæ,* ita ut dispensationem consecutus pro foro externo valeat coram Deo et tribunali pœnitentiæ matrimonium contrahere, nisi forsan perspectum habeat forum externum falsa niti præsumptione, ita ut erogata gratia evaserit nulla.

NOTA 1°/ Dispensationes *pro foro externo* sunt petendæ et executioni mandandæ tali modo quo de earumdem adeptione et concessione coram Superiore rite possit constare, expositis nempe, in supplica et executionis actu, nomine et loco habitationis supplicantium, et servato cæterum, ubi præscribitur, stylo curiæ convenienti, de quo cfr. Theol. Mechl., *De Matrimonio*, nn. 99 et 100.

Dispensationes autem *pro foro interno*, sive pœnitentiali sive extra-pœnitentiali, impetrantur et conceduntur fictis nominibus et secretò, attentis clausulis, si quæ sint, observandis, de quibus cfr. Theol. Mechl., l. c.

2°/ *Facultates* dispensandi pro eo foro sunt *adhibendæ* pro quo fuerunt concessæ, quatenus nempe facultas dispensandi pro foro externo non possit adhiberi pro foro conscientiæ, et vicissim; adeo ut impedimentum matrimonii, in ordine ad quod solvendum Episcopus v. gr. habet facultatem pro foro externo, non possit ab ipso dispensatione tolli, etiamsi prorsus ignotum sit, nisi *juxta formam et stylum curiæ* præscriptum pro foro externo, et vice-versa.

A. D. S.

IV

Q. *Expone in quo consistat* sanatio in radice *matrimonii invalide contracti, et indica quomodo distinguatur a convalidatione per* simplicem dispensationem.

R. I/ Per **Sanationem in radice** Ecclesia non qui-

dem matrimonium nulliter contractum reddit validum a prima origine, sed aufert impedimentum juris ecclesiastici ex quo fuit irritum, ablatis simul effectibus qui invalidum matrimonium ex positiva voluntate Ecclesiæ consequuntur, ita ut matrimonium a momento concessæ et fulminatæ dispensationis illicò convalescat vi consensus virtualiter perseverantis et absque necessitate renovandi consensum, ac insuper proles ipso facto nuntietur legitima ab initio, perinde ac si matrimonium fuisset semper validum. (1)

Explicatur.

Profectò quando matrimonium, obstante impedimento dirimente, invalidè est initum, jam a nulla potestate potest effici « ut matrimonium nulliter contractum non ita contractum fuerit » (Bened. XIV, l. c.); nec hac ratione intelligendam volumus sanationem in radice, quasi penitus et radicitus sanet matrimonium, adeo ut ipsum reddiderit a primo momento legitimum. Quod enim factum est infectum fieri nequit, adeoque semper manebit verum matrimonium olim illegitime fuisse initum.

In Ecclesiæ vero potestate est positum ut impedimentum auferat juris ecclesiastici, ac proinde habiles reddat hucusque nulliter junctos ut ex nunc legitimam perficiant unionem.

Pariter valet Ecclesia e medio tollere effectus qui *ex positiva voluntate Ecclesiæ* ad matrimonium inaniter contractum consequuntur : quorum *primus* est in hoc quod, cessante impedimento sive per mutationem facti impedimentum inducentis sive per simplicem dispensationem, ad matrimonium convalidandum necessaria sit renovatio consensus independentis a priori consensu

(1) Cfr. Bened. XIV, *De Synodo diœc.*, l. XIII, c. XXI, n. 7, docens Rom. Pont. matrimonium in radice sanare « effectus illos de medio tollendo, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi matrimonii actu producti fuerunt. »

olim invalidè dato, uti exponitur supra, hoc tomo, pp. 312-313. Quod hoc ultimum *ab Ecclesiæ dispositione* pendeat, liquet ex eo quod *ex natura rei*, remoto impedimento, sufficiat consensus virtualiter perseverans ut illicò matrimonium convalescat, cum ipsi nihil desit ad contractum matrimonialem perficiendum; unde necessitas iterandi consensum ex sola repetenda est voluntate Ecclesiæ nolentis hunc perseverantem consensum agnoscere tanquam consensum maritalem legitimum.

Alter autem *effectus* consistit in hoc quod Ecclesia proles ex invalido matrimonio natas habeat tanquam illegitimas eisque deneget nonnulla jura quæ legitimis competunt.

Jamvero *Sanationi in radice* proprium est ut 1°/ non tantum removeat ipsum impedimentum, sed ut etiam 2°/ duplicem præfatum effectum penitus eradicet. Unde *ratione* 1ⁱ, reddit partes habiles ad legitimas nuptias ex nunc contrahendas,

ratione 2ⁱ, efficit a/ ut ipse virtualiter perseverans consensus, de se et natura sua efficax, evadat in legitimum contractum, sublata necessitate ex jure ecclesiastico oriunda novum et independentem consensum eliciendi. (1)

b/ ut ipso facto proles nata sit habenda coram Ecclesia ceu legitima non tantum quoad futurum sed et quoad præteritum, ipsique a nativitate jura sint agnoscenda solis legitimis propria (2). « Itaque, uti docet

(1) Nonnunquam tamen præscribitur tanquam conditio in dispensationis executione observanda, ut ab una vel ab utraque parte consensus renovatio exigatur. Cfr. Gasparri, *De matrimonio*, II, n. 1153; De Becker, *De sponsalibus et matrimonio*, p. 348.

(2) « Quod vero ad prolis legitimationem attinet, ut Pontifex legem ecclesiasticam aliam potest abrogare quoad effectus jam productos ejus potestati omnino subjectos, adeo ut hi prorsus non considerentur, sed deleantur ac si nunquam lex extitisset; ita potest eodem modo abrogare seu tollere illegitimationis effectus, et velle ut proles legitimitatis juribus gaudeat ab initio matrimonii ». Feye, *De Imped. matrim.*, ed. 4ª, n. 768. Non efficitur ut proles revera fuerit legitime orta, sed ut qua talis sit habenda ab initio cum omnibus juribus legitimitati adnexis, uti ipsum matrimonium est habendum qua validum ab initio.

Theol. Mechl., *De Matrimonio*, n. 102, si antea forte collatum fuerit filio beneficium quo soli legitimi possint, beneficium jam valide possidebit sine nova collatione, et fructus etiam antea et ab ipso momento collationis perceptos, faciet suos ».

Quibus ex dictis liquet nequaquam sanari ipsum consensum a momento quo fuit primitus datus seu uti dicitur *ex tunc*, sed convalidari tantum *ex nunc*, seu ipso momento indultæ dispensationis, consensum virtualiter perseverantem. (1) Dicitur autem sanatio *in radice* seu in consensu olim dato, quatenus e medio tolluntur effectus ex consensu invalido secuti, *perinde ac si ab initio legitime fuisset elicitus*, et simul declaratur dictum matrimonium ab omnibus esse *juridicè habendum tanquam* legitimum matrimonium ab initio. Cfr. Palmieri *De matrimonio* p. 299-300.

II/ *Convalidatio* **per simplicem dispensationem** partim convenit cum sanatione in radice, partim ab ea discrepat.

Partim *convenit*, quatenus in utroque actu Ecclesiæ aufertur impedimentum et partes capaces evadunt ex nunc matrimonium perficiendi. Partim *discrepat* quatenus, secus ac pro sanatione in radice, per simplicem dispensationem *non tolluntur effectus* ex matrimonio invalido relicti quoad necessitatem novi consensus et illegitimitatem prolis. Nimirum

a/ non convalidatur matrimonium vi perseverantis

---

(1) Nimirum consensus ille est *virtualiter perseverans*, ex quo, cessante impedimento et sublata novi consensus necessitate, perficitur matrimonium. Cfr. Lehmk., *Theol. Moralis*, II, n. 828, in nota. Unde attentis expositis principiis sanatio in radice *proprie dicta*, qua matrimonium reipsa revalidatur est impossibilis si consensus jam non perseverat, aut si, momento concessæ dispensationis, subintravit impedimentum juris naturæ vel divini perseverantem consensum insanabiliter irritans. Cfr. decretum C. S. O., 8 Martii 1900, *infrà* p. 385; et apud *Il monitore ecclesiastico*, 1900, p. 1-2, cum adnotatione ibidem subnexa; item cfr. adnotationem ad finem præsentis responsi appositam. Cfr. in contrarium sensum Perrone, *De matrimonio*, l. II, sect. 1ª, cap. IV, art. III.

consensus olim dati, sed *ex novo accedente consensu* ab utraque parte nullitatis conscia eliciendo, quamvis in casu difficili, quatenus certioratio partis inconsciæ absque gravi periculo fieri nequeat, sufficiat, id indulgente S. Congregatione, iterare consensum juxta regulas a probatis auctoribus propositas.

b/ non legitimantur proles *ipso facto*, sed per subsequens matrimonium tantùm vel per rescriptum Pontificis, idque quoad futurum dumtaxat.

Adnotatio. In hisce quæ præcedunt brevis exhibetur notio sanationis in radice *stricte dictæ* et in sua ratione *perfectæ*. Porro nonnunquam mentio fit sanationis *minus presse sumptæ*, nempe occurrunt exempla matrimonii in radice sanati, cujus effectus, quoad legitimationem prolis, non retrotrahitur ad ipsam originem, quia v. gr. illo momento oberat impedimentum indispensabile, puta ligaminis, sed usque ad tempus disparitionis tantùm dicti impedimenti per mortem legitimi conjugis. (1)

Imo interdum dicitur in radice sanari matrimonium, jam morte alterutrius vel et utriusque partis solutum, quo casu, attentis expositis principiis, prorsus deest vera sanatio matrimonii, et totus actus Pontificius reducitur ad plenissimam legitimationem prolis, cui nempe agnoscuntur jura legitimationis inde a nativitate. (2) Cfr. Feye, op. cit., n. 769.

A. D. S.

---

(1) Ita apud Gasparri, op. cit., n. 1137 adducitur casus recens mulieris catholicæ quæ, post matrimonium vivente marito civiliter contractum, anno 1890 obtinuit, post hujus mariti mortem, sanationem in radice, denegata legitimatione prolis in adulterio conceptæ. Cfr. Gasparri, l. c., n. 1154; De Becker, l. c., p. 348; Putzer, *Comment. in facult. apost.*, n. 224; *Nouv. Rev. théol.*, XXVII, p. 218 et seq.

(2) De hujusmodi sanatione, quæ potius sit prolis legitimatio plenior, intelligit Gasparri, l. c., n. 1151 exemplum allatum a Feye, op. cit., n. 771, ubi narat a Pio IX in radice sanatum matrimonium, cui invalide celebrato matrimonio ob impedimentum juris ecclesiastici supervenerat impotentia perpetua. Ipsum enim matrimonium non potest reipsa revalidari, juxta dicta in nota (1) p. 356, etsi possit declarari illud, propter dispensationem susceptam et acceptatam, per fictionem juris, esse *habendum et tractandum tanquam* legitimum et legitime peractum ab initio.

V

Q. *Tempore missionis, Titia uxor, confessionem generalem instituens, inter alia peccata confitetur se ante matrimonium carnaliter fuisse cognitam a fratre mariti sui, seque illud crimen, etiam comparti ignotum, nunquam sive intra sive extra confessionem cuiquam revelasse.*

In hypothesi quod pœnitens sit nullitatis matrimonii conscia, quæritur 1/ *an et quare procuranda sit a confessario convalidatio dicti matrimonii,* 2/ *an et quare ope sanationis in radice, an vero ope simplicis dispensationis?*

R. ad I/: *Generatim* in casu procuranda est *convalidatio*, in qua reperietur ordinarium remedium matrimonii invalidè contracti. Non potest nempe pœnitens Titia relinqui in bona fide, cum supponatur nullitatis conscia; nec est cogitandum de habitatione ad modum fratris et sororis, quod rarissime expedit, præsertim cum ad hoc altera pars esset monenda, quod in casu fieri nequit. Cum autem impedimentum hocce matrimonium irritans, illicitæ nempe affinitatis, sit dispensabile, ad declarationem nullitatis et juridicam dissolutionem non est recurrendum, nisi forsitan in omnimoda discordia et continuis in dissidiis vixerint putati conjuges, nec proles ex matrimonio illegitimo sint natæ; eo vel magis quod matrimonii juridica dissolutio infamiæ verteretur mulieri pœnitenti. Præter hæc autem remedia sola superest convalidatio.

ad II/: *Per se et abstracte loquendo*, aptum esset remedium *in sanatione in radice,* cum ad hanc non sit opus, juxta dicta in responso ad IV^m^ Qu., renovatione consensus nec adeo certioratione compartis, quæ certioratio, in occurrentia, salva fama Titiæ, fieri non potest; contrà ut matrimonium convalidetur per simplicem dispensationem, iterandus est consensus et per se monenda est compars de nullitate consensus olim eliciti. Cfr. supra, hoc tomo, pp. 311-313.

Atvero, in casu proposito et *re in concreto attenta*, *ordinarie* revalidandum erit matrimonium de quo quæritur ope potius *simplicis dispensationis*.

Ratio est quia ad sanationem in radice nihil valet Episcopus secluso speciali indulto (1), quo carent Episcopi Belgii; adeoque esset adeunda S. Pœnitentiaria, pro adeptione dictæ dispensationis, quæ regulariter loquendo, non ante tres circiter hebdomadas est expectanda. Jamvero Titia pœnitens, utpote nullitatis conscia, est monenda ut interea abstineat ab omni usu matrimonii, quam diuturnam continentiam plerumque periculosissimum erit imponere, inspecta fragilitate ipsius pœnitentis et potissimum ratione habita impossibilitatis monendi compartem absque infamiæ discrimine.

Simplex vero dispensatio brevi tempore, imo vel ipsa die, si tempus urget, potest obtineri ab Episcopo, qui in *pagella S. Pœnitentiariæ*, ad quinquennium, facultatem, habet pro foro interno sub n. XI « dispensandi super *occulto* impedimento primi, necnon primi et secundi ac secundi tantùm gradus affinitatis ex *illicita* carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam *contracto*... ».

Renovationem autem quod spectat consensus et certiorationem compartis, in matrimonii convalidatione per simplicem dispensationem de se requisitam, in dies moderata est, uti jam monuimus, disciplina S. Pœnitentiariæ, benigne indulgentis ut, in casibus difficilibus, « quatenus hæc certioratio absque gravi periculo fieri nequeat », renovetur consensus meliori quo potest modo, juxta regulas a probatis auctoribus traditas, quas regulas videsis apud Theol. Mechl., *De Matrimonio*, n. 94.

Dicitur *ordinarie*, quia, si, exceptionaliter propter peculiares circumstantias contingit prorsus deficere

---

(1) Cfr. Gasparri, op. cit., n. 1158; Feye, op. cit., n. 767 in fine; De Becker, op. cit., p. 344.

periculum in mora, nihil impedit remedio uti de se aptiori sanationis in radice; puta si maritus Titiæ prævidetur fore absens vel ægrotus per tempus necessarium ad gratiæ consecutionem.

Monitum. Circumstantia *missionis* non est inserta in tenore casus propositi nisi quia non raro missionis favore hujusmodi Confessiones instituuntur. Difficultates autem peculiares quæ exinde possent oriri, pro confessario extraneo, ad tractandas res matrimoniales, opportunius alibi expendentur.

A. D. S.

VI

Q. *Titius, lectione pravorum librorum etiam hæreticorum, tam in fide quam in moribus ruinam passus est. Plura fidei catholicæ dogmata pertinaciter negavit; rem præterea habuit cum Bertha, cui, quum conceperit, pharmacum abortivum ministravit; quam ob causam a fratre Berthæ ad duellum provocatus, pugnam iniit, et in conflictu fuit vulneratus. Currente Anno Sancto, Caio vicepastori illum invisenti mentem pandit ad meliorem frugem redeundi, ipsique delicta confitetur, et absolutionem petit a censuris quas incurrit. Age partes Caii.*

Prænotanda. a/ In proposito casu quæritur unice de absolutione a *censuris*. Porro, obstrictus pluribus censuris, v. g. excommunicationis, potest absolvi ab una, relictis aliis; quia inter eas non est necessaria connexio. Reus autem pluribus peccatis mortalibus, ab uno non potest absolvi nisi simul ab omnibus aliis directe vel indirecte absolvatur; unum enim sine alio remitti non potest. Præterea, ut quis absolvatur a quocumque peccato, *regulariter* requiritur ut prævie liberetur ab omni excommunicationis vinculo; excommunicatus enim usu passivo sacramentorum privatur. Contra, bene potest quis absolvi ab excommunicatione quin ab omni gravi peccato prævie absolvatur.

b) Sufficienter innuitur Titium, ob ignorantiam aliamve causam, a censuris non excusari; siquidem absolutionem petit a censuris quas incurrit.

Hisce positis, jam ad quæstionem

R. Caius obvium habet pœnitentem *multiplici excommunicationis vinculo* ligatum. Titius enim, si scienter legerit libros hæreticorum hæresim propugnantes, excommunicationem ipso facto incurrit Romano Pontifici speciali modo reservatam (Const. *Apost. Sedis*, Tit. I, art. 2, coll. Const. *Officiorum ac munerum*, art. 47). Simili præterea irretitur censura, quatenus plura fidei catholicæ dogmata pertinaciter negaverit; modo errores fidei catholicæ adversos externe, licet occulte, sufficienter manifestaverit, animo eos profitendi. (Const. *Apost. Sedis*, Tit. I, art. 1). Ex eo etiam capite in excommunicationem incidit Titius, quod abortum procuraverit, si tamen effectus ex ipsius actione secutus sit, illumque, pœnitens factus, impedire, quantum in ipso erat, conatus non fuerit (Const. *Apost. Sedis*, Tit. III, art. 2). Tandem, præter hanc censuram Ordinario reservatam, quartam incurrit excommunicationem, Romano Pontifici simpliciter reservatam, quia duellum perpetravit (Const. *Apost. Sedis*, Tit. II, art. 3).

Jam inquirendum est utrum et qua ratione Caius vicepastor valeat Titium a prædictis censuris absolvere. Quod ut compertum habeatur, variæ fingantur hypotheses oportet.

I. Si Titius ex inflicto vulnere in probabili mortis periculo versetur, poterit Caius, licet nulla speciali facultate instructus (1), illum absolvere ab omnibus quibus

(1) In diœcesi Brugensi, omnes confessarii facultatem habent absolvendi a casibus quibuslibet Episcopo vel Romano Pontifici reservatis et a censuris annexis, in gratiam ægrotorum confitentium in ordine ad suscipiendum Viaticum aut Extremam Unctionem, necnon illorum qui, ob physicam aut moralem impotentiam accedendi ad ecclesiam, domi

innodatur censuris; ea tamen conditione ut absolutus, quod spectat excommunicationes R. P. speciali modo reservatas, stet mandatis Ecclesiæ, si convaluerit; et quidem sub pœna reincidentiæ, si obligationem impositam adimplere contempserit. Obligatio autem standi mandatis Ecclesiæ importat onus pro absoluto recurrendi, per se vel per confessarium, ad Summum Pontificem, ejusque mandatis obediendi; vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris R. P. speciali modo reservatis. Const. *Apost. Sedis*, coll. dec. S. Officii 17 Junii et 19 Augusti 1891, et 30 Martii 1892. Cf. *Collationes*, T. IV, p. 32 ss.

Si Titius intenderet lucrari indulgentiam jubilæi, prædicta obligatio non esset imponenda nisi pro censura ob hæresim incursa, juxta dicenda sub II, 1°.

II. Extra mortis periculum, distinguendum est:

1° Si Titius tali laboret infirmitate quæ juxta medici judicium ipsum impediet quominus absque gravi saltem incommodo, currente Anno Sancto, Romam se conferat, et ipse confessionem suam in ordine ad lucrandum jubilæum instituere intenderit; poterit Caius, vi Bullæ *Æterni Pastoris*, Titium in actu confessionis absolvere a censuris *Romano Pontifici reservatis*, excepto tamen casu hæreseos formalis et externæ, injuncta pro modo excessuum pœnitentia salutari aliisque de jure injungendis, de quibus infra dicemus. Cf. *Collationes*, T. V, pp. 42 ss., 130, et 184.

Pro censura autem ob *hæresim* incursa, nisi ipse forsan *Pagellam S. Pœnitentiariæ* habuerit, recurret Caius vel directe ad S. Sedem, vel ad Episcopum, qui, in casu, opportunam facultatem impertiri poterit. Episcopus enim, vi quinquennalium, habet potestatem

---

confessionem instituunt, quacumque ex causa (*Tract. de cas. reserv.*, p. 20 et p. 21).

Hanc facultatem, in præsenti et in sequentibus etiam hypothesibus, præ oculis habeat Caius, si ipse confessarius sit in diœcesi Brugensi admissus.

in foro conscientiæ ab hæresi absolvendi, eamdemque facultatem aliis communicandi (Cf. *Lib. Manual.*, p. 174 ss.); et facultates Episcopis vel confessariis pro foro interno a S. Sede concessæ, vertente jubilari anno perdurant respectu illorum pœnitentium qui, ut in casu, hic et nunc impediuntur quominus Romam accedant. Dec. S. Pœnit. 21 Dec. 1899 et 19 Jan. 1900, coll. Litt. Card. Præf. S. Cong. de Prop. Fide 8 Jan. 1900 (*Collationes*, T. V, pp. 149 et 259; *Nouv. rev. théol.*, T. XXXII, pp. 65, 195 et 197; *Rev. théol. franç.*, T. V, p. 116 ss.).

Quod autem spectat casum *abortus*, *Episcopo reservatum*, Caius non potest ab illa censura absolvere, nisi Episcopus, voto Pontificis obsequens, in ordine ad jubilæum concesserit facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis; prout fecit Episcopus diœcesis Brugensis per litteras 15 Decembris 1899. Cf. *Collationes*, T. V, p. 184.

2° Si Titius, licet hic et nunc impeditus Romam adire, tanta non laboret infirmitate qua jubilæi beneficio frui valeat, vel si jubilæum lucrari non intendat; Caius non poterit ipsum a censuris quas incurrit absolvere nisi prævie facultatem obtinuerit a Romana Sede vel ab Episcopo. Practice sufficiet recursus ad Episcopum, quum ipse debitam habeat potestatem absolvendi tum a casu abortus, utpote sibi reservato; tum a casu duelli, modo censura sit occulta, vi cap. *Licet;* tum a cæteris etiam censuris R. P. reservatis, vi facultatum quinquennalium quæ in casu, uti dictum est, non suspenduntur currente Anno Sancto.

3° Si Titius hic et nunc impeditus non sit ad Urbem accedere, pro opportuna facultate recurret Caius ad Episcopum ut valeat absolvere a casibus abortus et etiam duelli, si censura sit occulta; ad S. Sedem pro aliis censuris, quum extra casum legitimi impedimenti facultates Apostolicæ quas habet Episcopus pro foro interno suspensæ maneant decurrente jubilæi tempore.

Si tamen absolutio differri nequeat absque periculo infamiæ vel scandali, aut si durum valde sit pro Titio in gravi peccato remanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis requisitæ, licebit Caio illum directe absolvere, injunctis de jure injungendis, a censuris *R. P. reservatis*, sub pœna tamen reincidentiæ in easdem censuras, nisi absolutus infra mensem novam petat absolutionem ab habente facultatem, aut saltem per epistolam, per medium confessarii aut etiam per seipsum directe, ad S. Sedem recurrat. Cf. *Collationes*, T. IV, p. 230 ss. coll. dec. S. Officii 7 Junii 1899 (*Nouv. rev. théol.*, T. XXXI, p. 666).

Nota. Hæc applicantur, etiam in aliis hypothesibus, omnibus censuris R. P. reservatis a quibus Titius aliàs absolvere non posset sine prævia facultate.

Quoad casum *abortus*, jure communi *Episcopo reservatum*, si adsit periculum infamiæ vel scandali in absolutionis dilatione, poterit Caius, juxta doctrinam auctorum, Titium absolvere, sub onere tamen, cessante impedimento, Episcopum adeundi vel sese præsentandi confessario facultatem habenti. (1)

---

(1) Ambiguum autem est utrum absolutio a casibus *episcopalibus*, data in casibus urgentioribus a simplici confessario, *directa* sit, an *indirecta* tantum. Juxta S. Alphonsum (*Theol. mor.*, L. VI, n. 585) et sententiam communiorem, si quæstio sit de casibus *ab* Episcopo sibi reservatis, absolutio est *indirecta* tantum; et quum casus hujusmodi reserventur ratione peccati (S. Alp., *l. c.*, n. 581), ideo manet reservatio, et etiam censura, si adnexa fuerit. Hanc doctrinam nonnulli applicant etiam casibus *a jure* Episcopo reservatis (cf. v. g. Putzer, *Comment. in facult. Apost.*, ed. 5, n. 144, 6; Génicot, *Theol. mor. institut.*, ed. 2ª, T. II, n. 347 coll. n. 575 in fine). Dicendum tamen videtur, quando agitur de peccatis cum adnexa censura, *à Papa* reservatis Episcopo, absolutionem a peccatis esse *directam*; casus enim *a Pontifice*, sive sibi sive *Episcopis* reservati, sunt casus *papales*, qui reservantur ratione *censuræ* (cf. *Collationes*, T. IV, p. 25). Urgente autem necessitate, *ad effectum* dari potest absolutio a censura; qua jam non obstante, peccatum directe potest absolvi a quocumque confessario. Tenetur autem sic absolutus, cessante impedimento, se præsentare Superiori ejusque stare mandatis, uti in jure cautum est. Præter auctores citatos, vide etiam Theol. Mechl., *Tract. de censuris*, etc., p. 120 coll. pp. 138 et 139; Bucceroni, *Instit. theol. mor.*, ed. 2ª, T. II,

Manet ut nonnulla addamus de iis quæ in absolutione a censuris, juxta canonicas sanctiones rectæque disciplinæ regulas, pœnitenti injungenda sunt. De illis supra jam memoravimus (cf. *Collationes*, T. IV, p. 230).

In præsenti autem casu, speciatim attendenda sunt sequentia: a/ a censura ob *lectionem librorum hæreticorum* incursa non ante absolvat Caius « quam pœnitens libros, quos in sua potestate habet,.. Ordinario, vel ipsi confessario aut alii facultatem eosdem retinendi habenti tradiderit; vel se, quamprimum poterit, traditurum promiserit, si tradere ante absolutionem nequeat (*Monit.* S. Pœnit., n. VIII, coll. *Facult. quinq. S. Pœnit.*, n. V); b/ ab *hæresi* non absolvatur Titius nisi coram absolvente errores secrete abjuraverit; injuncta insuper obligatione se retractandi apud personas coram quibus hæreses manifestavit, et reparandi illata scandala (*Facult. quinq. S. Pœnit.*, n. III, coll. Leonis XIII Const. *Quoniam*, et *Collationes*, T. IV, p. 142)(1); c/ non prætermittat etiam Caius pœnitentem monere de obligatione removendi occasionem peccati, et reparandi damnum quod forsan per duellum aut abortus procurationem intulit, necnon de reincidentia quoties a jure statuitur, etc. Cf. Putzer, *Comment. in facult. Apost.*, ed. 5ª, n. 145, p. 244.

C. V. C.

---

n. 800; Lehmkuhl, *Theol. mor.*, ed. 9ª, T. II, n. 410, n. 415 et n. 879; Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*, T. V, p. 355, nota a, et p. 307; F. Piatus, *Comment. in Const. Apost. Sedis*, p. 108; Aertnys, *Theol. mor.*, ed. 2ª, T. II, n. 245.

(1) Reparatio scandali publici debet esse publica. Scandali reparatio non debet absolute præcedere absolutionem; si hic et nunc fieri nequeat, sufficit ut pœnitens serio promittat se scandalum reparaturum. Dec. S. Pœnit. 20 Feb. 1900.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. V, pag. 99.)

ARTICULUS III.

De libero arbitrio Dei.

187. Post explicatam divinam scientiam divinamque voluntatem, de libertate divina et libero arbitrio Dei tractandum est, de quibus incidenter jam pluries sermo fuit, idque distincto articulo facimus: quamvis enim libertas formaliter sit in voluntate, radicaliter tamen est in intellectu, estque liberum arbitrium facultas rationis et voluntatis, ut videbimus utque vel ipsum nomen insinuat; præterea notionem accuratam ac completam libertatis liberique arbitrii, tum in Deo tum in creaturis, exponere vellemus, eo vel magis quod res, cum in se tum ratione rerum in hac secunda parte meditationum postea explicandarum, sit summi momenti, et eadem tamen notio apud multos non adeo accurate, apud plerosque saltem incomplete, pro peculiari scopo, declaratur, puta considerando liberum arbitrium creaturæ tantum, hujusque libertatem ad bonum et malum morale.

188. « Libertas et privative dicitur et positive. Privative dicitur per comparationem ad illud, respectu cujus dicitur libertas ut a quo. Positive, per comparationem ad illud, respectu cujus dicitur libertas ut ad quod (1) ». Privative dicit immunitatem a servitute, impedimento, vinculo cogente seu coarctante; positive dicit quamdam potestatem seu dominium oppositum præcise isti servituti seu immune ab hujusmodi vinculo seu impedimento.

(1) S. Bonav., *in l. Sent.*, II, dist. 25, p. 2, dub. 2.

« Omnis autem privatio distinguitur secundum ea quæ privantur : unde secundum ea quæ cogere possunt vel impedire, oportet libertatis distinctionem sumi (1). » Igitur pro diversitate servitutis seu vinculi, ac respondente diversitate potestatis seu dominii, diversa eaque multiplex est distinctio libertatis, hujusque vocis significatio impropria ac propria, latior ac pressior. Sic et res inanimata dicitur libera, ut locus liber, id est, ab occupante (privative), qui occupanti patet seu occupandi potestatem præbet (positive). Animal dicitur liberum, materiali vinculo non alligatum (privative), quod adeo potestatem se movendi retinet (positive). Mittimus hujusmodi improprias latasque omnes vocis significationes, et eam solam libertatem consideramus, quæ enti rationali qua tali competit, qua nempe in activitate propria suarum facultatum rationalium ens intellectuale immune est a vinculo seu impedimento cogente seu coarctante (privative), et dominium proprie dictum habet suarum actionum rationalium (positive).

Adverte 1° hanc libertatem stricte dictam de diversis subjectis tam proximo quam remotis affirmari, et attribui tum actui, tum potentiæ, tum ipsi enti rationali : ita dicitur actus liber, voluntas libera, homo, angelus liber. Quæstio autem nobis præprimis est de potentiæ libertate, ratione cujus denominatur liber actus ab illa potentia libere agente procedens, et dicitur liberum ipsum subjectum remotum seu agens rationale.

Adverte 2° quamquam hæc libertas ad ordinem moralem pertinet, imo fundamentum quodammodo est totius ordinis moralis ex parte subjecti, eamdem tamen confundere nullatenus licere cum libertate quam moralem vocare solent, nempe immunitate a vinculo morali legis (privative), ita ut potestas sit agendi pro libitu absque peccato (positive). Huic libertati morali necessario supponitur libertas de qua nunc, et sub legis

(1) S. Thomas, *in lib. Sent.*, II, dist. 25, q. 1, art. 5.

vinculo integra manet, utpote quæ moraliter tantum, in creatura rationali, obligatione legis constringitur, nequaquam vero in propria sua physica entitate attingitur aut coarctatur; imo potius lege ac regula juvatur et augetur, cum exercitium seu usus ejus ad bonum dirigitur et regulatur. Non raro, ad distinctionem alterius, vocatur hæc, de qua agimus, libertas physica, quatenus ad physicam constitutionem, ad naturam ipsam entis rationalis pertinet.

Adverte 3º sicut lege morali juvatur libertas, ita ex opposito, in creaturis, quibusdam impedimentis ordinis moralis imminui ac coarctari eamdem posse: omnis enim creatura errori est obnoxia, homo præterea passionibus subjacet, unde variis impedimentis usus libertatis coarctari potest. Simili modo videbimus ex hoc ipso quod finita sit creatura, ejus liberam potentiam seu liberum arbitrium esse imperfectum, et per naturam esse deflectibile ad malum.

189. Hæc quidem de nomine libertatis quibus, antequam ad rem ipsam penitius inspiciendam progredimur, addimus pauca similiter de nomine subjecti proximi liberæ actionis seu potentiæ a qua actus liber procedit, quæque vocatur liberum arbitrium, quod quidem, « si vis vocabuli attendatur, nominat actum, sed ex usu tractum est ut significet id quod est principium actus (1). » Rationem nominis delectabiliter exponit Doctor Seraphicus : « Magis autem facultas illa censetur hoc nomine, ut dicatur liberum arbitrium, quam liberum judicium : pro eo quod judicium importat actum rationis regulatum secundum regulas veritatis sive supernæ legis, arbitrium vero importat actum rationis regulatum secundum imperium voluntatis. Unde ille dicitur judex cujus est secundum jura causam terminare. Ille autem dicitur arbiter qui ad proprium voluntatis nutum causam terminare habet. Et quoniam liberum arbitrium,

(1) S. Thomas, *qq. disp. de Verit.*, q. 24, art. 4, Resp.

quantum est de se, decernere habet de agendis juxta voluntatis nutum magis quam juxta juris præceptum, hinc est quod magis per prius notificatur per nomen arbitrii quam per nomen judicii. Ex hoc igitur et ex prædictis colligitur quam magna fuit sapientia in eis qui imposuerunt nomina. Non enim sine causa hæc facultas duplici nomine censetur; nec sine causa vocabulum spectans ad rationem significatur substantive, vocabulum spectans ad voluntatem vocatur adjective. Nec sine causa vocabulum spectans ad rationem potius dicitur esse arbitrium quam judicium. Est enim liberum arbitrium facultas duarum potentiarum, ita quod ratio habet in se rationem materialis, et decernere se habet ad nutum et imperium voluntatis (1). » Quæ quidem in sequentibus explicabuntur.

190. Jam ad realem definitionem reique ipsius declarationem procedimus. Triplicem adducit S. Bonaventura, in prævia explicatione textus Magistri, celebrem definitionem breviterque interpretatur, quibus nobis viam aperit ad explicandam essentiam libertatis liberique arbitrii, prout in Deo, in angelis, in beatis et viatoribus hominibus invenitur.

« Nota, *ait* (2), quod liberum arbitrium potest tripliciter considerari. Aut in sua generalitate, secundum quod convenit creaturæ et Creatori: et sic definitur ab Anselmo, cum dicitur: liberum arbitrium est potestas servandi rectitudinem propter seipsam. Aut secundum esse quod habet in creatura, non concernendo statum, et sic est definitio illa Bernardi: liberum arbitrium est consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem et rationis indeclinabile judicium. Aut quantum ad statum viatorum, et sic est illa Augustini: liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, vel malum eadem desistente. Possunt

(1) In II *Sent.*, dist. 25, initio.
(2) Ibidem.

tamen nihilominus prædictæ notificationes aliter distingui ab invicem. Liberum arbitrium habet comparari ad actum, habet comparari ad actum et objectum, habet tertio modo comparari ad actum et objectum et finem ultimum. Quantum ad primam definitionem sive considerationem distinguitur a Bernardo; quantum ad secundam, ab Augustino; quantum ad tertiam, ab Anselmo. Et hoc patet considerando ipsas notificationes: unde Anselmus definiens liberum arbitrium non solum dicit ipsum esse potentiam servandi rectitudinem, sed etiam addit *propter se: propter* enim dicit causam finalem, et refertur hoc quod est *se* ad rectitudinem. Sed hic attendendum est quod alia est rectitudo quæ servatur, alia propter quam servanda est: hæc enim est creata, illa increata; quia tamen una intelligitur in altera, hoc relativum *se* cum refertur ad rectitudinem creatam potest supponere pro rectitudine increata in ipsa creata rectitudine intellecta: sicut prima veritas in omni veritate et prima bonitas in omni bonitate. ».

Et paulo infra: « Est loqui de libero arbitrio secundum generales conditiones: sic liberum arbitrium dicit facultatem liberam a coactione et ordinatam ad rectitudinis observantiam, et hoc modo reperitur in creatura et Deo conformiter et secundum eamdem rationem, non conformitate et unitate univocationis, sed potius analogiæ et consimilis habitudinis quæ inter Deum et creaturam esse potest..... Alio modo est loqui de libero arbitrio secundum proprietates speciales: et sic liberum arbitrium est facultas quæ quidem non est substantia rei sed quædam habilitas, sic etiam est potestas servandi rectitudinem, quæ non est ipsa rectitudo, et ideo potest a rectitudine obliquari quantum est de se in creatura; in Deo autem liberum arbitrium est ipsa divina essentia, est etiam ipsa justitia, ideo nec obliquari potest nec mutari. »

191. Hisce præmissis interpretando textum Magistri, ad quæstiones speciales transit Doctor Seraphicus,

quibus naturam libertatis liberique arbitrii explicat: hoc autem præstat quærendo primo de subjecto remoto libertatis, seu in quibus sit liberum arbitrium, deinde quid proprie sit liberum arbitrium, quæ et qualis potentia seu facultas, et consimili omnino modo procedit Doctor Angelicus, in *qq. disp. de Verit.*, *q. XXIV de libero arbitrio*, quos duces, profecto optimos, sequemur, breviter exhibendo utriusque doctrinæ substantiam, ita ut notio libertatis accurata et completa exhibeatur, simulque divinæ libertatis in specie, in ordine ad actum Dei ad extra postea explicandum.

Ante omnia advertamus omnem naturam, etiam inanimatam, esse inclinatam in bonum, in perfectionem suam, quæ quidem inclinatio habitualis sequitur formam naturalem et apprehensionem ipsius Auctoris naturæ, non vero apprehensionem propriam appetentis, et quodammodo dici potest improprie appetitus seu amor naturalis (1). Porro, inclinatio illa naturalis diversimode reperitur in diversis naturis, in unaquaque secundum modum ejus, et ita in animatis naturis invenitur secundum specialem potentiam appetitivam, quæ sequitur formam apprehensam seu cognitionem, sensitivam vel intellectivam, ipsius appetentis; sic S. Thomas supra, n. 178, ostendebat quod intellectum voluntas consequitur, seu quod in quolibet habente intellectum est voluntas, sicut in quolibet habente sensum appetitus animalis seu sensitivus. Hoc sensu appetitus, in quantum in proprium bonum naturæ, sensitivæ vel intellectualis, est inclinatus, dicitur sensu proprio appetitus naturalis, boni sensibilis vel intellectualis. Et quoniam appetitus ita determinatus est ad unum (scil. bonum proprium) saltem ex parte alicujus objecti seu quoad specificationem, oportet ut aliqua ejus operatio sit eodem modo determinata a natura: prima autem operatio appetitiva est amor, seu motus in bonum secundum se, absolute

(1) Cf. S. Thom , 1, 2, q. 26, a. 1 et 2.

et qua tale, unde operatio illa seu actus proprie dicti appetitus naturalis dicitur proprio sensu amor naturalis (1), est enim actus elicitus et vere principium motus appetitus naturalis in bonum.

Præter amorem hunc naturalem boni in genere seu beatitudinis, sequentem propriam appetentis intellectualem apprehensionem ejusdem boni, sunt in voluntate multiplices motus seu tendentiæ amoris, desiderii, gaudii etc., sequentes apprehensiones particularium bonorum, quorum tamen semper primus motus et principium aliorum est amor, boni nempe alicujus particularis, juxta apprehensionem et judicium appetentis, et hic amor est electivus, contradistinctus a naturali, et liber, ut videbimus. Est autem talis relatio inter amorem naturalem et amorem electivum qui, secundum judicium intellectus de particulari bono, tendit in hujusmodi bonum, ut amor naturalis boni in genere seu beatitudinis sit causa omnis amoris electivi. Beatitudo enim est finis, finis autem habet rationem principii in operativis: oportet enim quod illud, quod naturaliter alicui convenit et immobiliter, sit fundamentum et principium omnium aliorum: quia natura rei est primum in unoquoque et omnis motus procedit ab aliquo immobili (2). Est igitur amor naturalis motio universalis, ex parte objecti, primi moventis Dei, præsupposita omni amori, adeoque et omni actui voluntatis, cum amor sit primus motus appetitus. Ex parte autem actus, amor naturalis habet rationem causæ efficientis respectu amoris electivi.

Utrumque breviter et optime declarat Cajetanus, in 1, q. 60, a. 2: « Dilectio naturalis ex parte objecti est causa finalis electivæ, quia propter naturaliter dilectum diligimus alia. Ex parte vero actus, est causa

(1) Non prout contradistinguitur a *supernaturali*, sed ab electivo et libero, ut infra patebit.

(2) Cf. S. Thomas, 1ª, q. 82, a. 1, coll. q. 60, a. 2, cum Comment. Cajetani.

per modum efficientis, sicut cognitio principii est causa efficiens cognitionis conclusionis. Voluntas enim ex volitione finis facit se volentem alia, facit autem libere utendo volitione naturali ad causandam dilectionem electivam. Unde non adimitur libertas ex concursu hoc, sicut nec ex concursu alicujus habitus ad electionem. »

192. Itaque, si quæratur, ut a nonnullis fit, an voluntas sit libera, necne, in motu suo seu tendentia in bonum in genere, quæstio quodammodo absurda ponitur et negandum est suppositum; quod in ipso limine hujus tractatus merito notatur: sermo enim de libertate actionis seu tendentiæ voluntatis esse non potest, nisi ponatur voluntas in sua natura constituta, et nisi agatur de tendentia actuali in aliquod bonum, minime vero in bonum in genere. Igitur, cum natura voluntatis sit appetitus boni, neque libere neque ex necessitate quadam opposita ejus libertati vult bonum in genere seu beatitudinem, sed naturaliter, secus non esset voluntas, aliis verbis, ex necessitate suæ naturæ seu conformiter ad suam naturam liberæ voluntatis. Apposite S. Thomas: « Sicut de primis principiis non judicamus, ea examinantes, sed naturaliter eis assentimus, et secundum ea omnia alia examinamus; ita et in appetibilibus, de fine ultimo non judicamus judicio discussionis vel examinationis, sed naturaliter approbamus, propter quod de eo non est electio, sed voluntas. Habemus ergo respectu ejus liberam voluntatem, cum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet..... non autem liberum judicium, proprie loquendo, cum non cadat sub electione (1). »

Quodsi non de bono in communi seu fine ultimo ac beatitudine in genere, sed de summo bono in se apprehenso quæras an idem libere an vero necessario attingeret voluntas, respondebimus jam non agi de tendentia voluntatis sed de ejusdem quiescentia, et voluntatem

(1) QQ. *disp. de Verit.*, q. XXIV *de lib. arbitrio*, art. I, ad 20m.

liberam naturaliter in summo bono quiescere. Similiter si quæras an Deus libere, an vero necessario, seipsum seu proprium suum infinitum bonum velit, respondendum est non esse locum quæstioni de libertate, nec de necessitate opposita libertati, sed Deum natura sua velle suum bonum, secus non esset voluntas divina, eaque summe libera, non esset Deus. Incipit quæstio divinæ libertatis, quoad usum quasi et actum, relate ad bona extra se, quæ, quum nulla sint nisi finita et a se creata vel creabilia, statim intelligitur perfecta et summa Dei libertas, ex mysterio Trinitatis magis conspicua et intimius manifestata: quum enim libertas privative dicitur et positive, privative quidem liber intelligitur Deus ab omni coactione, necessitate, vinculo, impedimento quocumque extrinseco, siquidem extra Deum, antequam crearet, nihil erat, sed nec ulla in Deo concipi poterat aut potest egestas boni ac gaudii, utpote qui omniscius, summe bonus et in societate divinarum Personarum perfecte beatus est; positive vero omnipotens est ad creanda vel non quæcumque finita bona, quorum omnium supremus dominus est, a quo continuo quoad omne et totum esse atque agere ex integro dependent, a quibus contra ipse nullo prorsus modo dependet, quibus nulla ratione eget.

(Continuabitur.)

Ordo Missæ

SEU

precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 319.)

—

89. **Ipsa communio.** — Mox sacerdos genuflectit præ sensu vividæ fidei et profundissimæ reverentiæ adorans Christum, sub specie panis latentem; et surgens dicit: *Panem cœlestem accipiam et nomen Domini invocabo*, « ad explicandam famem et fervens desiderium hujus panis cœlestis, quo mirifice disponitur anima ad percipiendam ex eo perfectam nutritionem et pinguedinem spiritus, juxtà illud, « Esurientes implevit bonis » Luc. XV. Unde August.: « Panis iste (inquit) esuriem quærit hominis interioris ». Nec expectat ut erectus ea verba proferat, sed *dum surgit* ea pronuntiat, ut ferventius desiderium exprimatur » (1). — Merito autem vocat panem consecratum et in Corpus Christi transsubstantiatum *panem cœlestem* cum ipsemet Christus de se testatur: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi » Jo. VI, 151. — « Hunc autem panem cœlestem (inquit sacerdos) accipiam ego ægrotus et infirmus, cor hominis confirmantem, ut a cunctis morbis valeam sanari. Accipiam panem cœlestem ego famelicus et esuriens, quem qui gustaverit non esuriet in æternum. Accipiam eumdem panem ego inquietus et anxius, ut cor meum stabiliat et turbidos sæculi fluctus sedet. Denique accipiam claudus et debilis hunc panem cœlestem, invitatus a Rege magno ad cœnam ad quam debiles et claudi sunt introducti, ut ejus sumptione rectus ambulem in

---

(1) Quarti, l. c. Part. II, Tit. X, n. 4.

via Domini et fortior fiam. — Et quoniam istud sacrificium *laudis* est et ad Dei laudem præsertim institutum, se *nomen Domini invocaturum* dicit sacerdos, et debitam divino nomini laudem pia invocatione persoluturum, ut hujusmodi sumptio sit ad laudem, gloriam et honorem sui gloriosi nominis, quod est benedictum in sæcula » (1).

90. Tunc sumit celebrans hostiam sacram inter digitos, illam mox ori introducturus; at instante jam momento quo Deum totius sanctitatis ipse vilis creatura et peccator intra pectus suum recepturus est, quasi stupens et tremens iterum iterumque indignitatem suam fateri cogitur. Quare usurpans verba humilis centurionis, de quo Evangelium (Matth. cap. VIII,) exclamat: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum;* quæ ter recitans ter quoque pectus percutit, voce et gestu humilitatem et contritionem exprimens: quos sensus et affectus etiam corde fovere illo solemni momento maxime oportet. Et sane, uti animadvertit Clichtov.: « Joannes Baptista Spiritu sancto repletus ex utero matris suæ et in deserto ab ipsa pueritia diversatus in austeritate vitæ mirabili...; quo inter natos mulierum non surrexit major, testimonio summæ Veritatis, professus est se non esse dignum ut solveret Christi calceamentum. Ipse quoque missus a Deo ut baptizaret in aqua et prædicaret baptismum pœnitentiæ, cum venisset ad ipsum Dominus noster ut baptizaretur ab eo in Jordane, humiliter id munus detrectavit dicens: *Domine ego debeo a te baptizari, et tu venis ad me?...* Quid nos igitur qui non sumus digni solvere corrigiam calceamenti Joannis Baptistæ, cum in præsentia tremendæ majestatis Dei in altari consistimus, sentire debemus de nobis aut animo pensare? qui non vocamur ibi ad solvenda ejus

(1) Clichtoveus, in h. l. — Alio modo hæc ultima verba, *nomen Domini invocabo*, interpretatur Lebrun, dum scribit in h. l., « Le nom de Dieu, c'est la majesté de Dieu; l'invoquer, c'est l'appeler dans soi-même. Je l'invoquerai, je l'appellerai en moi pour être ma force, mon soutien et ma vie ».

calceamenta aut ad ipsum aqua abluendum, ut Joannes, sed ad eum totum suscipiendum in habitaculo cordis nostri... Certe quantumcumque nos humiliaverimus, non satis nos ipsos pro magnitudine rei et sublimitate advenientis hospitis tunc humiliare possumus: quantum tamen valemus animo indignos nos esse illius ad nos introitu libere profiteamur ».

Ast simul sacerdos exprimit suam fiduciam in divini Salvatoris potentiam ac misericordiam, et addit: *sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea*, np. a spiritualibus suis morbis, vitiis et defectibus; q. d.: Equidem, Domine, minime dignus sum ego ut ingrediaris hospitium animæ meæ tot tantisque malis infectæ, « sed tu, Domine, tantum dic verbo: qui Verbum es Patris coæternum, quo cœli firmati sunt; quo dixisti dæmonio vexanti puerum lunaticum: *Præcipio tibi ut exeas ab eo, et ne amplius in eum introeas;* quo denique dixisti paraclito: *Surge et ambula*, et continuo surrexit sanus et ambulavit; ità, Domine, dic verbo et sanabitur anima mea a morbis spiritualibus vitiorum, a dæmonio graviter infestante, a paralisi et æstu febrili, ab ignavia scilicet animi et ardore concupiscentiæ. Tuum namque dicere facere est, dicente Scriptura: *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt...* Hæc et similia revolvens anima et se humiliabit sub potenti manu Dei, et in divina bonitate confidentiam ponens se totam in ejus sinum projiciet » Clichtov. *ibidem.*

91. Actibus illis fidei, desiderii, humilitatis et contritionis, necnon spei et fiduciæ proxime præparatus ad sese communicandum procedit. Ideo « ex sinistra accipit ambas partes hostiæ inter pollicem et indicem dexteræ manus, et cum illa *supra patenam* signat seipsum signo crucis, *ità tamen ut hostia non egrediatur limites patenæ* » (Rubr.); qua signatione videtur profiteri id quod manibus tenet et sumpturus est idem esse corpus Christi in ara crucis immolatum. Interim dicit: *Corpus D. N. J. Ch. custodiat animam meam in*

vitam æternam; amen: quasi in memoriam sibi revocans promissum Domini: « Qui manducat hunc panem vivet in æternum » Jo. VI, 59.

Sumpta sacra hostia « *aliquantulùm* quiescit in meditatione SS^mi^ Sacramenti » (Rubr.): hæc meditatio, observat Lebrun, perbrevis sit oportet, quia Missa est actio una et continuata tum quoad facienda, tum quoad recitanda, nec patitur diuturnam interruptionem: sed quia aliquod temporis requiritur ut deglutiatur particula sacra, jubetur sacerdos interea de ineffabili dono quod percepit pie meditari.

Hac meditatione non potest non excitari ad gratias Deo agendas, ideoque cum Propheta regio (Ps. 115) dicit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Impotentem sese confitetur ut digne gratum sese exhibeat ergà Deum pro tanto dono, quod omnium bonorum summam continet: nam « cum illo (Filio suo) omnia nobis donavit » Rom. VIII, 32. Atque illo gratitudinis affectu occupat animum, dum colligit hostiæ fragmenta in corporali forte relicta et patenam extergit; dein tenens dextera calicem, quasi respondens interrogationi sibi factæ, dicit: *Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo, laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero;* quasi diceret: cum nihil de meo habeam quod Deo digne rependam, ipsius donum novum accipiam, *calicem np. salutaris* i. e. pretiosissimum sanguinem Filii Dei, in salutem generis humani effusum et hoc calice contentum; illumque bibens atque ità integrans sacrificium eucharisticum offeram Deo *hostiam laudis* ipsi gratissimam; et sic condigne nomen seu gloriam ejus celebrabo ac beneficentiam ejus magnificabo. Imò virtute illius sanguinis *ab inimicis meis salvus ero:* nam si quondam sanguis agni figurativi populum Hebræorum salvavit, quantò magis sanguis illius, qui est verus Agnus Dei, nos salvos et immunes reddet ab hostibus salutis nostræ? — Quare sacerdos sese signans signo crucis cum calice, atque sic externe profitens

sese eumdem sanguinem sumpturum qui in cruce pro mundi salute fuit effusus, magna cum fiducia dicit: *Sanguis D. N. J. Ch. custodiat animam meam in vitam æternam; amen.* Promisit enim Christus: « Qui bibit meum sanguinem, habet vitam æternam Jo. VI, 55 ». Et reverà « sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi »; — et sic « habemus fiduciam in introitu sanctorum (seu introeundi in sanctuarium verum i. e. cœlum) in sanguine Christi », qui ipsemet « per proprium sanguinem introivit in sancta, æterna redemptione inventa » *Hebr.* IX et X.

*
* *

92. Dum sacerdos calicem purificat, rogat pro se et pro fidelibus communicantibus ut divinum sacramentum, *quod ore sumpserunt* seu corporaliter perceperunt, *pura mente capiant* seu spiritualiter quoque et cum debita cordis et mentis puritate percipiant, aliis verbis, ut corporalis perceptionis spirituales consequantur effectus; atque ita *de munere temporali* seu de Eucharistiæ sacramento, quod ad tempus et pro hujus vitæ curriculo nobis conceditur (1), fiat eis *remedium sempiternum*, remedium scilicet contra omnes animæ infirmitates, ut hoc cibo et potu confortati a virtute non excidant, sed salvi et liberi ad vitam perveniant sempiternam.

Dein sacerdos sibi lavat digitos super calicem eosque extergit; interim autem dicit: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi et sanguis quem potavi adhæreant visceribus meis*; hæc autem dictio intelligenda metaphorice de visceribus spiritualibus animæ, ut ex progressu orationis liquet: ceterum non insuetum est in scriptura *visce-*

(1) « *Cum autem venerit quod perfectum est* (I Cor. XIII; 10) cessabit usus sacramentorum; quia Beati in gloria cœlesti non egent medicamine sacramentali » *De imit. Chr.*, lib. IV; c. XI, n. 2.

ribus designari cor, animam, sedem affectionum; ex. gr. Ps. L: « Spiritum rectum innova in visceribus meis »; — Phil. I, 8: « Cupio omnes vos in visceribus J. Ch. » et alibi. — Postulat igitur celebrans ut virtus et efficacia Sacramenti seu gratia sacramentalis jugiter maneat et operetur in anima ipsius, hanc nutriens et roborans, atque divinæ charitatis ardore consumens quidquid in ea vitiosum est; unde fiat ut *in ipso non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta.* — Hic intercedit aliqua mora, dum sacerdos abluit et extergit calicem, complicat corporale etc.; decet autem ut, ea durante, celebrans totus sit intentus obsequiis piis divino hospiti reddendis, ipsum adorando, gratias ei agendo, generosa ei offerendo proposita, atque cœlestes ab eo efflagitando favores. (1)

(Sequetur).

H. V. D. B.

De ligno vitæ

In Genesi II, 9 legitur: « Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave: *lignum etiam vitæ* in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. » Jam vero nomine *ligni vitæ* intelligendam esse veram et naturalem arborem, ejusque vim et effectum fuisse, ab omni corruptione corporis ipsaque morte hominem servare, indubium est. « Etenim, ait Pererius, hoc liquidò cernitur ex Mosaica narratione, quæ tota est historica: ait enim Deum produxisse ex humo omne lignum visu pulchrum et ad vescendum suave, subditque, *Lignum etiam vitæ in medio Paradisi.* Illa autem particula *Etiam*, indicat

(1) Cfr. Card. Bona, *Tract. asect. de Missa*, cap. V., § 12.

arborem vitæ fuisse ex humo procreatam, et naturalem arborem non secus atque alias omnes paradisi arbores. Moses item ostendit fructum illius arboris potuisse ab homine comedi, quinimo in usus hominis esse comparatum. Quamobrem ne fructum ejus arboris homo etiam post peccatum comedens, immortalitatem consequeretur, aditum ad eam arborem omnino fuisse ei à Deo interclusum (III, 24): Quo satis apparet, nomine illius arboris, nec divinam Sapientiam, nec Christum Domimum posse intelligi (sensu literali): non enim hæc post peccatum adempta sunt homini, nec est ipsi ad ista adeundi et perveniendi potestas ablata ».

Quamvis porrò controvertatur apud Interpretes a/ utrum vis prorogandi vitam hominis esset arbori vitæ *naturalis* an vero *supernaturalis;* b/ utrum *unicâ* an vero *identidem iteratâ* opus fuisset comestione ad procurandam vitam immortalem; c/ utrum fructûs istius comestio vitam homini præstitisset stricte æternam atque *infinitam,* an vero minus stricte æternam seu *longissimam*, omnes tamen fermè Scriptores summo consensu contra Origenem et Eugubinum *lignum vitæ* interpretantur *arborem veram ac naturalem,* quæ non esset merum *symbolum vitæ immortalis* Adamo propositæ, sed quæ esset *causa vitæ* seu *vivifica*, scilicet, quæ miram haberet vim non solum ad vitam hominis fovendam et sustinendam (hanc enim vim habebant etiam aliæ arbores à quibus hæc arbor distinguitur speciali nomine *ligni vitæ*), sed etiam perpetuandam et velut quodam immortalitatis genere donandam. Hunc sensum litteralem et historicum nequaquam excludunt, sed contrà ceu fundamentum supponunt variæ hujusce ligni vitæ interpretationes symbolicæ ac mysticæ, juxta quas arbor vitæ significat Christum, aut crucem Christi, aut Eucharistiam, aut B. Virginem, aut justum, aut sapientiam, aut beatitudinem et visionem Dei. « Hæc, ait S. Augustinus (De civ. Dei, XIII, 21) et si qua alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, *nemine*

prohibente dicantur, dum tamen et illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur ».

Litteralem igitur *ligni vitæ* interpretationem exigit tùm simplex et historica Moysis narratio, tùm unanimis Interpretum consensio. Ut autem benevoli lectores nostri sciant et intelligant quâ levitate nonnulli neoterici Scriptores à sensu Scripturæ *naturali* et *recepto* recedant, speciminis ergò subjiciemus hîc mira verba quibus doctissimus Pater Lagrange *lignum vitæ* symbolicè intelligendum propugnat. Cum tamen argumenta ejus talia sint quæ vix seriam mereantur confutationem, textum tantùm laudati Scriptoris cum paucis subjectis notis referemus. Sic igitur ratiocinatur R. P. Lagrange, in *Revue biblique,* 1897, p. 363. « Les deux arbres. — Assurément il ne répugne pas de les prendre à la lettre, (1) mais cela n'est nullement nécessaire à la substance de l'enseignement. (2) En réalité, comme l'enseigne Saint Thomas, ce n'était pas l'arbre de vie qui conférait l'immortalité. (3) Le saint docteur n'arrive pas sans peine à lui trouver un emploi (4), mais enfin il conclut : « *non tamen simpliciter immortalitatem causabat : quia neque virtus quæ inerat animæ ad conservandum corpus, causabatur ex ligno vitæ : neque etiam poterat immortalitatis dispositiones corpori præstare* » Iª p. q. 97, a. 4. (5) Il dit ailleurs, contre le P. Hummelauer qui

(1) Si sensus litteralis non apparet absurdus, quarè ei refragatur Auctor, maximè cum eidem sensui suffragetur sententia communis interpretum?

(2) Quid hac in re ad substantiam doctrinæ pertineat, non à priori, sed ex positiva Dei ordinatione definiendum est.

(3) Arborem vitæ per se solam non suffecisse ad procurandam immortalitatem, nemo sanæ mentis negavit unquam Sed eamdem fuisse medicinam seu pharmacum immortalitatis ipse S. Thomas docet indubiè.

(4) Hoc falsissimum esse patebit ex statim notandis.

(5) Thesim suam omnino evertisset Auctor, si S. Thomam integrè citasset. Post enim verba « *neque etiam poterat immortalitatis dispositiones corpori præstare* » immediatè sequitur « *ut nunquam dissolvi posset ; quod ex eo patet, quia virtus cujuscumque corporis est finita. Unde non poterat virtus ligni*

n'évite pas ici l'intelligence par trop littérale : « *ad sextum dicendum quod homo si post peccatum de ligno vitæ comedisset, non propter hoc immortalitatem recuperasset* » 2ª 2ᵃᵉ, q. 164, a. 2 (1). L'arbre de vie ne joue donc pas dans la scène un rôle nécessaire. Il contribue à l'immortalité seulement *per accidens*. (2) On peut donc dire qu'il en est plutôt le symbole ».

Peccat igitur R. P. Lagrange tùm in eo quod ab obvia et communi S. Scripturæ interpretatione sine necessitate, ut ipse fatetur, recedit ; tum in eo quod ad stabiliendam suam sententiam auctoritate S. Thomæ manifestè abutitur.

G. V. D. P.

---

vitæ ad hoc se extendere ut daret corpori virtutem durandi tempore infinito, sed usque ad determinatum tempus. Manifestum est enim quòd quantò aliqua virtus est major, tantò imprimit durabiliorem effectum. Unde cum virtus ligni vitæ esset finita, semel sumptum præservabat à corruptione usque ad determinatum tempus ; quo finito, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam, vel indiguisset iterùm sumere de ligno vitæ » Ex his verbis facillimè concludere poterat R. P. Lagrange lignum vitæ identidem sumptum, juxta S. Thomam, procuraturum fuisse immortalitatem sive strictè sive latè dictam.

(1) Post hæc verba ab Auctore citata sequitur apud S. Thomam : « *sed beneficio illius cibi potuisset vitam magis prolongare : Unde quod dicitur : et vivat in æternum, sumitur ibi æternum pro diuturno* ». Rursum igitur manifestum est arborem vitæ, juxta S. Thomam, fuisse veram arborem, cujus beneficio potuisset homo vitam diu prolongare. Hoc autem prorsùs opponitur sensui *symbolico* à R. P. Lagrange adstructo.

(2) Ex supra dictis patet arborem vitæ ex divina ordinatione futuram fuisse causam veram, etsi non totalem, immortalitatis. Ineptè igitur asseritur : « L'arbre de vie ne joue donc pas dans la scène un rôle nécessaire. » Sive autem per se, sive *per accidens* tantùm arbor vitæ dicatur vitam humanam fuisse prorogatura, *verè* tamen, ex mente ipsius S. Thomæ, eamdem prorogasset. Unde non possumus quin miremur hanc R. P. Lagrange conclusionem : « On peut donc dire qu'il en est plutôt le symbole. » Cum SS. Sacramentum Eucharistiæ non sit ex se, sed ex divina tantum institutione necessarium ad conservandam vitam spiritualem animæ, de eo æquo jure ac de arbore vitæ dicere posset R. Pater : « Il contribue à l'immortalité seulement *per accidens*. On peut donc dire qu'il en est plutôt le symbole ». In utroque enim casu agitur de medio non ex sese, sed ex divina tantùm institutione necessario ad conservandam vitam.

E Sacra Pœnitentiaria

I

SUSPENSIO FACULTATUM
vertente Anno Sancto

Bme Pater,

N.N. ad S.V. pedes provolutus, summa reverentia exponit Missionarios hujus Congregationis facultate gaudere Benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria fidelibus impertiendi post spiritualia exercitia et missiones ab ipsis datas; quæ facultas clare non perspicitur an teneat locum in præsenti Jubilæi anno. Hinc ut Missionarii recte se gerant in præfatæ facultatis usu, orator humiliter implorat sequentis dubii solutionem:

Utrum Missionarii præditi facultate dandi Christifidelibus Benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria conjunctam in fine suarum missionum et exercitiorum spiritualium, rite uti necne possint hac facultate perdurante Anno Sancto seu Jubilæi universalis?

Sacra Pœnitentiaria proposito dubio respondit: *Affirmative*, ita tamen ut indulgentiæ pro defunctis applicentur.

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 12 Februarii 1900.

A. Carcani, S. P. Reg.

Adnotatio. Ex hoc S. Pœnitentiariæ responso merito concluditur pari modo permanere facultatem qua gaudent *Episcopi* bis in anno Benedictionem Papalem cum indulgentia plenaria impertiendi. Cf. *Collationes*, T. V, p. 53; p. 193, nota 2; et p. 260.

C. V. C.

II

Quoties quis Jubilæum lucrari valeat.

R. P. Gætanus Sergio, Barnabita, hæc tria quæsita S. Pœnitentiariæ proposuit:

I. Utrum concessio lucrandi *bis* Jubilæum extendi possit ad plures vices vel etiam *toties quoties*.

II. Utrum personæ in Bulla nominatæ, ut claustrales et alii, qui impediuntur quominus Romam pergant et nihilominus hoc anno indulgentiam Jubilæi lucrari possunt, eam etiam anno proximo lucrari possint, cum extra Urbem extensa erit.

III. Utrum, qui hoc anno Romæ indulgentiam lucratus est, anno proximo eandem extra Urbem lucrari possit.

S. Pœnitentiaria, consideratis expositis, respondit:

Ad. I. Extra Urbem illi, quibus ex Bulla *Æterni Pastoris* licet consequi Jubilæum, bis tantum illud, iteratis operibus injunctis, intra anni Sancti decursum consequi possunt. In Urbe vero toties quoties.

Ad II. et III. Affirmative.

Datum Romæ in S. Pœnit. die 17 Martii 1900.

E S. R. et Univ. Inquisitione

I

Denegatur sanatio in radice pro matrimonio civili cum impedimento impotentiæ contracto.

Beatissime Pater!

Bertha catholica Archidiœcescos M. soluta, cum Titio acatholico pariter soluto, ex quinque circiter annis in concubinatu fide præstita et cum affectu maritali vivens, novissime, nempe mense septembri anni 1898, cum eo matrimonium, quod vocant civile, coram magistratu civili iniit. Ex ista conjunctione duæ proles exortæ sunt, quarum altera die 29 m. septembris 1894 nata et catholice baptizata est et educata, altera die 29 m. martii 1896 nata, paucis hebdomadis post nativitatem decessit.

Parocho dictæ Berthæ vehementer allaborante ut ad validum et licitum matrimonium adduceretur, tandem res in eo est ut dispensationi super religionis mixtæ impedimentum, præmissis debitis cautionibus, jam locus per se esse posset, nisi impedimentum perpetuæ impotentiæ intercessisset, ex eo proveniens, quod dictus Titius mense junio 1896 (i. e. duobus annis ante celebrationem matrimoni civilis) operatione chirurgica utroque teste privatus existit. Restare solum videtur,

ut ad dispensationem in radice conjunctionis petendam confugiatur. Revera intentio, seu consensus matrimonialis non defuit, nec saltem post contractum civile matrimonium extrinseca species matrimonii deest, adeo ut dictæ partes pro conjugibus communiter habeantur. Cum per sanationem saluti animæ resipiscentis et legitimitati prolis superstitis provideatur, denegata vero sanatione separatio minime fieri possit et gravissima scandala pertimescenda forent, ideo preces mulieris catholicæ pro obtinenda gratia enixe commendamus.

Feria V, loco IV, 8 Martii 1900.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab E^mis^ ac R^mis^ DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, omnibus rite diligenterque perpensis, iidem E^mi^ ac R^mi^ Patres respondendum mandarunt:

In casu exposito sanationem in radice concedi non posse; et ad mentem. Mens est quod cum matrimonium revalidari nequeat, putati conjuges illico separari deberent. Si vero hoc moraliter impossibile sit, saltem adhibitis cautelis sub eodem tecto cohabitent uti frater et soror. Quod vero ad canonicam prolis legitimationem, eam per rescriptum Principis rite expediendum concedi posse.

Sequenti vero feria VI, die 9 ejusdem mensis et anni, per facultates E^mo^ ac R^mo^ D^no^ Cardinali S. Officii Secretario concessas, SS^mus^ D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII resolutionem E^morum^ ac R^morum^ Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

Adnotationes. Ex principiis supra p. 354 sqq. expositis liquet quare in casu matrimonium revalidari non posset: obstat enim impedimentum dirimens juris naturæ, np. impotentia viri perpetua. Et quidem dictum impedimentum jam obtinebat eo momento quo consensus matrimonialis fuit præstitus, ideoque ipsa radix matrimonii erat insanabiliter inficiata. Unde etiamsi prætendas [quod tamen non videtur admittendum: cfr. suprà p. 357, *nota* (2)] consensum matrimonialem natura sua validum sed ratione impedimenti ecclesiastici irri-

tum, sanationis esse capacem, quamvis postea *supervenerit* impedimentum juris naturæ, hic nihilominus dictæ sanationi locus esse non poterat.

Quod autem additur prolis legitimationem per rescriptum *Principis* concedi posse, intellige *per rescriptum Rom. Pontificis;* nam per contractum sic dictum civile matrimonium legitimitas prolis, *quoad effectus civiles*, in tuto erat posita.

H. V. D. B.

II

Matrimonium contractum ab infideli converso, ob omissam interpellationem prioris uxoris infidelis nullum, non potest in radice sanari.

Beatissime Pater,

Curatus quidam Diœcesis N., ad S. V. pedes provolutus, sequentem casum exponit:

Titius, judæus, in infidelitate matrimonium contraxit cum muliere pariter infideli, a qua, dato libello repudii, in forma legali divortii sententia liberatus est. Quo facto, cum catholica Berta amores fovit, cum qua, postquam eadem ad hoc se coram magistratu civili *absque confessione* declaravit, civile consortium iniit anno 1887, quale matrimonium juxta leges civiles validum reputatur.

Conscientiæ morsibus ob defectionem suam a fide pressa, Berta in id intendit ut pseudo-virum suum ad fidem amplectendam permoveret, cum ex occasione cuncta facile componi posse Curatus ipsi exposuisset. Revera anno 1892 Titius baptizatus est, eodemque die matrimonium inter ipsum Titium et Bertam, quæ item Ecclesiæ reconciliata est, in facie Ecclesiæ celebrabatur, coram eodem Curato, qui tunc prioris matrimonii Titii in infidelitate contracti vinculum ex oblivione plane neglexit. Nunc autem ex simili casu, in quo ipsi interpellatio conjugis infidelis demandata fuerit, dictus Curatus erroris sui memor factus, defectum reparare studuit. Inquisitione enim facta, rescivit, priorem conjugem judæam adhuc vivere in loco N.; ast nec fidem amplecti velle, nec

cuicumque interpellationi responsum dare, cum matrimonium suum ex lege civili legitime solutum et alterum a Titio cum Berta coram magistratu civili initum pro valido reputet.

Proinde dictus Curatus humillime petit, ut ex Apostolicæ Sedis venia ab interpellatione conjugis infidelis in casu dispensetur, matrimoniumque inter Titium et Bertam, ut supra in facie Ecclesiæ post Baptismum viri initum, in radice sanetur.

Et Deus etc.

Feria IV, die 17 Januarii 1900.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab EE. ac RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis antedictis precibus, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, omnibus rite accurateque perpensis, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Dummodo constet ex processu saltem summario, mulierem nullum responsum dare voluisse, matrimonium contrahi posse, et ad mentem. — Mens est, in hoc casu non dari locum dispensationi in radice: nam adhuc viget prius matrimonium in infidelitate contractum; quod non dissolvitur, nisi quando post conversionem et interpellationem inutiliter factam, novum ac validum contractum fuerit matrimonium. (1)

Sequenti vero feria VI, die 19 ejusdem mensis Januarii, in

---

(1) Huic S. C. responso subjicit *Il. monitore Ecclesiastico* (An. XXIV, fasc. 12) sequentes adnotationes (ex italico versas, ap, *Anal. eccl.* an. 1900, p. 105): « Ex hac responsione, firmantur sequentia principia relate ad Privilegium Paulinum, scilicet: 1. Ut adhiberi possit, necessario fieri debet interpellatio quoad partem quæ in infidelitate remanet. — 2. Quoties hæc interpellatio impossibilis est aut inutilis, requiritur dispensatio S. Sedis. — 3. Hæc autem dispensatio non conceditur nisi quando impossibilitas aut inutilitas interpellationis demonstratur ex processu saltem summario. — 4. Matrimonium inter infideles contractum, non solvitur vigore hujus privilegii, nisi quando pars conversa novum de facto contraxit matrimonium. — 5. Quando igitur non obtenta fuit dispensatio super interpellatione, nequit concedi sanatio in radice, sed matrimonium debet iterum celebrari ».

Nequit autem concedi sanatio in radice, quia obstat impedimentum juris naturalis, nimirum impedimentum ligaminis. Vid. suprà p. 387, coll. p. 356 *nota* (1).

solita audientia SSmi Dni Nri Leonis Div. Prov. Pp. XIII ab Adsessore S. Officii habita, SSmus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

E S. Rituum Congregatione

VICEN.

Ad quandam controversiam tollendam circa interpretationem decretorum 3903 *Aucto* 8 Junii 1896 (1) et 3944 *Romana* 12 Januarii 1897 (2) quoad Missas lectas de Requie, hodiernus Cæremoniarum magister Basilicæ Cathedralis Vicensis in Hispania, de consensu sui Rmi Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime exposuit; nimirum:

I. Utrum ex enunciatis decretis Missæ lectæ, quæ a Sacerdotibus celebrantur in Ecclesiis et Oratoriis civitatis pro defuncto, cadavere insepulto vel sepulto non ultra biduum a die obitus seu depositionis, celebrari valeant de *Requie,* dummodo in parochiali Ecclesia fiat funus cum Missa exequiali; an hoc privilegium sit proprium tantummodo Ecclesiæ, in qua funus peragitur cum sua Missa exequiali?

II. Utrum quilibet Sacerdos possit unam tantum Missam de Requie celebrare, vel plures, diversis diebus, dummodo cadaver sit insepultum non ultra biduum?

III. Utrum pro defuncto, qui morabatur in civitate et obierit extra civitatem, possint etiam in ipsa civitate prædictæ Missæ lectæ de Requie celebrari?

IV. Quomodo intelligenda sit præsentia physica vel moralis requisita in decretis suprarelatis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicæ, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

---

(1) Vide *Collat. Brugen.*, 1896, p. 474.
(2) Vide *Collat. Brugen.*, 1897, p. 281.

Ad II. Stetur Decretis.

Ad III. et IV. Provisum in præcedentibus; et Missæ privatæ de Requie nonnisi in Ecclesia vel Oratorio publico permittuntur ubi fit funus cum Missa exequiali : in Oratoriis autem privatis Missæ, quæ ibidem legi permittuntur, possunt esse de Requie, præsente cadavere in domo ; servatis ceteris clausulis et conditionibus.

Atque ita rescripsit. Die 3 Aprilis 1900.

Cai. Card. Aloisi-Masella S. R. C. *Pro-Præf.*

L. ✠ S. D. Panici S. R. C. *Secret.*

Fabriques d'église

En exécution de l'article 10 du décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabrique doivent se réunir en séance ordinaire le Dimanche, 1er Juillet prochain. L'avertissement de la séance sera publié, le Dimanche *précédent*, au prône de la grand'messe.

C'est à la réunion de Juillet, au plus tard, que le conseil examine le budget de la fabrique, qui doit être, avant le 15 Août, transmis au conseil communal. Art. 47 du décret combiné avec l'art. 1er de la loi du 4 Mars 1870.

Nous engageons vivement les administrations intéressées à ne pas perdre de vue, dans la confection et l'examen du budget, les observations que nous avons précédemment faites. Cf. *Collationes*, T. I, pp. 309 et 368; T. II, p. 349.

C. V. C.

Eléments d'économie sociale agricole à l'usage des écoles ménagères, des écoles d'agriculture et des syndicats agricoles, par GEORGES MALHERBE, Secrétaire du Cercle d'études sociales de Binche, et C. SCHREIBER, Ingénieur agricole et agronome de l'Etat. — Gr. in 8° p. 128. — Prix 1 franc.

Le Cercle d'Etudes Sociales de Binche, fondé par

M. l'abbé G. Malherbe, a publié et répandu depuis sa fondation plus de deux cent mille brochures sur la question sociale. Les membres zélés de ce cercle modèle visent avant tout à publier de petits ouvrages de propagande, clairs et méthodiques, concernant les œuvres économiques et sociales (1). Les éloges flatteurs que plusieurs de ces excellentes brochures ont valu à leurs auteurs, le patronage officiel du Gouvernement qu'elles ont obtenu, ainsi que les éditions successives rapidement épuisées, tout cela prouve que le succès couronne les efforts intelligents des membres du Cercle de Binche.

Parmi ces nombreuses publications, les « Eléments d'économie sociale agricole » méritent une mention spéciale. MM. Malherbe et Schreiber ont condensé dans ce volume la matière de plusieurs études monographiques qu'ils avaient publiées antérieurement. L'importance et l'actualité de la question agraire en Belgique justifient de tout point cette étude d'ensemble. La partie théorique de l'ouvrage est très restreinte, a notre avis trop restreinte. Les « Eléments » sont plutôt un guide pratique pour les différentes institutions économiques (unions professionnelles agricoles; œuvres de prévoyance et d'assurance agricole, mutualités, coopératives, syndicats) que l'on peut créer en faveur des populations rurales. Cet ouvrage, clair et concis n'est pas seulement un bon manuel, il sera encore d'une réelle utilité à tous ceux qui sont appelés à fonder et à diriger des œuvres économiques à la campagne.

A. C.

---

(1) Les publications les plus utiles éditées par le Cercle sont les suivantes: *Les Caisses de crédit agricole, système Raiffeisen*, par l'abbé J. Trigaut. — *Les Syndicats agricoles*, par G. Malherbe. — *L'assurance du bétail*, par Octave Bonzin. — *Les syndicats professionnels ouvriers*, par G. Malherbe. — *Les sociétés d'habitations ouvrières*, guide pratique par G. Pourbaix. — *L'assurance et la réassurance du bétail*, par Malherbe et Schreiber. — *Les Syndicats de laiteries*, par Malherbe et Schreiber. — *Les mutualités familiales* par Malherbe. — *Les mutualités pour enfants*, par Malherbe et F. Fourez; etc. etc.

A. Guillaume S. J. *Les promesses du S. Cœur de Jésus.* Ap. Casterman, Tornaci, in-12, 156 pp.

Opusculum illud calamo polito conscriptum tredecim « instructionibus » explanat sensum et magnitudinem promissionum a Christo factarum, prout exhiberi solent in vulgatis summariis. De duodecima, quæ « major » vocari consuevit promissio, duplicem habet expositionem, de sensu nempe litterali quem nimis presse nobis videtur urgere, et de sensu theologico, ubi quædam plura v. g. de dispositionibus desideraremus. Generatim tamen, ordine et modo qui lectori et concionatori placebit, doctrinam solidam clare et sobrie exponit, ita ut nobis prævalere videatur operi, quod de eadem materia conscripsit R. P. J. Frecenon, *Les promesses du Cœur de Jésus.*

Quum autem laudatus auctor præprimis intendat instruere zelatores, dolendum nobis videtur vix ullum in toto opusculo inveniri verbum de illarum authentia (1), ne ullo modo æquiparari possint multis aliis revelationibus et promissionibus, de quarum valore merito maxima dubia moveri possunt et debent. (2)

Pro usu maxime personali sacerdotum opusculum valde commendandum conscripsit **R. P. A. Vermeersch S. J.**, Theologiæ professor Lovaniensis, aliis operibus jam notissimus, cui titulus: *La consécration au Sacré Cœur de Jésus* (3), in quo, dilucide exposito quid sit illa consecratio et quomodo sit instituenda, tradit « vingt-sept méditations sur les offices du S. Cœur », quæ exhibent summarie et vivide amplam ac solidam optimæ meditationis materiam, quæ etiam concionibus non raro accommodari poterit.

C. C.

(1) Cf. tamen p. 129.
(2) Cf. *Collat. Brug.* II, pp. 219, 269 et 334 sqq.
(3) Tornaci, ap. Casterman, 210 pp.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 29 Maii 1900, in Palatio Episcopali Brugis

Post Missam, omnes Amplissimi ac reverendi adm. Domini præsentes in aulam palatii majorem convenerunt, ubi, recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ D^nus^ venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Amplissimi Domini ac dilectissimi Cooperatores,

Cum nostrum imprimis sit populum nobis commissum verbo et exemplo docere viam salutis, eumque continuo monere atque adhortari ut fideliter observet quæcumque ad beatum finem obtinendum divinis humanisque legibus statuta sunt, subsidia quoque et adjumenta ad eumdem finem attingendum necessaria et utilia eidem suggerere vel et ministrare; nemo non videt quanti momenti sit ut nos ipsi priores, munium nostrorum conscii, summa cum solertia ac diligentia omnia præstemus quæ a nobis præstanda definiuntur, omnia vitemus quæ muneri adimplendo impedimento esse possint, præsidia quoque et auxilia nobis oblata sedulo ac perseveranter adhibeamus.

Neque umquam animo despondeamus, nec a proprio munere nostro implendo recedamus, dicentes: Quid prodest hortari, imo et jubere, monita monitis addere, quoniam cum intimo cordis dolore experimur multos e grege nobis commisso, et vel ex ipsis sacerdotibus nonnumquam nobis subjectis, inertes, negligentes, obliviosos, iisdem defectibus vitiisque inhærentes, eadem socordia quod muneris sui est, quodque adeo præcipuum est, imo quod solum occupare mentem deberet, vix attendentes, dum multis aliis vanis ac inutilibus rebus vacare seu potius tempus terere eos minime pudet. Non ideo recedamus a nobis imposito munere, a proprio nostro debito, sed insistamus monitis atque hortamentis, opportune et importune iterantes verba salutis, quæ

licet illi prolata non videantur audivisse, quæ scripta non videantur legisse.

Itaque, Reverendi admodum ac dilectissimi Domini, rogamus vos ut frequenter in memoriam revocare velitis tum Cleri, tum populi vobis commissi, quæ olim vos in cœtum prosynodalem congregatos alloquentes proposuimus, quæ quidem, quod præprimis dilectos sacerdotes nostros attinet, ea omnia Nobis videntur continere quæ ad propriam cleri sanctificationem et ad gregis profectum ac salutem maxime necessaria atque proficua sunt. Ideo mens nostra non est nova in hoc nostro sermone proferre, ne videamur iis assentire qui vel vix summis labiis legunt, vel semel perlecta quantocius oblivioni tradi posse putant, quæ vera semper, quæ solida ac firma, quæ usque agendi rationi recte instituendæ accommoda, nunquam veterascunt, quæque, etiamsi nihil addatur novi, dummodo in actum sedulo deducantur, vel per se sufficere vel alia quæque necessaria atque utilia natura quasi secum adducere haud temere affirmatur.

*
* *

Re quidem vera, quid deesse poterit sacerdoti, quid ovibus illi commissis, cujus imprimis intellectus, fide divina illustratus, sedulo vacans studio rerum divinarum et meditationi agendorum, quasi lucerna ardens omnibus viis suis prælucet, ut cuncta opera juxta fidei ac prudentiæ christianæ normam disponantur et executioni mandentur; qui deinde virtute temperantiæ, id est, sobrietatis maxime et castitatis, verbo, integritate morum, omnia mundi et carnis, hostis præcipui, pericula declinat, simulque fidelibus exemplo est eorumque fiduciam sibi omnimodam conciliat; cui tandem quotidie, principi Dei beneficio, quo subsidia quævis et auxilia sibi suisque abundantissime continentur, sacrosanctum sacrificium sancte Deo offerre conceditur? Ut iterum dicamus, quid jam deesse videtur? Quid novi proponere nos decet, antequam viderimus omnes sacerdotes nostros iis præscriptis et monitis fideliter inhærere?

Agite ergo, non addamus nova, sed de iisdem illis majoris momenti rebus jam olim, jam iteratis vicibus propositis, sacrarum Litterarum sanctorumque Doctorum ac Præsulum doctrinam seu sententias quasdam breviter adjiciamus, quas

Nobiscum sæpius, Rev. adm. ac dilmi Domini, dilecto Clero nostro commendare velitis.

I. Et de assiduitate quidem in studiis theologicis, audite sanctum Pontificem, Pastorem eximium, Carolum Borromæum (1): « Proponite primum vobis ob oculos status vestri conditionem, ecclesiastici ordinis homines estis; quodsi in christianis omnibus studium aliquod, cælestiumque rerum scientia quædam necessaria est; quanto magis in vobis, e quorum ore populus scientiam requirit? Jam vero ex iis, quæ supra commemoravimus, audistis, ad vos pertinere verbi prædicationem: id quo tandem modo fiet, si minus studia colitis? Vestrum est, fidelium mentes christianæ fidei mysteriis, et divinæ legis præceptis instruere: qua sane ratione id fiet, neglectis studiis? Vestrum est, Sacramentorum vim et usum explicare: quo id pacto fiet, neglectis studiis? An non fidelium mentes ad cælestium rerum cognitionem erigere vos convenit, an non a terrenis abducere? an non populum a male agendo deterrere? an non eumdem ad virtutes, in primis vero ad Dei proximique caritatem inflammare oportet? Docendum vobis sæpe est, quod sit proprium uniuscujusque officium, patris, filii, viri, uxoris, domini, servi et reliquorum denique cujusvis ætatis et ordinis hominum. Has officii vestri partes prætermittere, vel deserere sine maxima vestra culpa non potestis; quod tamen sæpe committitur imperitia atque ignoratione earum rerum, quas vestrum est nosse. Excitate igitur vos ad eam doctrinam, quam Ordinis vestri dignitas deposcit. Quod ut faciatis, Spiritus sancti voces per Paulum Apostolum vos incitant: Attendite lectioni, exhortationi et doctrinæ. Prædicate, et docete, passim in Evangeliis dictum est. Sed nimis longum esset, locos, qui innumeri sunt, e sacris litteris afferre, quibus quædam quasi necessitas percipiendæ doctrinæ ecclesiasticis hominibus imponitur. Videte igitur, quid in hoc genere præstandum vobis est, hocque diligentius propterea sacrarum litterarum studium colite; quod usque adeo complecti debetis, ut contra eum, qui aspernetur, dicat Dominus: « Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. »

---

(1) *Orat. in Syn. Diœc.* II.

Videtis non sine optima ratione nos ab initio suscepti oneris episcopalis ad hoc mentem et vires intendisse ut omni ope et opera sacerdotes nostros dilectos incitaremus quam efficacissime ut studiis sacris sedulo vacarent, nec sine spe pretiosi fructus eos denuo hortari ut litteras nostras de præstantia et necessitate studiorum theologicorum (1) identidem relegant; quamquam non sine quodam animi dolore experti sumus a quibusdam, in quibus id revera mirum atque inexspectatum nobis visum est, rei momentum non omnino perspici, qui ægre, non quidem jussis, sed consiliis et hortationibus nostris morem gerere visi sunt, iisque quæ Nobis legitime placere sciunt veluti reluctari videntur, cum tamen non pro libitu, sed optima ratione, invocatoque lumine Spiritus sancti, vi muneris nostri id egerimus quod egimus.

II. Quod temperantiam attinet, et primo quidem in cibo et potu, ingentia gulæ damna ita enumerat Card. Bona (2): « Hinc stupor, languor, tædium; hinc scurrilitas, loquacitas, dissolutio; hinc immunditia, rixæ, contentiones; hinc mentis hebetudo, destructio omnium virtutum; hinc rei familiaris profusio; hinc egestas; hinc longa morborum series, et ipsa denique mors graviori ciborum sarcina accelerata. »

Ne igitur umquam nos arguat Deus, sicut olim Moyses populum Israëliticum: « Incrassatus est dilectus et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo » (3). Audiamus Spiritus sancti monita: « Noli avidus esse in omni epulatione, et te non effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad coleram. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam » (Eccli. XXXVII, 32 et seqq.). Et D. Paulus: « Nolite, *ait,* inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto » (Ephes. V, 18); ac denique D. Petrus: « Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit,

---

(1) Vid. *Coll. Epist. past.*, Tom. XVI. p. 238, et *Collat. Brugen.*, Tom. I, p. 1.

(2) *Manud. ad cœlum,* c. 4, n. 1.

(3) *Deut.,* XXXII, 15.

quærens, quem devoret » (I Petr. V, 8). Unde S. Nilus (Sent. tropol.): « Ventri, quantum indiget, non quantum cupit, impende », et clericus semper cum D. Paulo recogitet: « Non est regnum Dei esca et potus » (Rom. XIV, 17), mensamque suam ita instruat, ut necessitati sufficiat, non gulæ, et nec avaritiam sapiat, nec prodigalitatem; et illud S. Leonis P. (Serm. 2 de jejunio decimi mensis) optime applicaverit: « Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abstinentia jejunantis, vel sobrie epulantis. »

Quid vero de castitate dicendum, cujus ipse sacerdos apud populum vindex et exemplum haberi debet et solet, cujus præconium ipse populo proloquitur, cujus necessitas omnimoda et præeminentia tam evidens elucet? Quid de luxuria, cujus pericula, etsi tanta tamque multiplicia et insidiosa sint, non satis attenduntur atque timentur, cum deberemus ab iis etiam a longe, quasi a facie colubri et vel ad solam speciem, trepidare atque refugere? Quid, cum hoc vitium sit præcipue sacerdoti causa ingentis ac fere irreparabilis ruinæ. « O sacerdos! sacerdos! exclamat S. Carolus Borromæus (1), adstant illic infinita Angelorum millia et Dominum venerantur, ac coram eo incurvantur; dæmones contremiscunt, et tu, fætidissimus, non dubitas accedere ante talem Majestatem, et tam familiariter Deum ipsum tractare? nec vereris, ne, quod illi, qui ad nuptias intraverat vestem nuptialem non habens, factum fuit, tibi quoque id fiat, ut scilicet tortoribus tradaris « in tenebras exteriores ligatis manibus et pedibus » conjiciendus? Sed hac de re ulterius verba facere præ dolore et tantæ audaciæ horrore impedior. Cogitent hæc intra se singuli, etc. »

III. Tandem, de sanctissima eucharistia, tamquam arbore vitæ, in medio paradisi sanctæ Ecclesiæ plantata, et tum nobis, tum populo, fructum immortalitatis proferente, non est cur longum addamus sermonem, cum sacerdotibus nostris in sacro secessu, in diversis locis ubicumque sacris exercitationibus vacabant, olim de hoc sancto mysterio longius tractaverimus, et rursum ante annum in hoc cœtu prosynodali, quam quidem concionem conscriptam in omnium

(1) *Orat.* II *in Syn. Diœc.* XI.

manibus versari curavimus. Unum repetimus, quod iterum iterumque in illa concione dicebamus: O sacerdotes nostri dilectissimi, si sanctissima illa mysteria sanctissime celebraveritis, hoc solum sufficit! Hoc ut efficacius obtineatur, brevi prodibit cura et opera Amplissimi Domini Præsidis Seminarii nostri majoris vere aurea opella, continens, præter dissertationem nostram de excellentia mysterii eucharistici, præclaram et ex optimis fontibus haustam explicationem cæremoniarum Missæ, necnon seriem meditationum et examinum recollectioni menstruæ accomodatam, quam quidem opellam omnium sacerdotum manibus teri vehementer optamus, oramusque Vos, reverendi admodum ac dilectissimi Domini, ut omnibus instanter commendare velitis.

Ut finem imponentes orationi, aliquid tamen novi adjiciamus, genericam quamdam animi dispositionem tamquam optimam commendamus quam et Vos, Rev. adm. ac dilectissimi Domini, sæpius inculcare dilecto Clero nostro ne omittatis. Cum enim de recta et pura mentis intentione, quæ in agendo omnimode pretiosa est, olim dixerimus, nunc de illo habitu mentis verbulum addimus qui certa debiti conscientia et vivida apprehensione ac veluti sensu obligationis implendæ constat, vi cujus nulla nobis requies sit, donec muneri debito satisfecerimus. O si omnes nos continuo occuparet ac urgeret vividus ille sensus debiti muneris, videre non esset sacerdotes munia sua perfunctorio modo, negligenter, ex mera consuetudine, sine ullo ad Deum respectu obeuntes; videre non esset lentos, desides et inertes, qui superiorum jussis atque consiliis vix attendunt, qui operibus iterato commendatis vix manum admovent, qui documenta et relationes ab ipsis sive generali statuto sive speciali etiam interpellatione petita aut non conficiunt aut nonnisi tardius et denuo interpellati mittunt, qui pecunias colligendas vel non colligunt vel tempore opportuno non mittunt, qui, moniti a Rev. adm. Decanis ecclesias et parochias visitantibus, defectus, omissiones, inordinationes in rebus quibusvis sine emendatione usque relinquunt. Videre non esset qui sine justa causa oves suas derelinquunt et sæpius a parochia sua absunt; qui sine studio et præparatione apostolicum munus docendi ac prædicandi obeunt, adeoque sine zelo, sine sacra unctione, sine fructu, et ex

sterili pectore eructant quod nonnumquam magis offendit quam ædificet; qui pueros docere, tum in scholis tum in ecclesia, licet post tot monita conscii esse debeant summi momenti et gravitatis hujus muneris, plane negligunt; qui, toties admoniti de conferentia spirituali danda sanctimonialibus, per menses et annos eamdem omittunt. Videre non esset qui, quovis quæsito colore et prætextu, effusi sunt in res externas, vanas et inutiles, vel et in opera externa, laudabilia quidem et necessaria, ita incumbunt ut nullum jam tempus impendatur recollectioni animi, studio theologiæ et sanctæ meditationi, ut vel ipsa oratio canonica ad ultimum diei tempus remittatur et vix orationis nomen mereatur; ut ministerium tam salubre tamque difficile sacri tribunalis, multis cum defectibus ex ignorantia et negligentia prorsus infructuose et absque ædificatione pœnitentium ipsiusque confessarii, ne plus dicam, exerceatur. Videre non esset, qui in cæteris sacris functionibus, ipsoque tremendo sacrificio, modo tam indecenti, tam parum præparati, tam misere distracti sanctissima ita agunt ac cursim absolvunt ac si actio esset prorsus profana.

Rev. adm. ac dilectissimi Domini Decani, oro vos et obsecro in Domino, ut una Nobiscum invigilare non desinatis, opportune et importune moneatis vobis commissos sacerdotes eorumque greges, arguendo, obsecrando, increpando, ut magis magisque floreat, præprimis in clero, studium rerum cælestium, vigeat morum integritas, summo cum decore ac sanctitate sacræ Eucharistiæ ac divini sacrificii mysteria celebrentur, omnis socordia atque negligentia excutiatur, iis in specie attentis per singula quæ breviter enumeravimus.

Quod quidem nobis agere concedat Deus omnipotens per Filium suum, Salvatorem nostrum, in Spiritu sancto. Amen.

I.

Omnibus ad quos spectat in memoriam revocamus articulum IX statutorum Associationis, quam in extirpationem blasphemiarum et imprecationum, in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis Diœcesis Brugensis erigendam vel de novo instituendam curavit venerabilis Decessor noster R^mus^ D^nus^

J. B. Malou, epistola sua pastorali de die 26 Decembris 1857 (1); quem articulum legere est in *Libro manuali*, p. 27.

Mens nostra est ut, in finem indicatum, eligatur Dominica secunda cujusvis mensis, cultui SS. Nominis ab antiquo dicata, exposito etiam ab initio Vesperarum SS. Sacramento, ubi id expedire judicatur; in laudibus vespertinis, ante ultimam benedictionem, e cathedra prælegetur actus reparationis, quem in nova *Libri manualis* editione inseri curabimus.

II.

Omnibus confessariis in hac Diœcesi admissis, pro territorio in quo jurisdictionem exercent, concedimus facultatem absolvendi a casibus Episcopo reservatis, Dominica prima Quadragesimæ et pridie.

III.

Vi statutorum Diœcesis, monialibus quæ, cum superiorissæ licentia, ad tempus extra monasterium versantur, in confessarios assignantur respectivi locorum parochi (2); hos autem in tali casu gaudere declaramus facultatibus, quæ competunt confessariis ordinariis communitatum religiosarum hujus Diœcesis. Parocho infirmitate aliave de causa impedito, iisdem monialibus in casu accedere liceat ad quemlibet confessarium, cui easdem ut supra facultates concedimus.

IV.

Quæ in *Libro manuali*, pp. 141 sq. (ex Act. Congr. Pros. an. 1898, art. VI) ordinata sunt quoad durationem jurisdictionis Coadjutoris, moriente Parocho vel Viceparocho cui auxilio erat, jam extendimus ad casum quo idem Parochus vel Viceparochus officium dimiserit vel ad aliud munus fuerit deputatus.

V.

Præcipimus ut deinceps in unaquaque ecclesia habeatur *Liber memorialis*, in quo consignentur quæcumque memoratu digna sunt, et scitu necessaria ac utilia iis qui ad regimen

(1) *Coll. Epist. past.*, Tom. IX, pp. 212 sq
(2) Part. I, tit. VI, art. VIII.

ecclesiæ in vicem vocantur. Idem liber tum Decano, tum Episcopo, ecclesiam visitantibus erit exhibendus.

Ut autem ratio libri exarandi breviter indicetur, sequentia addimus, declarationis gratia:

Inscribatur ecclesiæ novæ constructio, vel existentis reædificatio, restauratio; fiat novorum altarium, tabernaculi, suggesti, cæterorum utensilium præcipuorum et ornamentorum descriptio, cum nominibus benefactorum, etc.

Memoria fiat consecrationis aut benedictionis ecclesiæ, altarium, cœmeterii, campanæ; jubilæi vel missionis traditæ, visitationis Episcopi et Decani, cum mandatis ab iis specialiter datis. Consignentur mutationes Rectoris et Cleri. Memoretur nova erectio scholarum, congregationum, patrociniorum aliorumque operum, confraternitatum, etc., cum notatione temporum, adjunctorum, rerum notabilium; item nova acquisitio sanctarum reliquiarum, et indulgentiarum.

Singulis annis inscribatur status animarum, qualis ad Episcopum transmitti debet, et recensio parochiæ, qualis occasione neo-anni a multis parochis cum fidelibus communicari solet, addito numero SS. Communionum distributarum, etc.

Hæc exempli et explicationis causa.

Circa præterita consignanda vel narranda nihil præcipimus; vehementer autem commendamus diligentibus nostris Parochis, ut altero volumine libri memorialis, quantum fieri potest, historia præterita parochiæ conficiatur, agendo de ejus denominatione, antiquitate, fundatione, traditionibus, etc., etc., necnon de supra memoratis, quæ ante hoc nostrum præceptum extiterant aut facta sunt.

VI.

Deinceps orationi imperatæ *Defende, quæsumus*, etc., substituatur oratio imperata pro Papa.

VII.

Uti litteris nostris diei 10 Februarii nuper elapsi monuimus, speciale tributum, quod, in favorem Universitatis catholicæ Lovaniensis, a dilecto Clero rogandum decreverunt Episcopi Belgii, solvendum est *præter* taxam ordinariam, quam indicat epistola nostra ad Clerum, de die 25 Januarii 1899.

Datum Brugis, 11 Junii 1900.

† G. J., Episc. Brugen.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

—

I

Explana I Jo. V, 16: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.*

II

Expone quodnam sit objectum cultus SS. Cordis Jesu.

III

Titio et Caia, absque ulla dispensatione matrimonio copulatis, detegit parochus Titium olim, in extera regione, cum Caia civiliter junctum in concubinatu vixisse, adhuc superstite uxore legitima postea defuncta, Caiam vero quondam carnaliter fuisse cognitam a fratre præfati Titii.

Determina quænam impedimenta obfuerint matrimonio Titii et Caiæ, et utrum Episcopi Belgii, extra mortis articulum et urgentem necessitatem, in illis dispensare valeant indica.

IV

Antonius nuptias ambit cum Bertha consobrina germana, et, dispensatione Romæ obtenta et fulminata, triduo ante nuptias confitetur vicepastori sese copulam habuisse carnalem cum filia sponsæ suæ.

Quò recurret vicepastor et *quomodo* pro opportuno remedio?

V

Ex spontanea Pauli pœnitentis confessione et prudenti interrogatione facta, reperit confessarius ipsum

Paulum, post mortem prioris conjugis, ante 20 ferme annos, prævie obtenta dispensatione in affinitate, novum iniisse matrimonium cum Anna sorore uxoris defunctæ, postquam, inde a morte prioris compartis, etiam post dispensationem Romæ petitam, cum dicta Anna luxuriose fuerit conversatus.

An et quare valida fuit dispensatio olim impertita, et quanam via, si opus sit, procurabit confessarius ejusdem convalidationem?

VI

An et quare excommunicationem incurrunt illi qui nomen dant sectæ *Socialistàrum?*

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

I

Q. *An et quare benè fecit Razias semetipsum occidendo, uti narratur II Machab. XIV, 41-46?*

R. Narratio ista sic sonat: 41 *Turbis autem irruere in domum ejus, et januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum jam comprehenderetur, gladio se petiit: 42 Eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis injuriis agi. 43 Sed cum per festinationem non certò ictu plagam dedisset, et turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas: 44 Quibus velociter locum dantibus casui ejus, venit per mediam cervicem: 45 Et cum adhuc spiraret, accensus animo, surrexit: et cum sanguis ejus magno fluxu deflueret,*

et gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit: 46 Et stans supra quamdam petram præruptam, et jam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.

Razias igitur semetipsum *positivè* et *directè* confecit: *primò* enim gladio se petiit (v. 41); *secundò* ex muro se præcipitavit (v. 43); *tertio* sese evisceravit (v. 46). Necavit autem semetipsum, ut *ne subditus fieret peccatoribus, et contra natales suos indignis injuriis ageretur* (v. 42). Jam vero communis est theologorum sententia « haud licere, absque Dei consensu, se *positivè* et *directe* occidere ad quævis mala vitanda, aut quævis bona consequenda, cum non sit faciendum peccatum vel minimum, ad maxima quævis mala, imo peccata, vitanda, aut bona summa consequenda ». Ill^mus^ ac Rev^mus^ D. Waffelaert, *De Justitia*, t. II, p. 33, n. 30. Nisi igitur *instinctu divino,* aut *bonâ fide* egerit Razias, dicendus est graviter peccasse.

Jam vero, S. Augustinus lib. II *contra Epist. Gaudentii*, cap. XXIII, eò propendet ut censeat Raziam graviter peccasse: « Humilitatem, inquit, inter manus inimicorum non valens ferre, non plane sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum ». Et inferius « Unde illi tanquam homini subrepsit humilitatis impatientia, ut prius mori vellet, quam hostibus subjici. Dictum est quod elegerit nobiliter mori: melius vellet humiliter, sic enim utiliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consuevit, sed viros fortes hujus sæculi, non martyres Christi. Dictum est quod se viriliter de muro præcipitavit in turbas, nec nos dicimus eum hoc fecisse muliebriter, quamquam vos qui multum exemplo isto profecistis, etiam feminas vestras hoc fecisse docuistis. Sed fatemur etiam ipsas hoc non facere muliebriter, sed viriliter; non tamen salubriter, quia non

fideliter. » Pariter S. Thomas, II, II, q. LXIV, a. 5. « Ad quintum dicendum quòd ad fortitudinem pertinet quòd aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, et ut vitet peccatum; sed quòd aliquis sibi ipsi inferat mortem, ut vitet mala pœnalia, habet quidem quamdam speciem fortitudinis (propter quod quidam seipsos interfecerunt, æstimantes se fortiter agere, de quorum numero Razias fuit), non tamen est vera fortitudo, sed magis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia sustinere. »

Communior tamen Interpretum sententia est Raziam *materialiter* quidem peccasse, non tamen *formaliter*.

Et re quidem vera :

1. Se occidere ad maxima mala vitanda, aut bona consequenda, non est ita evidens esse peccatum, quin inculpatè possit ignorari, et putari licitum, cum non solùm plerique ethnici, præsertim Stoici, sed nonnulli etiam christiani, etsi doctissimi, ita videantur sensisse. Sic S. Hieronymus, in cap. 1 *Jonæ :* « Unde, ait, in persecutionibus non licet propria perire manu, *absque eo, ubi castitas periclitatur* », ubi satis innuit in in periculo castitatis id licere. Pariter S. Ambrosius, lib. III, *De Virgin.*, Eusebius, lib. VIII *Histor.* cap. XII et XVII, et Palladius in *Lausiaca* cap. CL laudant feminas quæ se occiderunt ne violarentur. Neque id tribuunt divinæ inspirationi, sed laudant factum tamquam honestum ob talem finem. « Sic ergo, concludit a Lapide, et Razias per ignorantiam excusandus videtur à peccato, præsertim quia ipse erat quasi caput senatus, et princeps Israëlis; unde ludibria illi ab Antiocho irroganda senatui et toti Israëli irrogata fuissent; maluit ergo mori, quam se totumque Israëlem injuriis et ludibrio regis idololatræ exponere. Adde, potuisse regem fingere Raziam à Judaismo apostatasse : quæ res multos Judæorum commovisset, ut ejus exemplum sequerentur, et apostatarent. Insuper poterat metuere Razias ne acerbitate tormentorum victus cederet Antiocho, et

verè à fide apostataret, quod ingens fuisset toti Israeli scandalum. Quare prudenter videbatur sibi facturus, si hæc omnia pericula et damna voluntaria morte abscinderet. »

2. Præterquam quòd admodùm pia fuit Raziæ intentio (v. 42), accedit quod hîc à virtute et probitate eximiâ multùm commendatur, utpote qui antehac fuerit « v. 37 *amator civitatis, et benè audiens: qui pro affectu pater Judæorum appellabatur. v. 38. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Judaismo, corpusque et animam tradere contentus pro perseverantia.* » Verisimile non est virum piissimum, gentis suæ amantissimum, patriæ religionis ac legis studiosissimum et tenacissimum, in tantum subitò facinus prolapsum esse, ut contra legem Dei, cum ingenti populi sui scandalo, sciens volensque graviter peccaverit; præsertim cum nullum ex una parte occurrat apud sacrum Auctorem vituperationis indicium, ex altera vero parte ab Auctore sacro laudari aut saltem excusari videatur illius agendi ratio v. 42: *Eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis injuriis agi... 43 recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas.*

3. Idem suadet pia jam moribundi oratio, quâ v. 46 *invocavit dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc* (intestina sua) *illi iterum redderet.* Hac precatione non simpliciter petivit corporis sui restitutionem per communem omnibus resurrectionem, sed resurrectionem *beatam*, seu *ad vitam.* Durum autem videtur asserere Raziam eodem temporis momento tam piè orasse, tamque grave scelus committere voluisse.

Ex his concludendum videtur Raziam semetipsum occidendo non peccasse graviter, saltem *formaliter.* Ast non desunt auctores v. g. Franciscus Victoria, Lirinus, Serarius, Tirinus, qui eum a peccato etiam *materiali* vindicent, eò quod *ex Spiritus Sancti instinctu* voluntariam sibi mortem consciverit. Præcipuum eorum

argumentum est quòd Auctor sacer, esto Raziam signatè non laudet, signatè tamen nullatenus vituperet, imo eo modo narrationem totam instituat, ut ab eo, qui laudare absolutè vellet, vix in simplici minimeque oratoria oratione laudari aliter potuisset: ubique enim adverbia, quæ laudationis aliquid habeant, inseruntur, nulla vero omnino particula, quæ vituperet, aut reprehendat. « Suadet id sacri scriptoris, seu Spiritus Sancti, eximia laus quà factum hoc Raziæ prosequitur. Dicit v. 42 *nobiliter*, v. 43 *audacter* et *viriliter* egisse... Et verò falsum esset, *viriliter nobiliterque* egisse, nisi Spiritùs Sancti instinctu id egisset, cum prorsus abjecti pusillique animi sit sui ipsius occisio et carnificina » Tirinus. Et re quidem vera, affirmatio Auctoris sacri non cadit in subjectivam Raziæ æstimationem, sed in factum ejus objectivè consideratum. Non enim dicit: *æstimans* sese *nobiliter*, *audacter* et *viriliter* agere, sed: *Eligens nobiliter mori.... recurrens audacter... præcipitavit semetipsum viriliter...* Talia autem verba non videntur esse excusantis tantum (ob bonam fidem), sed simpliciter et absolute laudantis atque probantis. Neque necesse erat divini instinctus expressam mentionem facere, cum ex una parte satis notum esset nemini licere sine divina inspiratione necem sibi directè inferre, ex altera vero parte quisque ex omnibus rei adjunctis præsumere posset piissimum Raziam non nisi ex speciali Dei instinctu sibimet vim intulisse. Etenim « omnino videtur Dominus Deus voluisse, ut quàm ab idololatria, omnique impiorum consuetudine abhorrendum esset, hoc etiam mortis genere in omnium conspectu, monstraret, cum per Eleazarum et Machabæos fratres, aliis idem modis demonstratum jam esset » Serarius. Sic etiam ex instinctu divino, non verò, uti nobis videtur, ex sola bona fide « explicantur facta quorumdam sanctorum qui se ex divino instinctu occiderunt, nt S. Apolloniæ, quæ se in ignem sibi paratum injecerit, aliarumque sanctarum quæ se ad conservationem pu-

[illegible] in [illegible] [illegible] — [illegible] et [illegible] [illegible] [illegible]

aversio in appetitu intellectivo, seu voluntate proprie dicta. Jamvero Christus mortem suam et omnes Passionis suæ dolores non solum imaginatione apprehendebat, sed etiam, imo et maxime, intellectu; præterea quando dicit Christus: *Transeat a me calix iste*, nomine calicis non significat tantum sensibiles dolores sed etiam mala solo intellectu cognoscibilia, puta malitiam hominum. Ergo quando dicit Christus: non sicut *ego volo*, non *mea voluntas... fiat*, hæc vocabula *volo*, *voluntas* designant, si non unice, saltem etiam, motum *appetitus intellectivi* seu *voluntatis proprie dictæ*. De hac voluntate in præsenti sermo est (1).

2. Ex testimonio, in quæstione indicato, apertissime constat fuisse relate ad quoddam objectum volitionis quamdam diversitatem inter humanam et divinam Christi voluntatem. Etenim dicit Christus Patri (cujus voluntas numero eadem est ac divina Christi voluntas): *non sicut ego volo*, *sed sicut tu*. Ergo secundum humanam voluntatem Christus aliquid volebat, quod non volebat secundum divinam. De hac diversitate inquirimus et ostendere conabimur illas volitiones seu voluntates non fuisse *contrarias*.

II. 1. Ut hoc autem intelligatur, præ oculis habenda est distinctio de duplici motu voluntatis qui dici solet voluntas *ut natura* et voluntas *ut ratio*. (2) Sedulo note-

---

(1) De appetitu sensitivo nulla potest esse specialis hac in re difficultas: nam propter donum *integritatis* seu immunitatis a concupiscentia in Christo appetitus sensitivus perfecte subditur rationi, sc. nec præter, nec contra judicium rationis et imperium voluntatis agit unquam.

(2) *Dicendum quod* Θέλησις *secundum Damascenum est voluntas naturalis, quæ scilicet in modum naturæ movetur in aliquid secundum bonitatem absolutam in eo consideratam* (aut refugit ab aliquo secundum malitiam absolutam in eo consideratam); βούλησις *autem est appetitus rationalis, qui movetur in aliquod bonum ex ordine alterius: et hæc duo a Magistro aliis nominibus dicuntur voluntas ut natura, et voluntas ut ratio: secundum quæ tamen non diversificatur potentia voluntatis: quia diversitas ista est ex eo quod movemur in aliquid sine collatione, vel cum collatione.* (Moveri in aliquid sine collatione est moveri in objectum absolute h. e. in se spectatum; moveri in aliquid cum colla-

mus hac distinctione statui non quidem diversitatem facultatum seu potentiarum operativarum, sed diversitatem *motuum* seu *actuum* ejusdem facultatis, nempe **voluntatis proprie dictæ.**

Paucis explicemus hanc distinctionem: voluntas non movetur nisi præcedente intellectus apprehensione: nihil enim volitum nisi præcognitum. Jamvero si intellectus considerat aliquod objectum *absolute* h. e. in se solo, et apprehendit illud ut bonum, voluntas sponte appetit illud; si vero ut malum, voluntas sponte repudiat illud. Ita si homo considerat vitæ conservationem secundum se prout absolute conveniens est, appetit illam; si vero mortem, refugit ab ipsa. Hic voluntatis motus est voluntatis quæ movetur per modum naturæ: tunc enim movetur voluntas ut quodlibet ens quod natura sua appetit id quod est sibi conveniens, refugit vero ab eo quod est sibi inconveniens. Hic motus vocatur etiam brevius: voluntas *ut natura*.

Si vero intellectus objectum non solum absolute ut bonum aut malum apprehendit, sed considerat illud in ordine ad aliquem finem, tunc fieri potest ut objectum quod absolute spectatum apprehenditur ut malum, apprehendatur ut aptum medium ad finem, et consequenter apprehendatur ut bonum, scilicet ex ordine ad aliud: tunc voluntas potest libere velle illud idem objectum, quod absolute spectatum repudiat. Ita martyr tormenta absolute spectata repudiat, sed illa tamen vult propter finem, scilicet vitam æternam, vicissim fieri potest ut objectum quod absolute spectatum apprehenditur ut bonum, apprehendatur ut nocivum relate ad aliquem

---

[illegible]

finem, consequenter ut voluntas nolit hoc objectum quod tamen absolute spectatum, appetit. Jamvero hic actus voluntatis qui consequitur comparationem objecti cum fine, vocatur voluntas *ut ratio:* quia tunc movetur voluntas ex illa comparatione quæ est propria rationis, et non voluntatis. (1)

Quæ supra exposuimus breviter simul et clare tradit Billot: « Voluntas *ut natura* est motus voluntatis qui sequitur considerationem objecti secundum se, prout absolute conveniens vel afflictivum est; ad hujusmodi enim apprehensionem naturaliter oritur in appetitu prosecutio vel fuga. Voluntas vero *ut ratio* est motus voluntatis secundum quod est domina sui actus, seu motus consequens rationem considerantem omnes circumstantias et habitudinem objecti ad bonum finis, dum scilicet concludit aliquid esse fugiendum vel amplectendum in ordine ad finem, puta mortem esse obeundam propter bonum virtutis ». *De Verbo Incarnato*, 3ª Edit. Thes. XXVII, p. 280. Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 371 et seq.

Supra exposita distinctio applicanda est ad actus voluntatis in Christo: ejus humana voluntas ut natura repudiabat mortem, ut ratio vero eligebat mortem, quam etiam volebat divina voluntas. Quæ omnino sunt conformia ipsis Christi verbis: dicebat nempe: humana voluntate quæ est ut natura abhorreo a morte: *transeat a me calix iste; verumtamen*, quia mors mea est medium redemptionis humanæ secundum beneplacitum Patris, ideo humana voluntate quæ est ut ratio eligo non liberationem a morte (quæ liberatio esset conformis motui voluntatis quæ est ut natura): *non sicut ego volo, sed* eligo mortem quam Pater vult: *sicut tu. Ergo quoad objectum volitum diversa erat Christi humana voluntas quæ est ut natura, ab ejusdem humana voluntate quæ est ut ratio et etiam a divina voluntate.*

---

(1) Unde patet quod voluntas ut natura non est nisi imperfecta volitio, ideo vocatur velleitas; voluntas vero ut ratio est perfecta volitio.

2. Hæ tamen voluntates non erant *contrariæ*.

Non enim quælibet diversitas est contrarietas; ut sit contrarietas oportet ut oppositio attendatur secundum idem, h. e. sub eodem respectu : ita nulla est contrarietas in hoc quod homo sit sanus secundum manum, ægrotus vero secundum pedem. Ut adsit volitionum contrarietas oportet etiam ut diversitas attendatur secundum idem. Quod S. Thomas sic explicat : « Si enim unius voluntatis sit de aliquo fiendo secundum quamdam rationem universalem, et alterius voluntas sit de eodem non fiendo secundum quamdam rationem particularem, non est omnino contrarietas voluntatum; puta, si Rex vult suspendi latronem propter bonum publicum, et aliquis ejus consanguineus nolit eum suspendi propter amorem privatum, non erit contrarietas voluntatum, nisi forte intantum se extendat voluntas hominis privati, ut bonum publicum velit impedire, ut conservetur bonum privatum ; tunc enim circa idem attenditur repugnantia voluntatum. » III, q. XVIII, a. 6. Idem dicendum foret si judex vult suspendi latronem propter bonum publicum et simul ipse judex nolit eumdem suspendi propter amorem privatum.

Hæc applicemus voluntati Christi : Christus secundum divinam voluntatem et etiam secundum humanam quæ est *ut ratio volebat* mortem et Passionem adimpleri *propter finem*, h. e. propter salutem generis humani; voluntate autem humana quæ est *ut natura nolebat* Christus mortem et Passionem *absolute*, h. e. secundum se solas, spectatas : (sub qua consideratione hæc sunt mala) unde ibi non habetur voluntatum contrarietas : nam *velle* aliquid *propter finem*, et *nolle* idem prout in se ipso spectatur, non est diversitas secundum idem, sed secundum diversa. Sed ulterius considerandum est quod naturali repugnantia a morte in Christo nullo modo impediebatur aut retardabatur voluntas ut ratio, sicut aperte constat ex textu evangelico : *verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu*. Plenissime igitur ac sine ulla

resistentia, voluntas ut natura subdebatur voluntati quæ est ut ratio et consequenter voluntati divinæ: unde etiam ex hoc capite nulla contrarietas.

Patet igitur, quomodo *non obstante diversitate in objecto volito non fuerit in Christo contrarietas voluntatum.* Cf. S. Thom. l. c. et Billot, l. c.

J. V. D. M.

III

Q. An, quandonam et quomodo moneri debet pœnitens de nullitate matrimonii quam bona fide ignorat?

R. I/ Si **publice nota** est nullitas matrimonii, quod sane raro eveniet quando ignoratur ab ipsis conjugibus, moneri debet pœnitens de nullitate matrimonii, hujusque usus ipsi est interdicendus, imo et separatio tori et cohabitationis regulariter est injungenda, ad scandalum vitandum et offensionem populi. (1)

Quoad ipsum autem matrimonium, si impedimentum obstat indispensabile, non manet nisi ut nullum declaretur et juridice dissolvatur; si vero est impedimentum dispensabile, *regulariter* est recurrendum ad revalidationem sive per sanationem in radice sive per simplicem dispensationem juxta dicta, hoc tomo, p. 358 et seq., collato Feye, *De Imped. matr.*, n. 596.

II/ Si facto **occulta** est nullitas, uti passim continget in casu proposito, etiam tunc *per se* monendus est pœnitens de dicta nullitate et de obligatione consequenti abstinendi ab omni usu matrimonii.

Ratio est, uti docet Sanchez, *De Matrimonio*, l. II, disput. 37, n. 5, « quia munus confessarii est pœnitentem instruere, cum vel proprius pastor sit vel in audiendis confessionibus proprii pastoris munus obeat ».

(1) Porro « hæc necessaria non tori tantum sed et cohabitationis separatio, in hujusmodi casu, quum non agatur de divortio proprie dicto, sed de necessaria et provisoria propter matrimonii nullitatem ordinatione, non requirit judicis auctoritatem ». Feye, Op. cit., n. 596.

Per accidens vero, aut

1°/ *omittatur* monitio, relicto pœnitente in bona fide, nimirum quando

a/ nullitas est insanabilis et magna incommoda sunt in dissolutione (1);

b/ quando, supposita possibilitate nullitati medendi, merito timetur ne pœnitens, nullitatis conscius, nolit consensum renovare et potius eligat vivere in concubinatu, vel a conjuge recedat cum magno scandalo et detrimento prolium;

c/ quando compars pœnitentis prævidetur male disposita, vel difficulter de nullitate certiorari potest absque infamia alterius partis (2); aut

2°/ *differatur* monitio usque ad dispensationis obtentionem, quotiescumque ex una parte nihil quidem obstat revalidationi, ex alia vero parte nequit effugi periculum incontinentiæ, si illicò certioratur pœnitens de nullitate matrimonii et ab hujus usu prohibetur per tempus necessarium ad gratiæ consecutionem.

Ratio autem legitimans hujusmodi omissionem monitionis vel dilationem est in hoc quod « sicut correctio ad correcti utilitatem ordinatur, et illius spe cessante non obligat, ita confessio ad bonum pœnitentis tendit; ergo cessante hujus boni spe, non tenebitur confessor admonere: ratio enim mediorum a fine sumitur ». Adde quod « nulli laqueum debemus injicere..., sed admonere in hoc eventu nihil aliud esset quam laqueum et offendiculum opponere ». Sanchez, l. c., n. 6.

A. D. S.

---

(1) Profectò vitari potest dissolutio per habitationem ut frater et soror, sed huic remedio multo præferendam esse bonam fidem inturbatam inficiabitur nemo.

(2) Equidem, in hujusmodi casu, sæpe præsto esse posset *sanatio in radice*, ad quam non est opus renovatione consensus nec adeo compartis certioratione; attamen quando partes *utrimque* versantur in bona fide mens esse videtur et praxis S. Pœnitentiariæ ut in bona fide relinquantur potius quam earum matrimonium in radice sanetur.

IV

Q. *Quid est impedimentum 1/ occultum, 2/ publicum natura vel facto?*

R. A/ 1°/ **Natura occultum** est impedimentum quod vel de se difficulter probatur vel importat infamiam. Hujusmodi est affinitas ex copula illicita, impedimentum criminis etc.

2°/ **Natura publicum** est impedimentum cujus probatio de se est facilis, et nullam, ob quam occultetur, adnexam habet infamiam. Hujusmodi est consanguinitas, affinitas ex copula licita, cognatio spiritualis et publica honestas saltem ex matrimonio rato non consummato et sponsalibus publicis.

B/ 1°/ **Facto occultum**, *coram S. Pœnitentiaria* (1), dicitur impedimentum quod vel a/ ita ignoratur ut nullo pacto demonstrari possit et Dei solum judicio permittatur, seu ne per duos quidem testes probari possit; et tunc vocatur *omnino occultum* (2);

---

(1) In hac nempe notione tradenda præ oculis habemus sensum, pro scopo nostro solum attendendum, quem in hisce intendit Curia Romana; quæ cæterum notio frequentis est usus in tractatu de dispensationibus matrimonialibus. Ita v. gr. inservit ad interpretationem clausulæ in rescriptis S. Pœnitentiariæ pro foro interno occurrentis: *dummodo occultum sit, vel omnino occultum impedimentum.* Item necessaria est ad determinandos casus in quibus valeant dispensare Episcopi signanter ex potestate quasi-ordinaria. Pariter ea notione opus est ad determinandam formam in dispensationibus adhibendam: Nimirum passim est adhibenda dispensatio *pro foro externo* et juxta formam huic foro propriam est exequenda (cfr. supra, hoc tomo, p. 353), quando impedimentum est natura publicum etsi facto occultum, saltem pro matrimoniis contrahendis (cfr. Theol. Mechl., *De Matrim.*, n. 98, et Bened. XIV, *Pastor Bonus*, in parvo Bullario, II, p. 223 et seq.), vel quando natura occultum evasit facto publicum. Cfr. Planchard, apud *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 429-445, et XVIII, p. 219. Dispensandum autem est *pro foro interno* et juxta formam huic foro propriam, quando impedimentum est natura simul et facto occultum.

(2) Cfr. Benedictus XIV, *Institutiones Ecclesiasticæ*, 87ª, n. 44, verba referens Fagnani; cfr. etiam Feye, op. cit., n. 88, ubi addit: « Naturæ igitur omnino occulti non nocet si unus præter partes et confessarium rei notitiam habeat; suadendum tamen ut in libello supplici exprimatur ». Cfr. Gasparri, *De Matrim.*, I, n. 251.

vel b/ a paucis tantum cognoscitur, nempe generatim a quinque vel sex personis in oppido aut a septem vel octo in civitate (1), nec brevi divulgandum prævidetur (2); et tunc vocatur *quasi-occultum* seu in stylo curiæ *occultum* sine addito.

2°/ **Facto publicum** censetur impedimentum quod ne quasi quidem occultum facto est, quamvis forsan occultum natura, seu quod a pluribus quam a quinque vel sex personis in oppido vel septem aut octo in civitate cognoscitur aut cognitum iri prævidetur. Ita v. gr. divulganda prævideretur copula habita inter sponsum et sponsæ sororem, si ex una parte notæ sunt suspectæ relationes inter dictas personas, et ex alia parte gravida est facta soror sponsæ.

Unde sufficit quidem, non vero requiritur, ad hoc ut impedimentum censeatur publicum, quod majori parti communitatis, viciniæ vel civitatis sit notum, sive qua famosum, sive qua manifestum sive tandem qua notorium (3).

---

(1) Hunc numerum proponit Bened. XIV, l. c., n. 45, in hac re referens et sequens sententiam auctorum qui experientia docti apprime mentem noverant S. Pœnitentiariæ; citat scilicet insignes viros qui varia munera præclara sustinuerunt in hoc Sacro Tribunali, et quorum adeo auctoritas prævalet in determinando sensu quo vocabulum occulti impedimenti coram S. Tribunali intelligatur. (n, 44).

Porro dicitur « *generatim* », quia nonnulli AA. testantur interdum haberi uti occultum quod decem circiter personis est notum; cfr. Carrière, *De matrimonio*, l. II, n. 1127; S. Alph., l. VI, n. 1111; quo casu procedi posset, docet Feye, l. c., n. 90, « tanquam pro occulto, sed ita ut in libello supplici indicentur numerus incolarum aliæque circumstantiæ ad rem facientes, ac numerus et qualitas eorum quibus impedimentum innotuerit ».

(2) Appositè hic notat Reiffenstuel, *Appendix de dispensat super imped. matr.*, n. 46: « Hinc in praxi omnino attendi debet, non tantum *quot* personis sed etiam *qualibus* impedimentum sit notum, quia bene fieri potest, ut respectu quinque prudentum et timentium Deum, qui impedimentum norunt, prorsus nullum sit periculum ulterioris divulgationis, et e contra respectu duorum vel trium, v. gr. garrulorum aut inimicorum etc., divulgationis periculum revera adesse videatur, præsertim si etiam aliæ circumstantiæ tale periculum minentur ».

(3) Juxta Carrière, op. cit., n. 1127 « *Famosum* dicitur quando fama

Nota. 1°/ Ut facto publicum habeatur impedimentum probabilius sufficit ut *materialiter* sit publicum et *formaliter* occultum; quod obtinet quotiescumque « patratum crimen publice quidem innotescit, criminis tamen conscii prorsus ignorant an impedimentum dirimens cum eodem crimine conjungatur ». Bened. XIV, l. c., n. 41 (1).

Revera, ait idem Pontifex, l. c., n. 48, « si id contingat, tunc rem captu difficilem semper existimavimus impedimentum hujus generis tanquam occultum haberi posse, litterisque parendum Pœnitentiariæ, quibus illud decernitur: *dummodo occultum*. Et profectò, si hoc statueretur, jam crimen omne affinitatis ex copula illicita et omne impedimentum criminis, licet hæc (facto) publica sint, dispensari tamen poterunt tanquam occulta. Nam satis experientia compertum est, omnia impedimenta, si illud consanguinitatis et affinitatis ex copula licita solum omittas, ignota esse non modo oppidanis, sed illis etiam qui in magnis civitatibus versantur. Postremo nos ipsi jurejurando affirmare

---

est in majori parte civitatis, viciniæ vel collegii orta non ex scientia sed ex indiciis et præsumptionibus: unde ratio famosi in eo proprie sita est quod non exigat scientiam sive ipsius communitatis sive magnæ hujus partis sive etiam unius individui hominis. *Manifestum* est quod, etsi non sit evidens respectu communitatis aut potioris ejusdem partis, est tamen pluribus evidenter cognitum, sic ut facile probari possit; unde duo requiruntur: primum ut aliqui sciant seu evidenter cognoscant factum vel delictum; secundum, ut ab illis per simplicem divulgationem pervenerit ad notitiam communitatis. *Notorium* est quod evidenter constat majori parti communitatis, parochiæ, civitatis etc., vel per sententiam juridicam aut confessionem judicialem, et tunc dicitur notorium *jure*, vel quia se offert oculis omnium, et dicitur notorium *facto* ». Cfr. etiam Feye, l. c., n. 86; Planchard, apud *Nouv. Rev. théol.*, XVIII, p. 215 et seq.

(1) « Res exemplo declaretur. Centum incolæ alicujus oppidi, quod tria millia hominum continet, cognitum perspectumque habeant civem aliquem, priusquam cum muliere matrimonium iniret, cum ipsius sorore incontinenter et impudice versatum esse: hi tamen centum qui hoc scelus deprehenderunt, adeo imperiti sunt ut penitus ignorent *ex hac illicita copula* impedimentum manare, cujus causa matrimonium cum sorore contrahi nequaquam possit, irritumque fieri si contrahatur ». Bened. XIV, ibidem.

possumus per tot annos, quibus S. Pœnitentiariæ addicti fuimus, suffragiumque nostrum, cum res ejusmodi proponerentur, scriptum seu voce tenus dedimus, semper in more positum fuisse, ut impedimentum (facto) publicum *materialiter* spectaretur, et nunquam eo nos devenisse ut examen fieret an impedimentum *formaliter* occultum censendum esset ».

Quam doctrinam, cui contradicunt Sanchez, op. cit., l. VIII, disput. 34, n. 56 et S. Alph., l. c., confirmavit S. Pœnitentiaria in responso dato anno 1875, quod responsum citant *Acta S. Sedis*, tom. XIV, p. 157. Cfr. integram causam matrimonialem ibidem tractatam cum corollariis quæ exinde ab adnotatore deducuntur in favorem sententiæ S. Alph.; cfr. etiam De Becker, *De sponsal. et matrim.*, p. 283; Feye, l. c., n. 94; Carrière, l. c., n. 1127; Zitelli, *De dispens. matrim.*, p. 91; Theol. Mechl., *De matrim.*, n. 98, qu. 3; Planchard, *Dispenses matrim.*, n. 399; *Nouv. Rev. théol.* XVI, p. 431 et seq.; Gasparri, *De matrim.*, I, n. 251, verba referentem Bened. XIV.

Aliud esset si crimen, impedimentum inducens, cognoscatur quidem uti factum, sed non uti criminosum, quo casu ocultum censetur impedimentum. Exemplum esset in conjugicidio quod creditur fuisse casuale.

2°/ Impedimentum aliunde facto occultum censetur publicum statim ac in forum contentiosum fuerit deductum, quousque reus per definitivam judicis sententiam non fuerit absolutus. Feye, l. c., n. 95; Planchard, op. cit., n. 396, collata *Nouv. Rev. théol.* XVI, p. 432 et seq.

3°/ Ad quæstionem autem utrum facto occultum censeatur impedimentum quod quidem publice cognoscitur, sive in eo loco ubi contractum fuit, sive alibi; occultum tamen est, ubi degunt qui dispensationem expostulant et ubi dispensatio ipsa conceditur; affirmat juxta Navarrum Bened. XIV, n. 46 et monet confessarium ut in ejusmodi casu minime exequatur dispensationem, nisi totum negotium coram S. Pœnitentiaria fuerit expositum.

4°/ Tandem inquirenti « utrum impedimentum quod fuit aliquando (facto) publicum, *diuturnitate temporis occultum fieri* possit, ita ut dispensatio tribuenda videatur »; rursus affirmat laudatus Pontifex, n. 47, verba referens Marci Pauli Leonis testantis hoc genus occultorum etiam pluries, suo tempore, signaturam S. Pœnitentiariæ admisisse, nempe post decennium. « Adjuncta, ait Feye, l. c., n. 92, omnia in libello supplici memorentur ». Cfr. Planchard, apud *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 442 et seq.

A. D. S.

V

Q. *Cum quibusnam personis, quibusnam in impedimentis et quibusnam sub cautelis dispensare valent Ordinarii, vi facultatis a C. S. O. die 20 Februarii 1888 concessæ?*

R. Ad I/ Vi decreti 1888, Ordinarii valent dispensare cum *concubinariis moribundis*, iisque solis, seu cum illis qui « juxta leges civiles sunt conjuncti aut alias in concubinatu vivunt », et ægroti in gravissimo mortis periculo constituuntur. Cfr. tenorem decreti apud *Collectanea de Prop. F.*, n. 1471.

Unde decreto nequaquam comprehenduntur ægroti quibus utrumque ulterius requisitum deficit, qui nempe matrimonium civile, uti vocant non celebraverunt, nec vivunt in concubinatu, uti cæteroquin expresse declaravit S. C. O. die 17 Septembris 1890 (*Collectan.*, n. 1475), ad quam declarationem provocavit eadem S. Congregatio 3 Maii 1899 (1).

---

(1) Vicarius scilicet capitularis alicujus diœcesis exponit in dicta diœcesi nonnullos inveniri, qui « concubinarie viventes prolem genuerunt, et postea, relicto contubernio, jamjam graviter ægrotantes, cum eadem persona, cum qua in concubinatu vixerunt, ad prolem legitimandam, vel mulieris famam vel damnum reparandum, vel ad scandalum tollendum, vel ad propriæ conscientiæ consulendum, matrimonium contrahere desiderant ». Quibus præhabitis postulat « utrum sub citato

Circa sensum vocis *concubinarii*, cfr. *Collat. Brug.*, tom. IV, p. 27 et seq.; collatis Putzer, *Comment. in facult. apost.*, n. 60; *Nouv. Rev. théol.*, XX, p. 126, XXXI, p. 508; *Analectis eccl.*, 1899, p. 337; *Revue ecclés. de Metz*, 1900, p. 116.

Porro sedulo nota quod, juxta declarationem C. S. O. 1 Julii 1891, apud *Collect.*, n. 1476, Ordinarii, vi decreti 1888, possunt dispensare moribundum concubinarium, etiam quando impedimentum directe afficit alteram partem bene valentem nec ipse ægrotus habet in se impedimentum. « Unde quum civiliter sint conjuncti aut alias in concubinatu vivant, ex. gr. puella soluta et diaconus, illaque ægrotante hic valens sit », posset Ordinarius cum his dispensare. Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XXIV, p. 49-51.

Ad II/ Valent dispensare in impedimentis :

1°/ *dirimentibus*, ad exclusionem impedimentorum mere prohibentium, signanter impedimenti mixtæ religionis (1), uti rursus expresse declaravit C. S. O., 18 Martii 1891, statuens: « disparitatem cultus, utpote impedimentum dirimens in encyclica S. Officii 20 Februarii 1888 comprehendi: mixtam vero religionem, uti impedimentum impediens non comprehendi ». *Collectan.*, n. 2188.

2°/ *jure ecclesiastico* dirimentibus, sepositis, uti par est, omnibus impedimentis jure naturæ vel divino ma-

---

decreto S R. et U. Inqu. diei 20 Febr. 1888 etiam comprehendi valeant ægroti in mortis periculo constituti, qui *actualiter* non vivunt in concubinatu, sed tamen in eo vixerunt prolemque genuerunt quam legitimare oportet ». Ad quod postulatum respondit S. Congr. dandum esse decretum 1890.

(1) Integra tamen manet quæstio utrum Episcopus possit in hoc impedimento mixtæ religionis dispensare, in urgentissima necessitate, non quidem ex potestate delegata et vi decreti 1888, sed ex potestate *quasi-ordinaria;* circa quam controversiam in diversum sensum videsis Feye, op. cit , nn. 613 et 635 sub 6° et 7° ; De Becker, op, cit., p. 263-264 ; Planchard, apud *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 399 et 519-520; XXVI, p. 284 et seq.; *Rev. théol. franç.*, 1898, p. 667.

trimonium invalidantibus, puta in consanguinitate primi gradus etc...

3°/ *quantumvis publicis*, i. e. occultis et publicis sive natura sive facto sive natura et facto, juxta apertam declarationem C. S. O., in decreto 23 Apr. 1890 ad 1m, apud *Collectan.*, n. 1473; cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XXII, p. 492 et seq.; *Liber Manualis* pro diœc. Brugensi, p. 162.

4°/ *solis exceptis* « *sacro presbyteratus ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente* », idque, quoad affinitatem, in omni gradu, cum nulla fiat restrictio.

Proinde, præterquam in hoc duplici impedimento, possunt Ordinarii dispensare in omnibus omnino impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus, etiam in impedimento criminis ex conjugicidio publico, necnon in impedimento voti solemnis vel ordinis presbyteratu inferioris, non excepto impedimento clandestinitatis, id declarante C. S. O. 13 Decembris 1899, juxta tenorem relatum apud *Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 260. Cfr. *Canoniste contemp.*, 1900, p. 228.

Quinimo, cum nulla apponatur restrictio, Ordinarius potest concessa facultate uti etiam ubi dicta impedimenta *multiplicari* contigerit.

Vi ejusdem indulti, utpote generalis (1), possunt Episcopi *legitimare prolem*, quamvis nulla in illo expressa facta sit mentio juris legitimandi. Cfr. responsum S. Pœnitentiariæ 1 Julii 1859, apud Gasparri, op. cit., I, n. 429, et apud Planchard, op. cit., n. 100. Cfr. etiam Feye, op. cit., n. 717; De Becker, op. cit., p. 379; *Nouv. Rev. théol.*, XX, p. 127.

« Pariter indultum generale dispensandi (quale hoc nostrum) secum fert potestatem (in quantum opus est)

(1) « Quoad vero rescripta dispensationum, quæ *in casibus particularibus*, sive a Dataria Apostolica sive a S. Pœnitentiaria conceduntur, facultatem legitimandi prolem jam susceptam non comprehendi, nisi expresse apposita fuerit in iisdem rescriptis ». S. Pœnitentiaria.

absolvendi a censuris ad effectum dispensationis consequendum ». Gasparri, I, n. 429.

Ad III/ Quoad *cautelas :*

1°/ Laudata concessione Pontificia uti nequeunt Ordinarii nisi *quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem.* Monet autem Theol. Mechlin., *De matrimonio*, ed. 1894, p. 423 « ad obtinendam dispensationem, pro qua recursus ad S. Sedem est necessarius, spatium sex circiter hebdomadarum requiri » ; a S. Pœnitentiaria, pro foro interno, expectari potest dispensatio post tres circiter hebdomadas.

2°/ « Mens autem est ejusdem Sanctitatis suæ, ut, si quando, quod absit, necessitas ferat ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam S. O. Congregationem certiorem faciant, et interim omni ope curent ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares pœnitentias, atque eam vitæ rationem, quæ præteritis excessibus redimendis apta videatur, quæque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum ». Ex decreto 1888.

3°/ In reliquis impedimentis relaxandis observanda sunt alias a jure requisita, puta circa pœnitentias injungendas et alia hujusmodi. In specie quod spectat *disparitatem cultus*, consuetæ cautiones sunt exigendæ etiam in articulo mortis, juxta decretum C. S. O. 18 Martii 1891 (*Collectan.*, n. 2188), adeo ut dispensari nequeat « nisi 1/ ambo contrahentes promittant educationem omnis prolis in religione catholica ; et quidem 2/ non solum prolis adhuc forte suscipiendæ, sed etiam antea (in

concubinatu vel civili matrimonio) jam susceptæ, in quantum scilicet hoc a parentibus adhuc dependet; atque nisi etiam 3/ pars catholica (licet privatim tantum) promittat quod, in quantum poterit, conversionem partis non catholicæ procurare sataget ». Ibidem.

Attamen hoc non impedit, uti videtur, quonimus in gratiam partis catholicæ dicta dispensatio impertiatur, etiam in casu quo pars infidelis renuat promittere educationem prolis in religione catholica, modò altera pars fidelis, remoto, uti supponitur, proximo periculo perversionis, spondeat se compartis conversioni et christianæ prolium educationi pro viribus esse adlaboraturam. Huic interpretationi favent documenta Romana citata apud *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 426 et seq.; apud *Rev. théol. franç.*, 1897, p. 477 et seq.; apud De Becker, op. cit., pp. 227-228; Putzer, op. cit., n. 220.

Adnotatio. Ex tenore decreti 1888, Ordinarii (Episcopi et Vicarii generales) possunt dispensare sive per se sive *per personam ecclesiasticam sibi benevissam;* ex litteris autem encyclicis C. S. O. 1 Martii 1889 (*Collectan.*, n. 1472) restringitur facultas subdelegandi *habitualiter* seu *modo generali* ad solos *parochos* (1), idque pro solis casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora; relicta, uti videtur, facultate subdelegandi aliam quamvis personam ecclesiasticam idoneam *pro casu particulari*. Cfr. *Nouv. Rev. théol.* XXI, p. 370-378 et XXII, p. 492-494. (2)

Porro ad tramites harum litterarum 1 Martii 1889 seu prævii decreti 9 Januari 1889, Episcopus Brugensis,

---

(1) Juxta interpretationem authenticam datam a C. S. O. 23 Aprilis 1890 (*Collectan.*, n. 1473), parochi censentur « omnes qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et capellanis ».

(2) Refertur apud *Nouv. Rev. theol.*, XXX, p. 634, et *Rev. theol. franc.*, 1898, p. 644 et seq. speciale indultum 25 Maii 1898, quo ad quinquennium conceditur facultas *modo generali* subdelegandi non solùm parochos sed et alios sacerdotes idoneos « in locis diœcesis remotioribus, dummodo tempus desit recurrendi ad Ordinarium vel parochum et periculum sit in mora ».

anno 1892, omnibus diœcesis suæ *parochis* subdelegavit « potestatem, litteris hujus (S. O.) Congregationis 20 Februarii 1888, concessam, dispensandi nempe cum ægrotis in gravissimo mortis periculo constitutis, super impedimentis quantumvis publicis... », sed pro casibus tantum in quibus desit tempus ad Episcopum recurrendi et periculum sit in mora. Additur Episcopum quantocius esse monendum de dispensatione super impedimento publico concessa.

Quod igitur, vi decreti 1888 juxta modò exposita, valet Episcopus in ordine ad dispensandos concubinarios moribundos, *quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem*, id omne valent parochi, in diœcesi Brugensi, pro casibus in quibus deest tempus recurrendi *ad Episcopum*, et periculum est in mora.

Attende hic ad decretum supra citatum circa impedimentum clandestinitatis, ad quod relaxandum extenditur facultas Episcopis concessa et nostris parochis subdelegata. Hoc nempe attento potest parochus « in sua paræcia vel conjungere *non suos sed extraneos* inibi casu existentes, dispensando a præsentia parochi proprii, ad quem nullimode valeat haberi recursus; vel etiam conjungere suos, sed *sine testibus*, pariter dispensando ab eorum præsentia, cum omnino non sint qui testium munere fungi possint ».

Hac ratione, dispensando nempe a præsentia testium, possent nonnunquam vitari difficultates et anxietates quæ natæ sunt oriri in nostris regionibus ex lege civili, quoties agitur de illis concubinariis qui ne civili quidem, uti vocant, matrimonio sunt conjuncti, et tempus non sinit ut matrimonium civile rite præmittatur (1).

In hujusmodi nimirum occurrentia parochus, clam celebrando matrimonium absque testibus, facile effugiet

(1) Circa formas legales in ordine ad matrimonium civile observandas, in quibus, urgente necessitate, expediendis lex 26 Decembris 1891 magnam induxit facilitatem, cfr. quæ utiliter adnotantur apud *Collat. Brug.*, I, p. 102 et seq.

periculum incurrendi pœnas a codice pœnali, art. 267, comminatas in sacerdotes qui absque prævio matrimonio civili nuptiis benedicere ausi fuerint.

A. D. S.

VI

Q. *A quo, quo modo et habitu deferendum est sacrum Oleum infirmorum, 1/ si sola administranda sit Extrema Unctio; 2/ si simul cum ea administretur Viaticum?*

R. I. Si sola administranda sit Extrema Unctio:

a/ Deferendum est sacrum Oleum ab ipso Parocho vel Sacerdote administraturo Extremam Unctionem (Rituale, Tit. V, cap. 2, nº 2), vel etiam deferri potest ab alio Presbytero vel Diacono (l. c., cap. 1, nº 13), imo occurrente necessitate ab alio Ecclesiæ ministro vel etiam a laico. « Parochus, ait Rituale (Tit. II *de Baptismo*, cap. 1, nº 38), *quantum fieri potest*, curet, ne per laicos, sed per se vel alium sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiæ ministrum hæc olea deferantur. » — « Cum autem laici a delatione absolute non excludantur, in necessitatis casu, quo non alius nisi laicus minister habetur, hic S. Oleum deferre potest. » Ita concludit De Herdt (III, nº 203) juxta doctrinam traditam à Gardellini (1): « quandoque contingere potest, præsertim in parvis oppidis ac paræciis ruralibus pro administrando sacramento Extremæ Unctionis, ut alius non sit, nisi laicus, qui bursam cum oleo infirmorum ad ædes infirmi deferat, *impedito parocho*, *necessitate urgente*, spiritualia Ecclesiæ subsidia in agone posito infirmo ministrante. Quum igitur parochus per se nequeat, aliumque non habeat, nisi laicum ministrum clerici vices fungentem, huic committere cogitur, ut hoc præstet officium. Id tamen, quantum fieri potest, vitandum est. »

(1) In adnotat. ad decr. *in Gandaven.* 16 Dec. 1826, ad V.

b/ Quo modo deferendum? « Parochus *decenter* accipit vas sacri olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque *caute* deferat ne effundatur » (Rit., Tit. V, cap. 2, nº 2). Vas illud est argenteum vel stanneum (l. c., cap. 1, nº 3), bene obturatum et in eo « oleum vel per se solum vel in bombacio seu re simili servari potest, sed ad evitandum effusionis periculum multo commodius ad infirmos defertur in bombacio » (l. c., nº 4). « Vas includitur sacculo serico violacei coloris, qui habeat suos funiculos sericos ejusdem coloris quibus contringitur et collo, ubi necesse est, appenditur. » (Ill. Vanderstappen *de admin. Sacram.*, q. 212). Ut autem *decenter* deferatur, juxta auctores sacerdos tenet vas bursa inclusum duabus manibus vel saltem dextera ante pectus (1); « Quod si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas olei sacculo, aut bursa inclusum... ad collum appendat, ut commodius et securius perferat. » (Rit., l. c., n. 2). Nihil autem videtur opponi quin in omni casu ita sacrum oleum ad collum appensum deferatur, v. gr., sub pallio (2). Comitantur clerici seu ministri vel saltem unus, si fieri potest, qui defert Rituale, stolam violaceam et superpelliceum, item, nisi præparata habeantur apud infirmum (quod fieri solet), crucem sine hasta et aquam benedictam cum aspersorio. (Rit., l. c., nº 2). Si autem haberi non possit minister, ipse sacerdos necessaria afferre debet (3). Procedit sacerdos sine sonitu campanulæ (Rit. l. c. n. 2) et etiam sine lumine accenso. Rituale quidem nº 2, monet apud infirmum parandam esse ceream candelam, sed nullum lumen requirit in delatione, imo eo ipso excludit quod indicet candelam præparatam in domo infirmi inservire debere ut « deinde accensa ipsi ungenti lumen præbeat »

(1) Nouv. Revue Théol. 1873, p. 149; Ill. Vanderstappen l. c., q. 225.
(2) Nouv. Revue Théol., l. c., p. 150.
(3) Baruffaldus ad Rituale, Tit. XXVIII, nº 27 et 28.

(n. 1). Insuper « decreta S. Congregationis Rituum consuetudinem S. Oleum cum lumine deferendi reprobant, quia hic cultus tantum SS. Sacramento tribuitur, et ne populus in errorem inducatur, adorando S. Oleum. » (De Herdt III, nº 203). Ita nominatim decreto *in Baren.* 28 Jan. 1606 (nº 196, in nov. collect.) « neque extremæ unctionis oleum *solemniter cum superpelliceo ac lanternis* ad infirmos deferendum esse » respondit et declaravit (1). « Licet Rituale non præscribat, sicut pro delatione SS. Sacramenti, ut psalmi in via recitentur, oportet tamen, ut decenter et reverenter incedant, et quantum fieri potest, a colloquiis abstineant. » (De Herdt, l. c.).

c/ Quo habitu? Sacerdos procedere debet in habitu vulgari, nec potest esse indutus (ut patet ex decreto supracitato) superpelliceo et stola. Hæc paramenta juxta Rituale (l. c., nº 4) induit in cubiculo infirmi « deposito oleo super mensam » pro ipsa administratione sacramenti (2). Neque sacerdos neque comitantes apertum caput habere debent. « Quæ omnia præscribuntur ne cultus qui sanctis oleis tribuitur cum illo confundatur, qui soli Eucharistiæ tribuendus est » (3).

II. Si simul cum extrema Unctione administrandum sit Viaticum.

a/ A quo deferendum sacrum oleum? « Si autem acciderit, ait Rituale, l. c., cap. 1, nº 13, infirmum post peccatorum confessionem ad exitum vitæ properare, tunc cum sacro viatico poterit et oleum infirmorum ad eum deferri *per ipsum sacerdotem, qui defert sacram Eucharistiam*: si tamen alius Presbyter vel Diaconus, qui oleum sanctum deferat, haberi posset, *per ipsum* deferatur. »

---

(1) Cfr. decr. *in Gandav.* 16 Dec. 1826 ad V, cum adnot. Gardellini.

(2) « Si sola administretur Extrema Unctio, in ipsa ministratione (minime vero in delatione ad domum infirmi) præter stolam violaceam adhibendum est superpelliceum ut clare liquet ex Rituali. » *(Epist. Episc. Brugen. ad clerum, 14 Oct. 1897, IV).*

(3) *Ephem. liturg.* 1893, p. 139.

b/ Quo modo? Presbyter alius a portante Viaticum vel Diaconus, si habetur, sacrum oleum « *occulte* » defert *sequens sacerdotem* portantem S. Eucharistiam (Rit., l. c.). Si autem in defectu alterius Presbyteri vel Diaconi, ipse sacerdos portans Viaticum deferre debeat S. Oleum, Rituale non explicat quo modo hoc sit deferendum; sed si alius in hoc casu illud *occulte* deferre debet, sequitur eo magis *occulte* esse deferendum ab eo qui simul SS. Sacramentum defert. (De Herdt, l. c. n° 208). « Vas olei sacri annecti nequit ciborio vel pyxidi sed ad infirmum *occulte* deferatur per ipsum sacerdotem; quæ quidem occulta delatio in hoc consistit ut vas prædictum, bursæ violacei coloris inclusum, collo appendatur *sub superpelliceo*, ita ut non appareat. » (*Epist. Episc. Brugen.* citata, ad V). Idem dicendum de occulta delatione facta ab alio Sacerdote vel Diacono, et notandum nec etiam vas S. Olei includi posse in eadem bursa cum SS. Eucharistia.

c/ Quo habitu? Presbyter vel Diaconus qui cum S. Oleo sequitur sacerdotem portantem Viaticum debet esse « superpelliceo indutus » (Rit. l. c.) non propter S. Oleum sed propter præsentiam SS. Sacramenti; stolam habere non potest. Si autem idem sacerdos portat Viaticum et S. Oleum, debet esse « indutus superpelliceo et stola et, si haberi potest, pluviali albi coloris. » (Rit., Tit. IV, cap. 4, n° 9). Superpelliceum et stola alba de præcepto sunt, pluviale vero, non est de præcepto sed de arbitrio et more, aliquando de convenientia. Insuper imponere sibi debet sacerdos velum humerale albi coloris, nisi ob longitudinem aut difficultatem viarum sacram Pyxidem in bursa alba deferat (1). Clerici qui concomitantur superpelliceum induere debent (Rit. l. c.). Paramenta autem hæc, ut ex dictis patet, non propter S. Oleum sed propter præsentiam SS. Eucharistiæ adhibentur.

H. V. D. W.

---

(1) Vide *Collat. Brugen.* 1897, p. 528.

Ordo Missæ

SEU

precum et ceremoniarum Missæ interpretatio

—

(Sequitur. — Cfr. suprà, pag. 375.)

—

Gratiarum actio. — « Tota missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii (quod significat cantus post communionem), et sacerdote per orationem gratias offerente, sicut et Christus, celebrata cœna cum discipulis, hymnum dixit, ut dicitur Matth. XXVI » (1).

93. Hic præmittitur versiculus quidam, qui vocatur *communio:* est vestigium quoddam antiqui ritus, juxta quem olim, dum statim post communionem celebrantis ministrabatur Eucharistia populo, cantabatur psalmus in gratiarum actionem, repetita post singulum versum quadam antiphona: suppresso psalmo sola servata est antiphona. Hæc autem generatim ex S. Scriptura desumpta est; interdum vero ab Ecclesia confecta. Refertur ad festum aut mysterium quod celebratur, vel ad partem anni liturgici (putà adventum) ubi litatur; sola communio Missæ *de requiem* aliquatenus formam communionis primitivam servavit (2).

94. Sequitur oratio, quæ *postcommunio* vocatur, quia statim post communionem recitatur, ad gratias persolvendas Deo, cujus summa bonitas divinorum mysteriorum nos participes effecit, ipsumque rogandum ut eorum fructum in nobis servet atque nostræ sanctificationi inservire faciat. Omnes hujusmodi orationes plurali

(1) S. Thom , P. III, q. 83, a. 4.

(2) Cfr. Lebrun, *op. cit.*, Part. VI, art. 1. — Gihr, *op. cit.*, T. II, p. 431, sqq.

numero sunt conceptæ, quia dicuntur nomine omnium adstantium, qui ad sacram mensam accessise vel saltem spiritualiter communicasse censentur. (1) — Neque indoli Postcommunionis quà dicitur *gratiarum actio* obest quòd ei inserantur beneficiorum postulationes, vel imo nullas formaliter grates exprimat, sed tota supplicatione absolvatur, quia et ipsa oratio importat quamdam Dei laudationem, siquidem per illam implicite profitemur ejus omnipotentiam, providentiam et clementiam ; jamverò benefactoris magnitudinem et bonitatem agnoscere et proclamare unus ex modis est quibus gratitudinis sensus manifestatur. Ceterum maxime solemnis hymnus gratiarum actionis *Te Deum* instantissimas continet supplicationes. (2)

*
* *

95. *Ite missa est.* — Hisce verbis facit sacerdos populo discedendi licentiam. Varie autem hæc interpretantur : alii putant hic subintelligi adjectivum *completa, absoluta*, q. d.: « Ite, missa jam est absoluta » ; alii vero tenent vocem *Missa* esse substantivum antiquitùs usurpatum uti synonimum vocis *dimissio*, seu abeundi venia, quemadmodum *remissa* pro *remissio*, *oblata* pro *oblatio*, *ascensa* pro *ascensio* veteres dixerunt ; unde *Ite missa est* significaret : « discedite, jam dimissio est seu dimissi estis » ; quam sententiam Card. Bona, *Rerum liturg.* lib. I, cap. I, multis argumentis probat eamque *verissimam* dicit. (3)

Porro dicitur *Ite missa est*, in diebus et festis solemnioribus, quando recitatur hymnus lætitiæ *Gloria in excelsis ;* aliis vero diebus dicitur *Benedicamus Domino :* ratio distinctionis esse videtur usus qui olim obtinebat,

---

(1) De oratione *super populum*, quæ in feriis quadragesimæ postcommunioni additur, cfr. Gihr, l. c. p. 437.

(2) Cfr. Gihr, l. c., p. 438, sq.

(3) Cfr. Ill. Van der Stappen, op. cit. q. 3 et 195.

quo post illas missas minus festivas, adstantes fideles solebant manere in ecclesia, dum recitabantur canonicæ preces missam subsequentes; unde non erat cur eis abeundi licentia nuntiaretur. (1) — In missa vero defunctorum, quia integra ejus formula speciatim ordinatur ad refrigerium eorum impetrandum, congrue in fine, haud secus ac in initio et progressu, eis requiem et pacem adprecatur celebrans dicens: *Requiescant in pace.*

Hic olim finis imponebatur missæ; sed a pluribus jam sæculis mos obtinuerat, quem Pius V edendo missale novum in obligationem convertit, superaddendi orationem *Placeat* cum benedictione sacerdotis et evangelio, quod plerumque est initium Evangelii S. Joannis; de quibus pauca subjicimus.

***

96. Sacerdos, supplicantium more humiliter inclinatus et manibus junctis, rogat SS^am^ Trinitatem ut *placeat* ipsi istud *obsequium servitutis suæ* seu muneris sui sacerdotalis (cfr. suprà n. 52), quo jam functus est offerens *divinæ majestati* etsi *indignus* sacrosanctum sacrificium; atque petit ut idem sacrificium Deo sit *acceptabile*, non solum ex parte muneris oblati, quod non potest ei non esse gratissimum, sed etiam ex parte offerentis, quantulacumque fuerit ejus devotio; sitque etiam ipsi offerenti et *omnibus pro quibus illud obtulit propitiabile*, utile et salutare ad peccatorum remissionem et gratiæ consecutionem: idque deposcit præstari non ex suis meritis sed ex divinæ misericordiæ largitate *(te miserante)*, *per Christum Dominum* ac mediatorem nostrum, cujus nomine quidquid postulatur haud dubie, ut promisit, obtinebitur.

Posthæc sacerdos osculatur altare, quo, ut dictum

(1) Cfr. Card. Bona, *Rerum liturg.*, lib. II, cap. XX. — Gihr, l. c. p. 442.

est, repræsentatur Christus; sic autem exprimit externe affectum charitatis qua illo momento ardere debet cor ipsius ergà Jesum, quem pectore suo gerit, et cujus nomine ac mediatione mox usus est ad orationem suam Deo commendandam. Unde videtur istud altaris osculum habendum esse uti conclusionem orationis *Placeat* potius quam præludium benedictionis quæ subsequitur; eò vel magis quod in missis *de requie*, ubi omittitur illa benedictio, nihilominus altaris osculum observatur.

97. Sequitur benedictio populi. Jam sub veteri Testamento (Levit. IX) Moyses et Aaron expletis sacrificiis et holocaustis intrabant tabernaculum testimonii, et deinde egressi benedicebant populo. Quinimmo et benedictionis formam Dominus indicavit dicens Moysi (Num. VI, 23 sqq.): *Loquere Aaron et filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israel: Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat Dominus faciem tibi et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum super Israel; et ego benedicam eis.* (1) — Simili formula deprecatoria utitur sacerdos: *Benedicat vos omnipotens Deus*, et hæc dicens elevat oculos et manus ad cœlum, verbis et gestibus significans « omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse descendens a Patre luminum » Jac. I, 17; tùm sese vertens ad populum producit versùs eum signum crucis dicens: *Pater et Filius et Spiritus Sanctus*, sic tacite exprimens per crucem seu per Christum Redemptorem nobis omnem benedictionem et gratiam dimanare; nam ut docet S. Paulus *Ephes.* I, 3: « Deus benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, *in Christo* », seu omnimodam benedictionem spiritualem ac cœlestem nobis per Christum largitus est.

---

(1) « Nota hic, inquit A Lapide in h. l., efficaciam et effectum benedictionis sacerdotalis etiam in Lege veteri. Promittit enim Deus se benedictionem hanc exauditurum, ac reipsa præstiturum ac benedicturum, id est benefacturum populo ità a sacerdote benedicto... Quid mirum ergo si benedictio sacerdotum Novi Testamenti sit efficax, præsertim si ea fide et devotione petatur et suscipiatur, qua par est? ».

*
* *

98. Concluditur Missa lectione Evangelii, quod generatim est exordium Evangelii S. Joannis; sub cujus fine ad *Verbum caro factum est*, sacerdos genuflectit, ut veneretur mysterium profundissimæ humilitatis incarnatione Verbi peractum (1). Evangelium illud eximiam continet professionem fidei circa altissimas religionis christianæ veritates, atque in legentis memoriam revocat immensum amorem Dei erga hominem, maxime in mysterio redemptionis per Filium Dei incarnatum relucentem; unde natum est hominem ad gratitudinem atque amorem reciprocum provocare. Quare populus christianus idem evangelium magna semper veneratione est prosecutus (2); et multo jam tempore ante editum missale Pii V, pluribus in locis pietate sacerdotum et fidelium illud Missæ addi consueverat. Est igitur cur sacerdos illud recitet cum reverentia et affectu gratitudinis pro benificio Incarnationis, et cum desiderio gloriæ Dei ut ab omnibus agnoscatur et glorificetur; ad quod ipsum juvabunt reflexiones quas suggerit Card. Bona scribens:

« In prima hujus Evangelii parte agnosces quantus sit hospes, quem sub panis et vini velamine latentem suscepisti, nempe *Verbum æternum*, *per quod omnia facta sunt*, Filius Dei, Patri consubstantialis, *hominum lux et vita*, per quem et in quo omnes vivunt et illuminantur. — Expendes deinde ne forte ad te pertineant verba quæ sequuntur, *Lux in tenebris lucet et tenebræ eam non comprehenderunt*. Sicut enim homini cæco præsens est sol, sed ipse soli absens est: sic homines terrenis affectibus veluti tenebris obvoluti, intimam Dei lucem non vident, nec ab ea illuminantur. — Hæc etiam verba ponderabis: *In mundo erat et mundus eum*

(1) Pulcherrimam hujus evangelii paraphrasim exegeticam lege apud Corluy, *Comment. in Evang. S. Joannis*, p. 46 sq.

(2) Cfr. Lebrun, l. c. art. V, § 2.

non cognovit: In propria venit et sui cum non receperunt: ne et hæc forsan in te locum habeant; quod ne contingat Deum precaberis et timebis. — In ultimis denique verbis attendes quod dicitur, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, et hoc in te adimpleri rogabis: et quia Verbum divinum plenum est gratiæ et veritatis, ex hac plenitudine ubertim haurire satages quidquid tibi ad salutem et perfectionem est necessarium. (1) »

98. Respondet populus ore ministri: *Deo gratias!* quam gratitudinis exclamationem sic interpretatur Lebrun l. c.: « Gratiæ sint Deo Patri, qui suum nobis dedit Filium; gratiæ Deo Filio, qui nostram assumpsit naturam; gratiæ Spiritui sancto, qui nos in Christo sanctificat! Gratiæ sint Verbo, quod caro factum est, Agno huic divino, qui mox pro nobis sese obtulit et immolavit, nobisque in alimentum semetipsum præbuit! Gratiæ sint Deo pro omnibus suis donis atque infinitis misericordiis! »

99. Qua voce ipse sacerdos ad gratiarum actionem excitatum se sentiens, inchoat canticum *Benedicite* (2) illumque devote recitat dum ad sacristiam redit, vestesque sacras exuit; insufficientem enim sese agnoscens ad Deum debite laudandum, omnes creaturas invitat ut secum Domino benedicant et grates persolvant; imò ipsis creaturis inanimis quasi sensum et vocem tribuit, quibus et ipsæ exaltent communis Creatoris et Domini liberalitatem ac munificentiam. Absoluto cantico unà cum ps. 150 æque laudatorio, addit quosdam versus cum tribus orationibus, quarum primâ et tertiâ petit sibi communicari unum ex SS^mæ^ Eucharistiæ fructibus, qui est « quædam integritatis restauratio, quæ continetur tum cupiditatum restinctione pro vita mortali, tum præparatione ad gloriosam resurrectionem et immorta-

(1) *Tract. asect. Missæ*, cap. V, § 12.

(2) Hujus cantici interpretationem vide apud Van Steenkiste, *Introd. in Psalmos* (appendix), p. 254 sqq.

litatem pro vita futura » (Franzelin). In secunda verò postulat ut, sicut Christus sese totum dedit sibi, vicissim ipsemet, adspirante et juvante gratia, jam totus orando et operando ejus sancto famulatui sit devotus. Cur autem tertia oratio quæ est S. Laurentii hic fuerit adnexa, rationem assignat Quarti (l. c. Parte II, tit. XII), nimirum: « quia hujus sacrificii fuit (S. Laurentius) insignis minister, uti Diaconus S. Sixti, et hac ratione est specialis advocatus offerentium sacrificium, ad impetrandam puritatem, et *ne exurantur flamma vitiorum:* eò vel maxime quia ejus oratio concordat cum prima oratione, qua idem effectus ex sacrificio postulatur et specialiter congruit hymno recitato trium puerorum, quibus *mitigavit Deus flammas ignium* ».

H. V. D. B.

Quelques considérations

sur la base philosophique du socialisme scientifique contemporain.

(Suite — Voir ci-dessus, p. 249).

2° Ce *lien causal* nécessaire que Marx prétend découvrir dans le développement successif des forces productives, provient tout simplement de l'application de la dialectique hégélienne à l'histoire économique de la société. La triade dialectique se réalisant fatalement domine toute l'économie, et les institutions subissent d'ailleurs le sort des forces productives. Partout nous voyons des formes mobiles, fuyantes, opposées, enchaînées l'une à l'autre dans un développement organique perpétuel, et toutes également nécessaires.

Voici d'ailleurs quelques exemples. Prenons d'abord les modes de production analysés dans le *Manifeste*

Communiste (1). Le mode de production du moyen-âge est le métier : c'est la thèse au sens hégélien. — « Le métier ne pouvait plus satisfaire aux besoins qui croissaient avec l'ouverture de nouveaux marchés. Le métier... fut remplacé par la manufacture... La manufacture elle aussi, devint insuffisante ; alors la machine et la vapeur révolutionnèrent la production industrielle » (2). La manufacture et la « grande industrie moderne » (3) voilà la négation ou l'antithèse. Le collectivisme constituera la négation de la négation ou la synthèse.

La base de l'histoire, c'est-à-dire le mode de production évoluant sans cesse, toute la superstructure de l'édifice social se métamorphose et obéit à la même méthode évolutive. Ainsi « la *propriété* a subi de constants changements, de continuelles transformations historiques » dit le *Manifeste* (4). Dans le *Capital* Marx indique lui-même les divers stades : « L'appropriation capitaliste conforme au mode de production capitaliste, constitue la première négation de cette propriété privée qui n'est que le corollaire du travail indépendant et individuel. Mais la production capitaliste engendre elle-même sa propre négation avec la fatalité qui préside aux métamorphoses de la nature. C'est la négation de la négation. Elle rétablit non la propriété privée du travailleur, mais sa propriété individuelle, fondée sur les acquêts de l'ère capitaliste, sur la coopération et la possession commune de tous les moyens de production, y compris le sol. » (5)

De même « la société bourgeoise (s'est) élevée sur les ruines de la société féodale (thèse) » (6). « Mais la

(1) p. 6 ss.
(2) p. 8.
(3) p. 8.
(4) p. 31.
(5) Ed. de Paris, Librairie du Progrès, p. 342.
(6) *Manifeste*, p. 7.

bourgeoisie (négation ou antithèse) n'a pas seulement forgé les armes qui doivent lui donner la mort, elle a produit aussi les hommes qui manieront ces armes — les ouvriers modernes, les prolétaires » (1) (négation de la négation). — Viendra enfin une nouvelle synthèse: « A la place de l'ancienne société bourgeoise avec ses classes et ses antagonismes de classes, surgit une association où le libre développement de chacun est la condition du libre développement pour tous » (2).

Il n'en faut pas davantage pour montrer que Marx, tout en voulant remettre la théorie hégélienne « sur les pieds », est tombé à son insu « dans les piéges de la méthode dialectique de Hégel ».

Bernstein (3) observe à bon droit que « la mise sur pied de la dialectique n'est pas chose si simple. Comme les choses s'enchaînent toujours dans la réalité, dès que nous abandonnons le terrain des faits qui sont du domaine de l'expérience, et que nous nous mettons à réfléchir sur eux, nous nous engageons dans le monde des idées abstraites (der abgeleiteten Begriffe). Si alors nous suivons les lois de la dialectique telles que Hégel les a formulées, nous retombons, avant même de nous en apercevoir, dans le piége du développement spontané de l'Idée... Dès que, se basant sur ces formules, on détermine d'avance et par déduction des évolutions, surgit le danger des constructions arbitraires ».

De fait Marx était trop imbu de la doctrine fascinatrice de l'évolutionisme hégélien, pour pouvoir affronter impunément ce danger. Nous avons donné tantôt des exemples de ces constructions arbitraires.

---

(1) *ibid.* p. 18.

(2) *ibid.* p. 47. Nous pourrions multiplier ces applications. Pour la famille: la promiscuité est la thèse; la monogamie dans « la famille bourgeoise » (Manif. p. 38) forme l'antithèse; l'union libre ou « la communauté des femmes » (ibid. p. 39) serait la synthèse. — Pour la religion: à la vie nomade répond la religion patriarcale, le « culte de Jéhova »; à la féodalité répond le catholicisme, tandis que le protestantisme serait la religion de la bourgeoisie — (cfr. Hitze, *o. c.* p. 261).

(3) Bernstein, *o. c.* p. 20 ss.

Pénétrés du mécanisme de la Dialectique et de la loi implacable des antinomies, Marx et Engels ont, sans s'en douter, construit *a priori* tout l'édifice de leur cosmologie socialiste. Leur conception matérialiste de l'histoire a été élaborée d'après des idées préconçues et une méthode évolutive fixée d'avance.

Par suite, la loi de l'évolution économique actionnée par la lutte des classes, est une loi abstraite, ne correspondant pas à la réalité des faits.

Aussi, quel mal énorme ils se sont donné pour faire plier les faits à leur théorie, et pour appliquer leur système d'évolution à la réalité historique.

C'est en se basant sur la marche spontanée et fatale de la Dialectique que Marx et Bebel ont prophétisé plusieurs fois l'avènement prochain du collectivisme. L'on sait assez que les évènements leur ont infligé à chaque fois un démenti cruel, et combien la déception a parfois été amère (1). Le Manifeste Communiste en 1847 prédisait déjà la débâcle imminente du capitalisme et l'avènement prochain de prolétariat. Cette étrange erreur de date est significative. Si cette connexion que Marx a établie dans son système dialectique ne se réalise pas dans l'histoire, c'est que l'évolution fatale n'existe pas dans la réalité; c'est qu'il n'a pas considéré quantité de facteurs capables d'imprimer une direction nouvelle au mouvement social et d'émousser l'âpreté de la lutte économique.

***

3° L'évolution sociale n'est d'ailleurs pas une succession perpétuelle d'antinomies réelles contradictoires et irréconciliables. Toutes les entités, capital, propriété, bourgeoisie, prolétariat etc. que nous voyons en lutte dans la dialectique marxiste comme les pôles extrêmes

(1) Cfr. *Le XXe Siècle* du 12 Novembre 1899. « La crise du Socialisme allemand » par Fernand Dechamps.

d'une opposition irréductible, ne sont que des entités *logiques* plus ou moins opposées entre elles. « Le capitalisme » comme tel et « le prolétariat » comme tel n'existent pas dans la réalité économique (1). Il y a des capitalistes échelonnés par ordre d'importance sur une très vaste échelle, ayant des intérêts, des aspirations, des manières de vivre distincts (2). La grande industrie, dont nous ne nions pas les progrès, est loin d'avoir absorbé les petites entreprises, et d'avoir séparé le genre humain en deux catégories nettement distinctes : d'un côté quelques magnats du capital — de l'autre l'infinie multitude des prolétaires ou des salariés (3). Les groupes économiques ne sont pas assez homogènes et assez tranchés pour fournir ces unités réelles contradictoires dont la théorie marxiste ne peut se passer.

Le prolétariat ou la classe de ceux « qui ne vivent pas des revenus d'une propriété ou d'une situation privilégiée » (4) est un mélange d'éléments très hétérogènes, fort différents au point de vue de l'aisance, des intérêts, des relations familiales. Nous accordons que la plupart peuvent avoir entre eux un lien de solidarité *politique*, mais non pas ce lien étroit de solidarité *économique* que Marx leur prête. N'oublions pas enfin que les ouvriers industriels, seuls pris en considération dans le *Manifeste Communiste*, forment dans tous les pays la minorité de la population. C'est d'ailleurs

(1) Le rôle de ces entités dialectiques est mis en relief dans la Préface du « *Capital* » (p. 11) : « Je n'ai pas peint en rose le capitaliste et le propriétaire foncier. Mais il ne s'agit ici des personnes qu'autant qu'elles sont la *personnification de catégories économiques*, les *supports d'intérêts et de rapports de classes déterminés*. Mon point de vue, d'après lequel le *développement de la formation économique de la société est assimilable à la marche de la nature et à son histoire*, peut moins que tout autre rendre l'individu responsable de rapports dont il reste socialement la créature, quoi qu'il puisse faire pour s'en dégager ».

(2) Cfr. *Rev. Soc. cath.* Juin 1899 p. 248 — Bernstein *o. c.* p. 84 s.

(3) Comme nous trouverons peut-être l'occasion de le montrer dans une étude suivante.

(4) Bernstein *o. c.* p. 88.

une critique générale que l'on doit adresser à la doctrine Marxiste : elle se place pour ainsi dire exclusivement au point de vue industriel, et néglige complètement l'économie rurale.

*
* *

4° Mais le socialisme scientifique n'est pas seulement incomplet et exclusif en ce qu'il ne considère la question économique que sous un seul aspect ; il l'est encore et surtout en ce que dans le développement historique de la société *il ne tient compte que du seul facteur économique.* Engels, il est vrai, a fait, comme nous l'avons montré plus haut, des concessions importantes et admis que l'évènement historique peut être la résultante d'un groupe de parallélogrammes de forces ; cependant il a toujours considéré la base économique de la société comme le facteur prépondérant et décisif.

Or, voici que tout récemment Ed. Bernstein, un des meilleurs théoriciens socialistes, répudie dans le savant ouvrage dont nous avons déjà parlé, la formule dogmatique et rigide du matérialisme historique, telle que Marx et Engels l'ont enseignée. Il y apporte des corrections si importantes, qu'on se demande à bon droit si sa critique ne sape pas la base philosophique du socialisme Marxiste. — Sans doute la critique de Bernstein n'est pas complète, et tout n'est pas neuf dans son argumentation : la signification de son intéressant travail est bien plutôt dans la reconnaissance par un socialiste de talent et de renom du bien fondé de certaines critiques formulées avant lui. Bernstein voudrait même abandonner la dénomination de conception matérialiste de l'histoire qu'on a donnée au Marxisme, et intituler celui-ci : conception économique de l'histoire (œconomische Geschichtsauffassung).

Voyons donc brièvement l'appréciation impartiale et sévère qu'il vient de porter sur le matérialisme historique, qu'il appelle lui-même « la base du Marxisme et

la loi fondamentale qui pénètre le système tout entier, à telles enseignes que le Marxisme subsiste et s'écroule avec lui » (1).

(A suivre).

A. C.

De ligno scientiæ boni et mali

Lignum scientiæ boni et mali fuisse *veram ac realem arborem*, facile colligitur ex Genesi II, 9 : « Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave : lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali ». Sicut ergo cetera ligna et lignum vitæ erant veræ et reales arbores, ita et lignum scientiæ boni et mali. « Deus quoque ejus esu, homini mortem comminatus interdixit : ergo ferebat fructus qui poterant ab homine comedi. Eva item aspiciens arborem aspectu pulchram, fructumque ejus ad vescendum suavem, decerpsit, comedit, viroque suo dedit comedendum » Pererius.

Porro « concedunt omnes, ait Hummelauer in h. l., nullam ei arbori infuisse virtutem ad scientiam hominibus impertiendam, sed nomen nactam esse *ab eventu*. At quomodo hoc ei nomen conveniat, dissentiunt auctores... Ubi advertas primum, nomen arbori inditum esse ab ipso Deo (cf. v. 17), ergo sane sapienter inditum. Oportebat igitur illud aliquid habere *veritatis*, sive homo tentationi resisteret sive eidem succumberet. Experimento sciturus erat homo, quam bona sit obedientia, si tentatori resisteret ; quam mala sit transgressio, si eidem obsequeretur. Præterea autem hanc arborem selegerat Deus, qua hominis fidem tentaret.

(1) *o. c.* p. 4.

Pelliciebat fructûs forma, color et odor: erat sane et in nomine aliquid, quod ambitioni suggereret bonum aliquod summopere ac vel neglecto Deo appetendum. *Illecebræ* autem in eo erant, quod arboris nomen significationem admitteret omniscientiæ cujusdam, qua homo ipsius Dei evaderet æqualis; quodque ita arbor videretur « desiderabilis ad intelligendum » (cf. dicenda ad 3, 6). Nomen erat de se anceps, ænigmaticum, curiositatem titillans atque ambitionem ».

Jam vero de hoc ligno omnino aliter sentit R. P. Lagrange. Scribit enim in *Revue Biblique*, a. 1897, p. 333: « Les deux arbres. — Assurément il ne répugne pas de les prendre à la lettre (1), mais cela n'est nullement nécessaire à la substance de l'enseignement (2)... L'arbre de la science du bien et du mal est-il indispensable dans sa réalité? (3) Il sert à représenter la science du bien et du mal, mais non pas en lui-même, car il est évident que le péché du premier homme ne fut pas un péché de gourmandise (4); la vue du fruit n'entre pour rien dans ce qui est l'acte du péché originel, commis avant la manducation et qui fut un péché d'orgueil d'après saint Thomas (II, II, q. 163, a. 1): *primum peccatum hominis fuit in hoc, quod appetiit quoddam spirituale bonum supra suam mensuram, quod pertinet ad superbiam* (5). L'arbre de la science est un symbole très

---

(1) Si nulla seria ratione cogitur R. Pater recedere a litterâ S. Scripturæ, cur ab eâ recedit?

(2) Gratis affirmat R Pater veritatem historicam utriusque istius arboris non pertinere ad substantiam doctrinæ in Genesi propositæ.

(3 Respondemus: *à priori:* non; *à posteriori*, seu *ex positivâ Dei ordinatione:* utique.

(4) Contrà, « dicendum quod in peccato primorum parentum *etiam gula* locum habuit » S. Thom. II, II, q. 163, a. 1, *ad secundum*. Sane *primum* peccatum primi hominis fuit superbia, ast *non unicum*.

(5) Profectò *primum* peccatum primi hominis juxta S. Thomam, fuit *superbia*. Sed *ex superbia* in eo causatam esse *inobedientiam, gulam, inordinatum appetitum scientiæ*, et *infidelitatem*, in *eodem articulo* disertè docet idem S. Doctor. Quod autem nominatim commiserit peccatum *specialis inobedientiæ*, per realem manducationem fructus vetiti, quæ fuit consummatio

convenable du bien spirituel qui a tenté l'homme, mais la déchéance ne dépendait pas de la vertu intrinsèque du fruit (1). Dès lors l'arbre de la science peut avoir été réel, il peut n'être qu'un symbole: cela dépendra du caractère général du récit » (2).

Miramur quomodo vir adeo doctus à *naturali* et *recepto* S. Scripturæ sensu propter tam debiles rationes recedere haud vereatur.

G. V. D. P.

E Sacra Pœnitentiaria

Dubia varia de Jubilæo

Beatissime Pater,

N. N. ad pedes Sanctitatis vestræ provolutus, humillime quærit solutionem dubiorum quæ sequuntur.

I. Cum adultorum, qui ob morbum impediuntur a Sacra Communione facienda, necessitati nullibi sit provisum in bullis Jubilæi, iique propterea ab hac gratia exciderent, quos tamen peculiari benignitate prosequitur bulla *Æterni Pastoris*,

---

transgressionis præcepti positivi, non potest esse in dubio perpendenti narrationem Moysis, v. g. III, 17. « *Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra etc.* » Cf. omninò II, 16-17; III, 1-6, 11-13. Unde S. Paulus *ad Rom.* V, 19: *Per inobedientiam unjus hominis, peccatores constituti sunt multi.* Si Adami inobedientia non fuit in hoc quod contra Dei prohibitionem manducaverit de fructu arboris scientiæ boni et mali, prouti apertè testatur S. Scriptura, quæritur quanam tandem in re Adamus fuerit inobediens seu quale Dei speciale præceptum transgressus sit?

(1) Enimvero casus hominis non pendebat à virtute intrinseca illius fructus, sed à transgressione positivæ prohibitionis divinæ. Unde patet conclusionem Auctoris: *Dès lors etc.* nullatenus contineri in præmissis.

(2) Jam vero character generalis narrationis mosaicæ manifestè *historicus* est. Ergo.

quæritur utrum liceat in præsentis anni sancti Jubilæo uti decreto S. Congregationis Indulgentiarum, d. die 18 Sept. 1862, ad commutandam S. Communionem in alia opera pia, prout S. Pœnitentiaria, die 10 Maii 1886, decrevit licere pro Jubilæo anni 1886?

II. Utrum ille qui periculose decumbens S. Viaticum recipit, tenetur iterato communicare ad lucrandum Jubilæum, eapropter quod S. Communio per modum Viatici ex præcepto sit obligatoria? Et quatenus affirmative, utrum per unam Communionem præcepto satisfacere et Jubilæum lucrari ille saltem ægrotans valeat, qui vel ob physicum impedimentum vel ob familiarium indevotionem ab altera communione sine sua culpa prohibetur?

III. Utrum per bullam *Quod Pontificum* suspensa sit facultas impertiendi indulgentiam fidelibus extra articulum mortis, v. g. per benedictionem papalem, absolutionem tertiariorum, etc., ea tamen lege ut indulgentia solis defunctis applicari debeat?

IV. Utrum ille quem ab itinere romano retinent duo canonica impedimenta successive obvenientia, sed quorum neutrum seorsim spectatum ab hoc itinere intra annum impediret, privilegio bullæ *Æterni Pastoris* frui valeat? Ille, v. g. qui sex mensibus æger decumbit, et sex aliis mensibus in carcere detinetur.

Sacra Pœnitentiaria ad proposita dubia respondet:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative, sed indulgentiæ solis defunctis sunt applicandæ.*

Ad IV. *Nihil esse respondendum.*

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 28 Martii 1900.

A. Carcani, *S. P. Regens.*
A. Can. Martini, *S. P. Secretarius.* (1)

Adnotationes. Tribus prioribus hujus decreti responsis dirimuntur quæstiones quas jam pluries in hoc periodico agitavimus.

1. Responso ad primum disertissime confirmatur sen-

(1) Cf. *Nouv. Rev. Théol.* 1900, p. 333, cujus scriptor J. V. citata dubia S. Pœnitentiariæ proposuit (*Nouv. Rev. Théol.*, p. 334).

tentia quam contra periodici *Nouv. Rev. Théol.* scriptorem clarissimum J.V. per longum et latum vindicavimus (suprà pp. 120 et 332-339).

Quamvis aliter sentire videatur laudatus scriptor (*Nouv. Rev. Théol.* 1900, p. 336) censemus hoc responso nihil detrahi probabilitati opinionis nostræ juxta quam « posset forsan confessarius recurrere ad communionis commutationem » (suprà p. 339) erga rarissimos ægrotos qui etiam *domi* communicandi sunt incapaces. Nam hoc probabiliter permitti diximus « non vi bullæ aut *decreti anni 1862* sed *ex benigna mentis Pontificis interpretatione* ». Jamvero præsens responsum unice, juxta petita, negat applicationem decreti anni 1862, aliam vero quæstionem ne tangit quidem. Ceterum, quidquid sit de mente postulantis (*Nouv. Rev. Théol.* 1900, p. 334), in terminis certe dubii propositi minime clare exprimitur postulatum restringi ad illos ægrotos qui nec in ecclesia nec *domi* communicare valent, eo vel magis quod petitur responsum ad normam concessionis anni 1886 « prout S. Pœnitentiaria, die 10 Maii 1886, decrevit licere pro Jubilæo anni 1886 » : jamvero tunc concessa est facultas commutandi communionem pro *omnibus* « infirmis... e domo egredi impotentibus ». (1)

---

(1) Quoad controversiam de convictuum puellis in ordine ad jubilæum lucrandum, concedit laudatus J. V. nostram sententiam non esse « sans fondement ». Imo « si le terme : *educandæ*, dont se sert la bulle, désignait » des filles se trouvant dans les conditions des pensionnaires modernes, » comme semble le croire C. C., il n'y aurait aucun doute possible. Mais » il n'en est rien : en droit, on entend par *éducandes* des filles demeurant » constamment au couvent, menant à peu près la vie religieuse et » astreintes à la clôture, comme nous le disions, t. XXX, p. 499, note 2 ». Respondemus : a/ quidquid sit de hac significatione stricta, interdum, præsertim *olim*, pro subjecta materia usitata, hæc certe admitti nequit in hac materia omnino favorabili, in bulla in qua Romanus Pontifex totus est in extendendo privilegio, in qua neque ab ipsis religiosis requirit clausuram. — b/ Sed transeat totum : si puellæ de quibus controversiam egimus non venirent nomine « *educandarum* », intelligerentur certe nomine « puellarum... in gynecæis et conservatoriis degentium », quæ « nec Moniales, nec Tertiariæ, nullisque claustri legibus obnoxiæ sunt »; et vi n. IV possent frui privilegio jubilæi.

2. Responso ad secundum dubium quæstio quam tractavimus (suprà p. 274-84) dirimitur eo modo qui prævideri poterat, non « juxta principiorum rigorem », sed secundum benignam mentem Pontificis, quam ibi exposuimus. Quamvis hæc solutio petita et statuta fuerit tantum de *communione* in modum viatici suscepta, nullum tamen dubium quin idem dicendum sit de *confessione* in fine vitæ instituenda.

Ergo in articulo mortis constitutus *unica confessione et communione* potest simul et satisfacere præcepto recipiendi hæc sacramenta in fine vitæ et lucrari jubilæum.

3. Responso ad tertium dubium expresse confirmatur adnotatio adjecta decreto S. Pœnitentiariæ 12 Feb. 1900, cujus textus habetur suprà p. 384.

4. De quarto dubio nihil est addendum : responsum affirmativum per se patet.

C. C.

*
* *

Nota paginæ præcedentis jam typis erat impressa, quum benigne nobiscum communicatur S. Pœnitentiariæ *declaratio* sequens, qua expressis terminis confirmatur opinio p. 212 exposita et pp. 328-32 et 445 vindicata, et simul implicite probatur opinio tradita p. 130-34.

Convictuum puellæ lucrari valent jubilæum.

In constitutione *Æterni Pastoris* data Calendis Novembris anni 1899, inter personas quæ ex benignitate Apostolica indulgentiam anni sancti lucrari valent, quin veneranda Apostolorum sepulchra et patriarchales Urbis Basilicas adeant, n° IV recensentur : « Puellæ ac mulieres in gynæceis seu conservatoriis degentes, quamvis nec Moniales, nec Oblatæ, nec Tertiariæ nullisque claustri legibus obnoxiæ sint. »

Porro in conventibus Belgii, in quibus puellæ educationis et instructionis gratia excipiuntur, mos est ut eædem puellæ, statis temporibus, bis saltem in anno, modo per duas aut tres, modo per quinque aut sex hebdomadas ad domum parentum redeant.

Petitur... declarari utrum puellæ in convictibus cum dictis conditionibus viventes indulgentiam anni sancti lucrari valent.

Sacra Pœnitentiaria R^mo in Christo Patri S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Mechliniensi ad propositum dubium respondit: *Affirmative.*

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 9 Junii 1900.

D. Mannajoli, *S. P. Sig. Coad.*
A. Can. Martini, *S. P. Secretarius.*

C. C.

Ex S. Congr. Rituum

DECRETUM declarationis indulti pro solemnitate festorum transferenda.

Cum post indultum reductionis Festorum concessum Reipublicæ Galliarum territorio per E^mum Legatum Card. Caprara sub die 9 Aprilis 1802, illudque ab eodem E^mo declaratum die 1 Julii 1804, plura exorta fuerint dubia, quæ, licet resoluta, omnem tamen dubitandi locum nondum abstulerunt; Sacra Rituum Congregatio rem præsenti Decreto opportunum esse judicavit pro omnium Ecclesiarum utilitate, quibus indultum favet, declarare ac definire:

I. « Festa, quorum solemnitates sunt transferendæ in proximiorem Dominicam non impeditam, sunt: Epiphaniæ Domini, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Sanctorum Patronorum locorum, quando infra hebdomadam occurrunt: sive recoli quoad Officium propria die, sive ad aliam diem amandari debeant juxta Rubricas: reliqua, eadem die qua occurrunt, cum propria solemnitate celebrentur. Pro Patrono autem præcipuus loci intelligendus est, videlicet Civitatis, aut oppidi etc., atque etiam, in illius tantum defectu, Patronus Diœcesis: quorum nempe alteruter legitime electus juxta Constitutionem Urbani Papæ VIII, vel ab immemorabili assumptus, in singulis locis celebrandus est sub ritu duplici I classis cum octava ac præcepto in foro ».

II. « Pro solemnitate, quæ transfertur, nonnisi unica Missa intelligitur, more votivo canenda, ut in Festo, cum *Gloria*, una tantum Oratione, *Credo* et Evangelio S. Joannis in fine: ubi tamen non adsit Missæ Conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicæ sub distincta conclusione, ejusque Evangelium in fine ».

III. « Si Festum, cujus esset transferenda solemnitas, incidat in aliquam ex Dominicis I classis (Palmarum excepta) semiduplicis aut duplicis minoris ritus, cantabitur Missa de Dominica et illius primæ Orationi adjungetur, sub unica conclusione, occurrentis Festi commemoratio: quoad reliqua serventur Rubricæ; et de dicta solemnitate nihil amplius fiat. Si vero incidat in Dominicam Palmarum aut in Festum aliquod ex solemnioribus universalis Ecclesiæ, nulla de eo commemoratio fiat, neque transferatur solemnitas, sed Officium tantum juxta Rubricas ».

IV. « Si solemnitas ipsa translata incidat in Dominicam I classis vel in qua Vigilia Nativitatis Domini occurrat vel in Festo Circumcisionis aut in die octava Epiphaniæ, Missa erit de Dominica vel de Festo, quoad reliqua servatis Rubricis, uti in superiori numero dictum est: et eadem solemnitas in proximiorem Dominicam liberam transferatur ».

V. « Si solemnitas translata incidat in aliquam Dominicam, in qua aliud quodcumque duplex I classis occurrat, Missa de eadem solemnitate canatur, modo Festum, ad quod ipsa pertinet, sit dignius: secus, in proximiorem Dominicam liberam ulterius transferatur. Quod si tam Festum quam solemnitas æqualis fuerint dignitatis, illud celebretur juxta Rubricas: ad solemnitatem autem quod spectat, pariter transferatur in proximiorem Dominicam non impeditam ». (1)

VI. « Si duæ solemnitates translatæ in eamdem Dominicam incidant, fiat de solemnitate digniori; et minus digna iterum, ut supra, transferatur ».

VII. « Hujusmodi autem dispositiones Sacra Rituum Congregatio servandas jubet in omnibus et singulis Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, imo et in quibuscumque Oratoriis publicis, in quibus Missa cantari solet, sive ad Secularem, sive ad Regularem Clerum illæ pertineant ». Die 2 Decembris 1891.

---

(1) Cfr. *Collat. Brugen.* 1897, p. 238, 5°.

Législation civile ecclésiastique

Loi du 24 Avril 1900 relative aux traitements des ministres du culte catholique et aux pensions civiles et ecclésiastiques.

(*Moniteur* des 30 Avril et 1er Mai 1900, p. 1866 ss.) (1).

I

OBSERVATIONS GÉNÉRALES.

Au cours des dernières années, le gouvernement, cherchant à procurer aux fonctionnaires publics et, en général, à ceux qui émargent au budget de l'Etat, des ressources plus en rapport avec les nécessités de l'existence, a relevé la plupart des traitements inférieurs payés par le trésor public. Notamment, les traitements des ministres des cultes dissidents ont été augmentés dans des proportions considérables; et le gouvernement paye au ministres de ces cultes des traitements beaucoup supérieurs à ceux qu'il paye aux prêtres catholiques. Cependant le rôle social du clergé gagne

(1) Cf. **Session législative** de 1899-1900.

CHAMBRE DES REPRÉSENTANTS.

Documents parlementaires: Projet de loi et exposé des motifs (séance du 2 Février 1900; pp. 64 et 65); — Rapport (séance du 2 Mars 1900; pp. 99 et 100).

Annales parlementaires: Discussion générale (séances des 13, 14, 15, 16, 21, 22 et 23 Mars 1900; pp. 687, 697 à 702, 705 à 707, 709 à 719, 721 à 731, 754 à 761, 766 à 771, 782 à 785); — Discussion des articles (séances des 27 et 28 Mars, et 3 Avril 1900; pp. 806 à 809, 815 à 826, 860 à 862).

SÉNAT.

Documents parlementaires: Rapport (séance du 4 Avril 1900; p. 99 ss.).

Annales parlementaires: Discussion générale (séances des 18 et 19 Avril 1900; pp. 396 à 406 et 407 à 417); — Discussion des articles (séance du 19 Avril 1900; p. 417 à 419).

tous les jours en importance. Non seulement, dans la plupart des paroisses, il est à la tête des œuvres de mutualité ou de prévoyance, mais il doit encore grever son maigre budget pour soulager par l'aumône bien des misères et bien des infortunes auxquelles il ne lui est pas possible de rester indifférent. De plus, l'indemnité que l'Etat lui alloue, n'est que le payement d'une dette (1) contractée le jour où il mit une main sacrilège sur les propriétés ecclésiastiques. Malgré tout cela, les subventions accordées par l'Etat aux ministres du culte catholique sont restées invariables, et la condition matérielle du clergé n'a pas été améliorée depuis 1863.

A cette époque, une légère augmentation de traitement fut accordée par la loi du budget, combinée avec l'arrêté royal du 28 Mai 1863. C'est un ministère libéral, présidé par M. Frère-Orban, qui prit l'initiative de cette mesure. Mais l'augmentation était considerée comme si minime que le gouvernement s'en excusa devant la législature, et qu'un membre de la majorité libérale d'alors, M. Guillery, n'hésita pas à déclarer, au nom de tous ses collègues de la gauche, qu'il ne regrettait qu'une chose, c'était de ne pouvoir améliorer davantage les traitements du clergé inférieur, qu'il reconnaissait être fort mal rétribué. C'était dire que la question restait ouverte, et qu'une solution plus équitable devrait intervenir dès que la situation financière le permettrait.

Depuis lors, l'insuffisance des traitements du clergé fut, à diverses reprises, signalée au sein du parlement; et deux propositions furent faites en vue de les relever : l'une fut présentée à la chambre par M. Woeste, le 19 Novembre 1896, l'autre au Sénat par Mgr Keesen,

(1) Ce caractère de la rémunération accordée par l'Etat au clergé catholique a été parfaitement établi, à la Chambre par MM. Woeste, Helleputte, De Lantsheere et Van den Heuvel (*Ann. parl.*, pp. 709, 714, 726 et 754), et au Sénat par Mgr Keesen et M. Meyers (*Ann. parl.*, pp. 399 et 407). Cf. Rapport au Sénat (*Documents*, p. 99).

le 8 Novembre 1898. A l'occasion de ces propositions, le gouvernement annonça son intention de prendre lui-même l'initiative des mesures nécessaires pour améliorer la position des membres du clergé inférieur, et les mettre à même de remplir leur mission avec une indépendance suffisante. Il réalisa cette promesse en déposant, le 2 Février 1900, un projet de loi dans ce but. Le projet, amendé par le gouvernement lui-même, fut définitivement voté à la Chambre le 3 Avril, adopté par le Sénat à la séance du 19 Avril, et sanctionné par arrêté royal en date du 24 Avrll 1900.

La nouvelle loi concerne les TRAITEMENTS et les PENSIONS des ministres du culte catholique; et elle améliore la situation du clergé à ce double point de vue.

D'abord, en ce qui concerne les TRAITEMENTS, la loi du 24 Avril 1900 maintient, en principe, pour le *clergé supérieur*, les taux antérieurement fixés par l'arrêté royal du 28 Mai 1863. Toutefois, les traitements des vicaires généraux ont été augmentés, parce qu'ils n'étaient plus proportionnés à l'importance ni aux charges des fonctions exercées. Une légère amélioration a été également apportée à la position des chanoines d'évêché.

Les traitements des membres du *clergé inférieur* ont subi une double modification: d'abord, ces traitements ont été quelque peu relevés; ensuite, l'octroi des traitements moyen et supérieur a été subordonné à des conditions d'âge et de service qui en assurent très justement la jouissance à un plus grand nombre de bénéficiaires.

La loi contient aussi certaines règles concernant le payement des traitements. A propos de ces dernières, on peut dire qu'elle ne fait, au moins d'une façon générale, que codifier les dispositions déjà existantes. Le législateur a jugé opportun de réunir dans un même texte légal les dispositions éparses qui concer-

nent les traitements ecclésiastiques payés par le trésor public.

Quant aux PENSIONS, les principes généraux de la législation existante, tels qu'ils ont été consacrés par la loi du 21 Juillet 1844, ont été maintenus. (1)

Cependant l'organisation de ces pensions, en ce qui concerne les conditions de leur octroi, a été ramenée au droit commun par l'article 5 de la loi actuelle, modifiant en ce sens les articles 22 et 24 de la loi de 1844.

Le changement apporté au paragraphe 1er de l'article 22 constitue une amélioration sérieuse. Autrefois, il fallait que le prêtre, pour obtenir l'entièreté de sa pension, comptât 65 années d'âge et *40 années de services*. Cette dernière condition, d'une rigueur excessive, constituait une dérogation grave au droit commun ; car d'après celui-ci, tel qu'il est consacré par la loi de 1844, les pensions sont accordées aux *fonctionnaires* âgés de 65 ans et comptant *30 années de services*. Désormais, les membres du clergé obtiendront l'intégralité de leur pension aux mêmes conditions que les fonctionnaires.

Ce retour au droit ordinaire a nécessairement entraîné une modification dans la fixation des tantièmes de la pension qui peut être obtenue lorsqu'un ecclésiastique est obligé de prendre sa retraite pour cause d'infirmités avant d'avoir les trente années de services nécessaires pour le chiffre intégral de la pension. L'article 5 de la nouvelle loi modifie, à ce point de vue, l'article 24 de la loi de 1844.

La modification introduite au § 2 de l'article 22 de la loi de 1844 a pour objet d'en mieux préciser le sens, et de prévenir autant que possible les difficultés d'interprétation au sujet du droit que possède le gouvernement

---

(1) Nous avons exposé ces principes dans les *Collationes* (T. III, p. 343 ss.). Sauf les modifications apportées au régime des pensions par la loi de 1900, les règles que nous avons précédemment indiquées continueront d'être appliquées.

d'apprécier quelles sont les fonctions, non rétribuées par le trésor public, qui ont été nécessaires aux besoins du culte, et qui sont, à ce titre, admissibles dans la liquidation des pensions.

Telle est l'économie générale de la loi du 24 Avril 1900 relative aux traitements et aux pensions ecclésiastiques.

Cette loi apporte une amélioration notable à la condition matérielle du clergé inférieur. Cependant, la majorité catholique, dans les deux chambres, aurait voulu améliorer davantage la position des ministres du culte, et divers amendements ont été présentés dans ce sens ; mais le gouvernement, tout en reconnaissant que les relèvements proposés par lui ne répondaient pas à toutes les espérances, a fait valoir des considérations d'ordre financier et déclaré que la situation du trésor ne permettait pas une augmentation plus considérable. « C'est le maximum du sacrifice, a dit à la chambre M. de Smet de Naeyer, que nous puissions imposer au trésor public dans les circonstances actuelles » (*Ann. parl.*, p. 815).

« Les membres du clergé continueront à trouver dans les émoluments de leurs fonctions le supplément de ressources indispensable pour leur permettre de faire face aux nécessités de l'existence. Ce supplément consistera notamment, pour la plupart des chapelains et des vicaires, dans les subventions que les fabriques d'église et les communes sont autorisées à leur allouer par la loi du 9 Janvier 1837 ». (Exposé des motifs du projet de loi, *Docum. de la Chambre*, p. 65).

Dans une prochaine livraison, nous donnerons le texte de la loi du 24 Avril 1900, accompagné de quelques notes explicatives.

C. V. C.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — Donation à charge de services religieux — fixation des honoraires — indemnité accordée au curé du chef de la réception de prêtres étrangers — clause illégale

—

Le desservant de Temploux (prov. de Namur) fit donation à la fabrique de l'église de cette localité, de la nue propriété d'une somme de 6000 francs, le donateur se réservant l'usufruit, à charge par la dite fabrique :

1° De faire célébrer chaque année et à perpétuité, dans l'église de Temploux, une messe haute, à l'heure ordinaire, avec orgues, diacre et sous-diacre, pour le repos de l'âme du donateur...

Les honoraires à revenir au prêtre officiant pour cette messe seront calculés, conformément au *tarif diocésain du 4 Janvier 1886*, et il lui sera, en outre, alloué une somme de 15 francs *pour l'indemniser du chef de la réception* de deux prêtres *étrangers ;*

2° ... et 3° ...

La fabrique accepta cette donation, sous réserve de l'approbation de l'autorité compétente ; mais l'autorisation requise ne fut accordée, qu'au vu de lettres « par lesquelles *le donateur déclare renoncer à la clause relative à l'indemnité de 15 francs* à accorder au prêtre officiant de l'église donataire du chef de la réception de deux prêtres étrangers, *et se référer*, pour le calcul des honoraires à payer, pour la célébration de l'anniversaire fondé, *au tarif* diocésain *approuvé* par arrêté royal *du 18 Mai 1880*. Arrêté royal du 7 Février 1900 (*Moniteur*, p. 615).

Observations.

D'après la jurisprudence, les fondateurs n'ont pas le

droit de déterminer à leur gré le taux des honoraires que le célébrant percevra à l'occasion de l'exonération des services fondés. Ils doivent se contenir dans les limites du tarif approuvé, qui constitue un *maximum* qu'ils ne peuvent dépasser. Voir les *Collationes*, T. II, p. 394 ss.

C'est par application de cette jurisprudence que le gouvernement considère comme illégale la clause d'une fondation, attribuant au curé une certaine somme, non prévue par le tarif, pour l'indemniser des frais occasionnés par la réception des assistants étrangers.

Nous croyons utile de rapporter, à ce propos, une décision analogue, fort intéressante.

Une personne légua aux pauvres de la commune d'Orbais (prov. du Brabant), une somme de 20,000 fr., à charge notamment par le conseil d'administration du bureau de bienfaisance de cette commune, de faire célébrer, chaque année, le 19 Mars et à perpétuité, dans l'église de la paroisse, une messe haute, à 10 heures et à trois prêtres, au taux ordinaire.

Pour assurer l'exécution, à l'époque fixée, de l'anniversaire fondé, le temps étant souvent mauvais à cette époque et les prêtres assistants devant être demandés dans des communes plus ou moins éloignées, le testateur stipula ensuite qu'il serait payé, par messe, à chacun des assistants 4 francs, et au curé 10 francs pour frais de réception.

Le gouvernement, appelé à autoriser l'acceptation de cette fondation, disposa comme suit : (1)

« En ce qui concerne la clause par laquelle le testateur stipule au profit du desservant, le payement,... d'une somme de 10 francs, pour indemniser le dit desservant des frais occasionnés par la réception de deux prêtres-assistants étrangers à la commune :

« Considérant que l'allocation d'une indemnité de ce genre

(1) Arr. roy. du 11 Janvier 1889 (*Moniteur*, p. 169).

par voie de fondation n'est autorisée ni par l'usage ni par le tarif du diocèse de Malines... ; qu'au surplus cette indemnité, devant profiter indirectement aux prêtres assistants, ferait double emploi avec la rémunération supplémentaire pour déplacement accordée à chacun d'eux outre les honoraires fixés par le tarif ».

Il résulte de cet arrêté, d'une part que les fondateurs ne peuvent rien allouer au *curé* pour l'indemniser des frais occasionnés par la *réception* des assistants étrangers *parce que l'allocation d'une indemnité de ce genre n'est pas prévue par le tarif;* d'autre part, qu'il leur est loisible d'accorder aux dits *assistants* une rémunération supplémentaire pour *déplacement, outre les honoraires prévus par le tarif* (1). Mais, si la loi du tarif ne s'oppose pas à ce que les fondateurs allouent aux prêtres étrangers une rémunération supplémentaire pour déplacement, comment dès lors peut-on raisonnablement invoquer cette même loi du tarif pour rejeter, comme illégale, l'allocation au profit du curé d'une indemnité pour frais de réception, surtout en prétendant que cette indemnité profite indirectement aux dits prêtres étrangers !

D'ailleurs, nous l'avons vu, la loi du tarif ne s'oppose pas à ce que les fondateurs prescrivent certaines prestations non prévues par le tarif. Voir notamment l'arrêté royal du 26 Octobre 1897, rapporté dans les *Collationes*, T. III, p. 54.

Si l'administration conformait sa pratique aux principes de la raison et du droit, elle ne serait pas exposée à des inconséquences aussi flagrantes.

C. V. C.

(1) De fait, le tarif du diocèse de Malines ne prévoit aucune rémunération pour déplacement. Semblable rémunération est prévue dans les tarifs des diocèses de Liège et de Namur.

Consultatio

DUBIUM. De Jure Redemptionis et de Portione Canonica.

Quæstio est de persona quæ casu fortuito decedit extra propriam parochiam, nec inde commode asportari potest.

De hac quæstione sic habetur apud Berardi in *Praxi Confessariorum*, nº 1249, edit. 2dæ : « Animadverti quod canonistæ passim jus ad quartam extendunt etiam ad casum parochiani qui necessario extra paræciam sepeliri debuerit. Nihilominus consuetudines immemorabiles vel statuta particularia huc illuc in contrarium adsunt ».

Videndum igitur quæ sit *consuetudo* vel *lex particularis* diœceseos Brugensis.

Jamvero 1º quod spectat ad *consuetudinem*, ita Illmus De Brabandere in prioribus editionibus *Jur. can. compend.* (T. I, nº 479) : « Existimamus autem usu sat generali obtinere in diœcesi Brugensi ut, dum quis fortuito, seu inopinato casu, in aliena parochia, ubi transeunter moratur, decedit, liberum sit hæredibus cadaver transferre vel non, nullo redemptionis jure persoluto ».

Sed in novissima editione hic locus prorsus omittitur.

Quod autem 2º spectat ad *legem particularem*, extat quidem decretum Illmi Domini Fallot de Beaumont, quod sic sonat : « Si des obsèques, par suite du testament du défunt, ou par disposition particulière des héritiers, seraient célébrées dans une église paroissiale ou succursale (seules églises où désormais les funérailles des catholiques pourront être célébrées), qui ne serait pas l'église propre du défunt, ses héritiers paieront le droit dit de *Rédemption*, tant à la fabrique de l'église frustrée des funérailles, qu'à son curé et clerc, dans la proportion des classes ci-dessus énoncées, et selon l'usage

établi par l'autorité épiscopale » (*Recueil de quelques brefs pontificaux, et de toutes les lettres past... de Mgr Fallot de Beaumont*, T. I, p. 248). — Cui decreto addi potest sequens decretum Congregationis prosynodalis an. 1875: « Nullus parochus admittat exsequias extranii, nisi prius constiterit juribus ecclesiæ parochialis defuncti satisfactum iri ».

Ast, aliis omissis, saltem decretum Ill^mi^ Fallot de Beaumont non videtur respicere casum in dubio propositum.

His et similibus præ oculis habitis, quæritur:

I. Utrum in casu proposito in hac nostra diœcesi Brugensi liceat proprio parocho exigere portionem canonicam?

II. Utrum (supposito dandam esse portionem canonicam) liceat imponere hæredibus onus bis solvendi?

III. Quænam sit hæc portio canonica?

Porro censemus ipsi esse respondendum ut sequitur:

Ad I^m^. Proprio parocho licet exigere portionem canonicam.

Ad II^m^. Non licet imponere hæredibus onus bis solvendi.

Ad III^m^. Hæc portio canonica est quarta pars omnium emolumentorum. Applicanda enim putamus quæ habentur in novissima editione operis Ill^mi^ De Brabandere superius citati (T. II, n° 773), videlicet: « In diœcesi Brugensi quando defunctus sepelitur in ecclesia aliena, regulariter celebrantur prius exequiæ in ecclesia propria: quo casu nullum exigitur jus redemptionis. Quod si non fiat, solvi debet portio canonica; et quoniam in diœcesi nulla certa consuetudo particularis existat, dicendum est hanc portionem esse solvendam juxta principia superius tradita, videlicet: parochus ecclesiæ tumulantis *quartam* partem *omnium* emolumentorum (non exceptis oblatis, cera, etc.) occasione sepulturæ et funeris perceptorum solvet proprio defuncti parocho, qui hanc partem distribuet inter se, vicarios, fabricam, etc., juxta tariffum ecclesiæ suæ ».

Nunc autem audemus rogare scriptores periodici *Collationes Brugenses* ut velint pro sua humanitate, ad utilitatem plurium, hæc responsa dijudicare, et, si opportunum visum fuerit, observationes quasdam addere, v. g., circa distantiam quæ requiritur et per se solam sufficit ut dici possit corpus non commode posse ad propriam parochiam deferri.

R. Responsa propositis dubiis ab ipso ponente data, ad juris et æquitatis tramites concinnata nobis videntur.

Parochus intentionem habet in lege fundatam pro sepultura suorum parochianorum; et principium certissimum est quod omnes parochiani qui, sine electa vel majorum sepultura, moriuntur, in parochiali ecclesia tumulari debent. Idque locum habet, etiam si extra parochiæ limites deficiant in loco ubi quasi domicilium non sunt adepti, modo *commode et absque periculo* deportari valeant (cap. *Is qui,* De sepult. in 6). Ita communis.

Contra hanc regulam Episcopus Ariminensis statuto synodali decreverat: « Ut e medio controversiæ tollantur omnes inter parochos, quæ sequuntur sancimus... Jus sacramentorum et funeris ad parochum spectat in cujus paræcia *casu* quivis cujuscumque ætatis vel conditionis moritur, si incolatus viginti quatuor horarum præcesserit ». Sed S. C. Concilii, *in Ariminen. Juris tumulandi et funeris*, 18 Dec. 1824 et 29 Jan. 1825 (1), hoc statutum resecavit, eoque non obstante declaravit in propria ecclesia domicilii sepeliendum esse qui casu in aliena parochia decedit, si commode ad proprios lares deportari valeat.

Quandonam autem cadaver *commode et absque periculo* deportari valeat necne, certa regula definiri non potest. Causa, unde id commode et absque periculo fieri ne-

(1) *Thesaurus resolutionum S. Cong. Concilii*, T. LXXXIV, p. 365, et T. LXXXV, p. 8. Cf. Pallottini, V° *Cadavera*, § III, n. 18 ss.

queat, potest esse epidemia vel pestis, timor ne cadaver ex retardatione putrescat æremque inficiat, impensæ delationis vires hæredum excedentes, nimia locorum distantia (1), aliaque adjuncta; quæ in dubio ab Ordinario pensanda sunt. Si propter temporis augustias recursus ad Ordinarium fieri nequeat, quantum fieri potest parocho defuncti favendum est, quippe qui jus habet certo quæsitum pro parochianorum suorum sepultura et funere. Cf. Moulart, *De sepult. et cœmet.*, p. 192 et p. 193; Ferraris, Prompta bibliotheca, V° *Sepultura*, n. 41; *Nouv. rev. théol.*, T. VI, p. 197; De Angelis, *Prælect. jur. can.*, T. II, part. 2, p. 13; Berardi, *De parocho*, n. 813, De Brabandere, *Op. cit.*, ed. 6ª, n. 758 sub d/.

Si vero cadaver ita fortuito decedentis ad propriam ecclesiam commode et absque periculo portari non valeat, de jure communi humandum est in ecclesia parochiali loci ubi mors accidit (cap. *Is qui*, De sepult. in 6). « Ratio est... quod tunc parochus loci præ cæteris potissimum jus habet; tum quia parochus loci peregrinis administrat sacramenta, tum quia parochus habet fundatam intentionem super omnibus proventibus spiritualibus intra illius parochiam provenientibus ». Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*, L. III, tit. XXVIII, n. 26.

Quæritur autem utrum in hoc casu parochus proprius defuncti jus habeat ad *portionem canonicam?*

---

(1) Absoluta distantia a jure definita non est. Deficiente hac de re statuto diœcesano, morali appretiationi locus erit. Auctores passim tradunt periculum seu incommodum adesse non censeri si per iter unius diei translatio fieri possit. Pro itinere autem unius diei seu *dicta* viginti milliaria computantur. Ast, nostro ævo, major etiam distantia plerumque obstaculum non offert ut cadavera ad propriam deferantur ecclesiam, nempe per viam ferream, « quæ longissima quoque et ardua itinera, brevissima ac plana reddit » (*Acta S. Sedis*, T. V, p. 126, coll. T. XI, p. 498). Quare observat Berardi, *l. c.*, quod « si familia defuncti mediis extraordinariis (v. g. via ferrea) uti vellet ad cadaver illuc deferendum, parochus loci id impedire nequiret ». Circumstantiæ tamen tales esse possunt ut judicium viro prudenti relinqui debeat.

Regula generalis est toties parocho deberi portionem, quoties quis, non relicto domicilio, extra ecclesiam propriam, quacumque de causa, legitime in aliena tumulatur ecclesia. Jure quidem scripto de quarta in hoc casu solvenda nihil expresse habetur. Sed ratio quæ viget in aliis casibus, de quadam scilicet compensatione danda illi ecclesiæ « in qua (defunctus) cœlesti pabulo refici consuevit » (cap. 1 *De sepult.*), in isto etiam casu viget; ideoque canonistæ passim docent, et S. C. C. declaravit, quartam in hoc quoque casu esse solvendam, nisi alicubi consuetudo sit ut nihil solvatur. (1)

Hæc de jure communi.

« Nihilominus, ut observat Berardi, consuetudines immemoriales vel statuta particularia huc illuc in contrarium adsunt » (*Prax. confessar.*, ed. 2, n. 1249). Jam igitur inquirendum est utrum in diœcesi Brugensi consuetudo hujusmodi vel particulare statutum vigeat. In prioribus quidem editionibus *Juris canonici compendii* Ill^mi^ De Brabandere memoratur tum de *consuetudine* (T. I, n. 480), tum de *statuto* quodam Ill^mi^ Fallot de Beaumont, a gubernio approbato, et tariffo legali adjecto (T. II, n. 773).

Sed, facta investigatione, compertum est memoratam *consuetudinem*, juri communi cæteroquin adversam, de facto non existere nec usu generali firmatam; qua de re, consentiente Illmo auctore, in ultimis editionibus expuncta sunt quæ in prioribus de hujusmodi consuetudine habebantur.

Decretum autem Ill^mi^ Fallot de Beaumont, in quo

(1) Cf. S. C. C. *in Romana seu Urbevetana. Quartæ funeralis* 16 Sept. 1820 (Pallottini, *Collectio omnium resolutionum, etc. S. C. Concilii*, V° *Quarta funeralis*, n. 93 coll. n. 44); Schmalz., *Jus eccl. univ.*, L. III, tit. XXVIII, n. 84; Reiff., *l. c.*, n. 44; Barbosa, *De off. et pot. par.*, P. III, cap. XXV, n. 26; Ferraris, *op. cit.*, V° *Quarta funeralis*, n. 7; Moulart, *op. cit.*, p. 191, coll. p. 245; *Nouv. rev. théol.*, T. VI, p. 424 et p. 429, coll. T. XII, p. 633; De Angelis, *l. c.*, p. 13 et p. 15; Vecchiotti, *Institut. canon.*, T. II, p. 148; Berardi, *op. cit.*, n. 794 coll. n. 814; De Brabandere, *op. cit.*, T. I, n. 480, coll. T. II, n. 771; etc.

potius contemplatur hypothesis sepulturæ electæ, difficulter sustinetur, quum omni ex parte juri communi adversetur.

Imprimis quidem cum universali Ecclesiæ jurisprudentia stare non potest, quatenus statuit funebria deinceps jam nullibi fieri posse præterquam in ecclesiis parochialibus et succursalibus. Non obstantibus enim legibus quibuscumque civilibus circa cœmeteria et humationes, leges inde ecclesiasticæ circa electionem sepulturæ, jus percipiendi emolumenta, etc. non sunt abrogatæ; firmaque manent ac integra jura exequiarum et funeris, ut sæpius declaraverunt SS. Congregationes Romanæ. (1)

Dein, juri communi adversatur prædictum decretum, quatenus hæredibus facultatem agnoscit eligendi sepulturam. Salvo enim jure patris sepulturam eligendi filio impuberi ante illius mortem, parentes aut hæredes non possunt pro suo arbitrio determinare ecclesiam in qua funera peragi debeant. (2)

Tandem, juri communi potissimum adversatur, quia hæredibus onus imponit solvendi jus *redemptionis*. Hæredes enim præter consuetum funus gravari non debent, nec ullo modo licet ipsis imponere onus bis solvendi. Si defunctus in aliena ecclesia tumulandus sit, parochus exigere minime potest ut in sua etiam ecclesia exequiæ vel alia officia funebria celebrentur, nisi aliter defunctus

---

(1) Vide, præter alia, decreta S. C. C. 14 April. et 24 Nov. 1821, 16 Junii 1827, 26 Jan. 1833, 26 Nov. 1864, 16 Feb. 1867, 16 Sept. 1871, 21 Feb. 1872, 14 Aug. 1875, 23 Jan. 1886, et 15 Dec. 1894; S. C. Episc. et Regul. 31 Maii 1850, 6 Maii 1870 et 24 Feb. 1888. Cf. Moulart, *op. cit.*, p. 264; Vecchiotti, *op. cit.*, T. II, p. 150; *Acta S. Sedis*, T. III, p. 305; T. V, p. 562 ss; T. VII, p. 25; T. XIII, p. 416; T. XVIII, p. 455; T. XX, p. 580 et T. XXVII, p. 105 coll. p. 624; *Nouv. rev. théol.*, T. VI, p. 193 in nota; T. XI, p. 344 ss., et T. XXI, p. 443 ss.

(2) Cap. 4 *De sepult.* in 6; S. C. C. 28 Jan. 1764, 14 Maii 1825, et 26 Dec. 1864 (*Acta S. Sedis*, T. I, p. 85 et p. 125); S. C. Episc. et Regul. 6 Maii 1870 (*Acta S. Sedis*, T. V, p. 562) et 6 Feb. 1874 (*ibid.*, T. VII, p. 652 ss). Cf. etiam *Acta S. Sedis*, T. XI, p. 350 ss.

ipse, vel ejus hæredes *sponte* disposuerint; immo *nihil* amplius sibi vindicare potest præter quamdam in funeris deductione ad ecclesiam tumulantem præeminentiam, et quartam funeralem, quæ ab ecclesia tumulante, non vero ab hæredibus, solvenda est, non obstante diœcesano statuto, vel consuetudine contraria. (1)

Hisce de causis, in ultima editione prædicti *Compendii*, annuente quidem Episcopo, nullam jam fecimus mentionem de statuto Ill^mi^ Fallot de Beaumont; neque etiam de altero in Cong. prosyn. anni 1875 lato, quum primum respicere videatur.

Manet ut verbulum addamus de quartæ funeralis *determinatione*.

Jure communi decretalium, portio canonica de *omnibus* debetur, quæ vel per *ultimam* defuncti *voluntatem*, vel ratione *funeris* ecclesiæ tumulanti obveniunt (cap. *In nostra*, h. t.; cap. fin. De testament.; et Clem. *Dudum*, § *Hujusmodi*, h. t.). Sed usu et consuetudine generali portio canonica ad funeralia restricta est. *Funeralia*

---

(1) De duplici funere non exigendo SS. Congregationes concorditer sæpe statuerunt, uti videre est apud Moulart, *op. cit.*, p. 221 ss.; Zamboni, *Collectio declarationum S. Cong. Concilii*, V° *Cadaver*, § III, nn. 12, 37 et 41, V° *Emolumenta*, § II, n. 43, et V° *Parochus*, § IV, nn. 24 et 25; Pallottini, *op. cit.*, V° *Cadavera*, § II, n. 126 ad n. 176, coll. V° *Quarta funeralis*, n. 10 ss.; *Nouv. rev. théol.*, T. VI, p. 253, et præsertim T. XIII, p. 330 ss. Cf. etiam Böckhn, *Commentarius in jus can. univ.*, L. III, tit. XXVIII, n. 50 ss.; Reiff., *h. t.*, n. 35 et n. 38; Vecchiotti, *op. cit.*, T. II, p. 148; Berardi, *op. cit.*, n. 799.

De *onere redemptionis vel alia quacumque exactione* hæredibus non imponenda, habes decreta S. C. C. 15 Maii 1638 (Zamboni, V° *Emolumenta*, § II, n. 2, coll. V° *Quarta funerum*, § II, n. 1 et n. 6; et Pallottini, V° *Quarta funeralis*, n. 83, coll. n. 10 ss., n. 89 et n. 92, et V° *Cadavera*, § II, n. 226 ss.), 13 April. 1737, § 2, et 10 Martii 1770, § 6, (Zamboni, *op. cit.*, P. III, De conclusionibus, V° *Quarta funerum*, § III); S. C. Episc. et Regul. 14 April. 1615 et 7 Dec. 1640 (Ferraris, V° *Quarta funeralis*, nn. 26 et 35), 21 Nov. 1677 et 18 Sept. 1682, (*Anal. eccl.*, an. 1899, pp. 421 et 465); S. Rotæ 2 Julii 1728 (*Ferraris*, *l. c.*, n. 46). Cf. etiam Barbosa, *l. c.*, n. 18; *Acta S Sedis*, T. V, p. 610 coll. p 613; D'Annibale, II, n. 177, nota 97; Moulart, *op. cit*, p. 248, coll. p. 254; Berardi, *op. cit.*, n. 796, coll. n. 774; *Nouv. rev. théol.*, T. VI. p. 425 ss.. T. XIII, p. 332, et T. XXI, p. 446.

autem dicuntur taxa funeralis, oblationes, cera (1), et alia quæ tempore exequiarum et funeris occasione ad ecclesiam tumulantem (2) deferuntur, sive ante sive post quam corpus terra recondatur, etiam si exequiæ solemnes diu differantur.

De *quantitate* portionis solvendæ disserere haud est necessarium, postquam Clemens III (cap. *Certificari*, h. t.) declaravit *mediam*, *tertiamve* aut *quartam* partem præstandam esse, juxta particularium locorum laudabilem consuetudinem. Ubi autem consuetudo aliud non habet, sola *quarta* solvenda est, siquidem quartæ partis frequentior fit mentio in jure, ex eaque suum nomen portio canonica sortita est. Ita communis.

Pro coronide notetur, in determinanda quarta funeris, plurimum etiam valere statutum synodale seu legem particularem diœcesis, quæ in decisionibus romanis haud raro memoratur.

De quarta funerali fusius agunt canonistæ ad tit. *De sepulturis* (Decretal. L. III, tit. XXVIII); Zamboni, Pallottini, et Ferraris, *hoc verbo*. Cf. etiam Moulart, *op. cit.*, p. 243 ss.; *Nouv. rev. théol.*, T. VI, p. 424 ss.; Vecchiotti, *op. cit.*, T. II, p. 149; Berardi, *op. cit.*, n. 781 ss.; De Brabandere, *op. cit.*, T. II, n. 769 ss.

C. V. C.

---

(1) Cum non hæredes, sed ipsa ecclesia tumulans quartam funeris solvere teneatur, consequens est ut de iis intortitiis non detrahatur portio, quæ ex consuetudine aut alia de causa hæredibus post funus restituuntur. S. C. C. 18 Junii 1735 (*Thes. resolut.*, T. VII, p. 119).

(2) Computanda igitur non videntur ea quæ dantur, v. g., propter funeris associationem, vel missam cantatam infra exequias, etc.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

—

I

Expone Ps. CIII, 4: *Qui facis angelos tuos, spiritus, et ministros tuos ignem urentem.*

II

Præmissa notione *mediatoris*, ostende hoc munus mediatoris Christo convenire formaliter *secundum quod est homo*, non formaliter secundum quod est Deus.

III

Quid intelligis per dispensationem concessam a/ *in forma gratiosa* et *in forma commissoria;* b/ *in forma pauperum* et *in forma ordinaria?*

IV

Indica an et quomodo, ante executionem rescripti Romani, facienda sit *verificatio precum,* addendo utrum requiratur ad valorem vel ad liceitatem tantùm.

V

In rescriptis Romanis, signanter in rescriptis Datariæ in forma pauperum et in rescriptis S. Pœnitentiariæ pro foro externo ob causam infamantem, conceditur facultas exequendi dispensationem, « *remoto, quatenus adsit, scandalo, præsertim per separationem, tempore sibi* (executori) *beneviso* ». Hanc clausulam interpretare juxta mentem Curiæ Romanæ.

VI

Quibusnam in casibus adhibenda est formula: *Accipe, frater* (vel *soror*), *viaticum* etc. in administranda sacra Communione infirmis?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. Expone I Jo. IV, 18: *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate.*

R. *Timor non est in charitate.* Probat S. Joannes sententiam præcedentem v. 17, qua dixerat perfectam seu veram ac germanam charitatem gignere in nobis fiduciam evadendæ damnationis in die judicii. Ablegato enim per charitatem timore damnationis, jam locus est fiduciæ cui timor adversabatur. Est ergo probatio à remotione contrarii, et sensus est: *Timor* ille servilis, quo quis sibi male conscius timet condemnari in die judicii divini, quique oppositus est spei seu fiduciæ evadendæ tunc damnationis, *non est in charitate*, non consistit cum charitate, seu non est in eo qui veram et sinceram habet charitatem Dei et proximi. « Timor ergo hoc loco ad timorem Dei ut peccatorum vindicis restringendus est, ut mens et contextus sancti Joannis postulant: probat enim justos meritorum suorum sibi conscios, ac Deum super omnia amantes non timere, sed potius optare adventum Christi judicis, quia timor judicis, qualis est in peccatoribus, non consistit cum perfecta charitate justorum, qui habent fiduciam timori isti oppositam. Est tamen alius timor, non servilis, sed filialis, quo filii Dei non pœnam, sed offensam sui patris timent: hic autem consistit cum charitate, imo ex ipsa nascitur: ideo enim filius timet offendere patrem, quia ipsum diligit... Hæc videtur genuina difficilis et intricâti

hujus loci explicatio, ut nempe sanctus Joannes tantum loquatur de timore gehennæ, quo peccatores propter peccata *præterita* concutiuntur; quia hunc timorem clare opponit fiduciæ et spei æterni præmii, quam Sancti è contra propter bona sua opera ex perfecta charitate facta concipiunt. Non disputat ergo hic sanctus Joannes, an perfecti in charitate (scil. justi) à peccatis *futuris* timore pœnæ interdum abstineant, sed an *præteritorum* peccatorum pœnas timeant » Fromondus in h. l.

Sed perfecta charitas, i. e. charitas perfecta perfectione essentiali, seu charitas vera, germana, sincera, christiana, quæ parit nobis hunc fructum ut bene confidamus in die judicii nos aggregandos numero filiorum Dei (v. 17), et qualis est etiam incipientium et proficientium, *foras mittit timorem*, expellit timorem servilem infernalium pœnarum, profectum ex conscientia peccatorum, propter quæ quis meretur in Dei judicio condemnari, et consequenter fiduciam parit salutis in die judicii consequendæ. Sicut enim talis charitas expellit peccatum mortale, ita expellit timorem pœnæ, qui est hujusmodi peccati comes, et ex peccati nondum remissi consideratione nascitur. Licet autem timor iste servilis à perfecta seu vera charitate foras mittatur, non tamen malus, sed imperfectus est. — *Quoniam timor* servilis *pœnam* gr. κόλασιν, punitionem, cruciatum *habet*, id est, timor suppliciorum quem mala gignit conscientia, cruciat animum, quemadmodum è diverso spes et fiducia quam bona conscientia parit, animum lætificat. Probat enim S. Joannes quod charitas perfecta foras mittat timorem, quia pœna et conscientiæ cruciatus, qui conjunctus est timori, non consistit cum dulcedine quæ associatur perfectæ seu genuinæ charitati. Alii sic exponunt: *Timor pœnam habet* pro objecto, ac si dicatur: qui sibi malè conscius timet, is pœnam, quam meruit, semper animo versat, ideoque fiduciam in die judicii habere non potest. Verùm agi videtur de pœna, seu cruciatu, non qui sit objectum, sed qui sit effectus

timoris in peccatore, quem conscientia criminum cruciat ex timore gehennæ.

Qui autem timet gehennam propter peccata præterita nondum remissa, *non est perfectus* gr. οὐ τετελείωται, non est consummatus, perfectus (participialiter) *in charitate*, nondum perfectus evasit in charitate, seu nondum assecutus est perfectam perfectione essentiali, i. e. veram charitatem, eam scilicet quæ parit spem et fiduciam salutis in die judicii.

Egregiè Estius: « Multi sic intelligunt hanc partem: Qui adhuc timet pœnam seu cruciatum, et hoc timore facit quæ Deus præcipit, nondum eo profecit in charitate, ut inter perfectos censeri possit, sed adhuc hæret in classe vel inchoantium vel proficientium. At si hic esset Apostoli sensus, vel nulli vel admodum pauci essent *in charitate perfecti*. Quis enim est tam charitate perfectus in hac vita, ut in eo mala concupiscentia timore divini judicii, velut fræno, non sit cohibenda? Quocirca putamus Apostolum de eo loqui, qui timet serviliter, id est, eo timore de quo dixit, *Timor non est in charitate,* quod de timore servili, non initiali, docuimus intelligendum. Ut sensus hujus loci sit: Qui timet pœnam à Deo judice irrogandam... nondum est assecutus charitatem perfectam, id est, veram atque germanam, qualem lex Christiana requirit: et proinde fiduciam veram habere non potest in die judicii. Id enim est quod Joannes probare intendit. Dixerat enim: *In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii.* Ubi si charitas intelligeretur ea tantum quæ perfectorum est, ut ab incipientibus et proficientibus distinguitur, sequeretur solos perfectos habere fiduciam in die judicii: et ab ejusmodi fiducia tam proficientes quam incipientes excludi, donec ad ordinem perfectorum promovissent. Quod absurdum est dicere. Denique confirmat expositionem nostram illa sententia capit. superioris v. 21: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Quod sine dubio pertinet etiam ad incipientes et proficientes. »

In præsenti igitur loco duo sunt in primis notanda: 1° *Timorem* de quo hîc agitur opponi fiduciæ consequendi salutem in die judicii, adeoque esse timorem natum ex conscientia peccatorum mortalium nondum remissorum; 2° veram ac germanam charitatem qualemcumque, etiam incipientium et proficientium, ex sese et natura sua expellere istiusmodi timorem, adeoque *perfectam* charitatem hîc eam esse quæ habeat omnia ad *veram* charitatem requisita.

G. V. D. P.

II

Q. *Præmissa notione* adorationis, *expone et demonstra sequentem propositionem:* « *Christi una est adoratio* ex parte ejus qui adoratur. »

R. I. Vocabulum *adoratio* tum latiori, tum strictiori sumitur sensu (1). Ratio autem communis et generica hoc nomine significata est: « exhibitio internæ submissionis alicui habitæ ob ejus excellentiam. (2) » De Lugo, *De Mysterio Incarnationis*, D. XXXV, S. I, n. 2.

Ut plenius hæc notio perspiciatur consideremus quomodo ab adoratione differat *honor*. « Honor nihil aliud est quam quædam protestatio de excellentia bonitatis alicujus. Potest autem alicujus excellentia considerari non solum per comparationem ad honorantem, ut scilicet sit excellentior eo qui honorat, sed etiam secundum se vel per comparationem ad alios. Et secundum hoc, honor semper debetur alicui propter aliquam excellentiam vel superioritatem. Non enim oportet quod ille

(1) Cf. Dignant, *De Virtute Religionis*, n. 123 et seq.

(2) « *Adoratio*, inquit Damascenus, orat. 1 de Imaginibus, prope ab initio, *est submissionis et humiliationis nota;* et orat. 3: *Est*, inquit, *animi cedentis, submissi atque humilis significatio*, quæ descriptio ex vocis significatione et communi omnium hominum usu sumpta est; significat ergo adoratio actum quo unus alteri si submittit, vel illum honorat in recognitionem excellentiæ ejus. » Suarez, in III, D. II, S. I, n. 1.

qui honoratur sit excellentior honorante: sed forte quibusdam aliis; vel etiam ipso honorante quantum ad aliquid, et non simpliciter. » S. Thom. II-II^æ, q. CIII, a. 2.

Unde honor latius patet quam adoratio (1), et est genus sub quo tamquam species invenitur adoratio. Honor enim nihil aliud importat quam testimonium seu significationem quamdam de agnita alicujus excellentia; unde honor tribuitur non solum superioribus, sed etiam æqualibus, imo et inferioribus: ut quis honoretur necesse non est ut ille, sub hac ratione secundum quam honoratur, sit superior honoranti. Deus, v. gr. Beatos in cœlo propter eorum sanctitatem honorat: Deus tamen sanctitate sua omnes alios infinite superat; magister discipulum ob hujus scientiam laudare potest quamvis magister ratione scientiæ discipulum præcellat. Adoratio vero plus dicit quam honor: adoratio enim non est significatio meræ agnitionis alicujus excellentiæ, sed ulterius internæ submissionis ad agnitam excellentiam: unde oportet ut excellentia quæ est causa adorationis sit superioritas respectu adorantis, consequenter non nisi superiori defertur adoratio.

Ulterius nunc consideremus in adoratione, 1/ *ipsum actum exhibendi* internam submissionem, 2/ *hanc ipsam submissionem* seu *reverentiam.*

1/ Ut exhibeatur interna submissio ad agnitam alicujus excellentiam requiritur: a/ a parte intellectus judicium non solum speculativum de excellentia alicujus, sed practicum de honestate submissionis nostræ ad agnitam excellentiam; b/ a parte voluntatis, imperium se ita submittendi; c/ hujus submissionis significatio: hæc autem potest esse mere interna, (2) et tunc

(1) « Honorat enim omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat » S. Aug. Lib. contra Sermonem Arianorum, c. 23.

(2) De adoratione valent quæ dicit S. Thomas de honore: « Honor testificationem quamdam importat de excellentia alicujus .. Testimonium autem redditur vel coram Deo, vel coram hominibus. Coram Deo

est adoratio *interna*, vel potest etiam exterius exprimi per aliquem actum corporis, et tunc erit adoratio etiam *externa*.

Quodnam est objectum actus adorationis? Objectum *materiale* est ipse honor qui alicui exhibetur: actu enim adorandi non attingitur immediate persona adorata, sed ipse honor qui personæ defertur. Objectum *formale* est ipsa honestas adorandi: specialis enim honestas in hoc habetur quod quis debito modo se submittat excellentiæ alterius. « Et si quidem (adoratio) sumatur pro actu exhibendi reverentiam, sic non habet pro objecto materiali ipsam personam adoratam, sed magis honorem qui huic personæ redditur; quo fit ut adoratio qua adoramus Deum non sit actus virtutis theologicæ, sed moralis, religionis videlicet quæ invenitur inter partes potentiales justitiæ. Quippe actus adorantis terminatur ad ipsam protestationem honorificam sub ratione justi seu debiti, nam adorans vult exhibere reverentiam qua et quia debitam. Et ideo materiale objectum adorandi est protestatio reverentiæ, objectum formale est ratio debiti, sive specialis honestas tribuendi cuique suum. » Billot, *De Verbo Incarnato*, Cap. 3, § 3.

2/ Ipsa interna submissio ad agnitam alicujus excellentiam refertur personæ: hæc est objectum *cui* adora-

---

quidem, *qui inspector est cordium*, testimonium conscientiæ sufficit. Et ideo honor quoad Deum potest consistere in solo interiori motu cordis; dum scilicet aliquis recogitat vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo... Sed quoad homines aliquis non potest testimonium ferre nisi per aliqua signa exteriora: vel verborum, puta cum aliquis ore pronuntiat excellentiam alicujus; vel factis sicut inclinationibus, obviationibus et aliis hujusmodi, vel etiam exterioribus rebus, puta in exenniorum vel munerum oblatione, aut imaginum institutione, vel aliis hujusmodi. Et secundum hoc, honor in exterioribus et corporalibus consistit. » II-IIæ, q. CIII, a. 1.

Quando adoratio est etiam externa, tamen principaliter in interiori actu consistit: « Sicut oratio primordialiter quidem est in mente, secundario autem verbis exprimitur, ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis. » S. Thom. op. c. q. LXXXIV, a 2, ad 2.

tionis, nempe *cui* exhibetur reverentia. « Et in hoc objecto *cui*, adhuc distinguitur aliquid ut materiale et aliquid ut formale. Materiale est persona ipsa ad quam dirigitur honor. Formale est ratio quæ hanc personam cultu dignam efficit, scilicet aliqua ejus *excellentia* causans ac determinans rationem et modum cultus ut debiti. » Id. l. c.

Jamvero si excellentiæ super quas fundatur debitum adorationis sunt formaliter diversæ, ita scilicet ut pro unaquaque specialis oriatur ratio honestatis et debiti adorandi, adorationes etiam sunt specifice diversæ (1), et etiam specifice diversæ sunt virtutes ad variarum adorationis specierum actus inclinantes. (2)

II. Proposita quæstio nullo modo versatur circa speciem adorationis (3) quæ Christo competit, sed hoc solum indicare intendimus quod Christi una est adoratio *ex parte ejus qui adoratur*. Hæc sunt verba S. Thomæ III, q. XXV, a. 1, et mens Angelici Doctoris est asserere in Christo *unum* esse *objectum cui* defertur adoratio, simul ac rejicere sententiam eorum qui dice-

---

(1) « Potissima divisio est in adorationem *duliæ* et adorationem *latriæ*. Et latria quidem non est nisi una. Sed dulia est aliquid genericum; quin imo in sua universalissima acceptione analogatur ad Deum et ad creaturas..... Nunc autem, etsi dulia ex proprietate vocabuli analogatur ad cultum debitum Domino dominorum et ad honorem creaturæ, peculiari tamen modo appropriatur huic posteriori, fere sicut nomen *gratis data* appropriatur illi gratiæ quæ infimum locum tenet in genere gratiæ, utpote non faciens gratum Deo subjectum in quo est; vel etiam sicut nomen *angelus* appropriatur infimo ordini ultimæ hierarchiæ in puris spiritibus..... Hinc igitur est quod *dulia absque addito* intelligi solet de honore qui *creatam* excellentiam attendit. Quo in genere aliæ sunt species duliæ aliquibus debitæ propter supernaturalem conjunctionem cum Deo, aliæ vero species duliæ debitæ propter aliam quamlibet præeminentiam, puta paternitatis, regiminis, magisterii, etc. Potissima autem et suprema omnium species est hyperdulia quæ Beatæ Virgini debetur, in quantum est Mater Dei. » Billot, *De Verbo Incarnato*, Cap. 3, § 3.

(2) Cf S. Thom. II-IIæ, q. LXXX, a. unic., et Illmum ac Revmum Waffelaert, *De Justitia*, T. I, Introd. § III.

(3) Ideo in proposita quæstione dictum non est: Christi una est adoratio *latriæ*. De specie adorationis quæ Christo competit agetur in responsione nostra proximo *Collationum* fasciculo edenda.

rent Christi humanitatem seorsim a divinitate esse honorandam.

Propositio sic intellecta facile demonstratur: honor, et in specie adoratio, defertur proprie rei subsistenti, h. e. hypostasi seu personæ. Atqui in Christo una est hypostasis seu persona. Ergo Christi una est adoratio *ex parte ejus qui adoratur.*

Perpendamus verba S. Thomæ, l. c.: « Respondeo dicendum quod in eo qui honoratur, duo possumus considerare: scilicet eum cui honor exhibetur, et causam honoris. Proprie autem honor exhibetur toti rei subsistenti. Non enim dicimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur; et si quandoque contingat quod dicatur honorari manus vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis partibus honoratur totum..... Causa autem honoris est id ex quo ille qui honoratur habet aliquam excellentiam..... Et ideo si in uno homine sunt plures causæ honoris, puta prælatio, scientia, et virtus; erit quidem illius hominis unus honor ex parte ejus qui honoratur, plures tamen secundum causas honoris: homo enim est qui honoratur et propter scientiam et propter virtutem. — Sic ergo cum in Christo sit tantum una persona divinæ et humanæ naturæ, et etiam una hypostasis et unum suppositum: est quidem ejus una adoratio et unus honor ex parte ejus qui adoratur; sed ex parte causæ qua honoratur, possunt dici esse plures adorationes: ut scilicet alio honore honoretur propter sapientiam increatam, et alio propter sapientiam creatam. Si autem ponerentur in Christo plures personæ, seu hypostases, sequeretur quod simpliciter essent plures adorationes. Et hoc est quod in synodis reprobatur. »

Præcipui Conciliorum textus de hac re sunt sequentes: « Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo... *tamquam alterum cum altero,* ac non potius una supplicatione veneratur Emmanuel,

unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit. » Syn. Ephes. œcum. III (a. 431) can. 8; apud Denzinger *Enchiridion*, n. 80.

« Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur semotim Deo Verbo et semotim homini sed non *una adoratione Verbum Incarnatum cum ejus carne adorat,* juxta quod Sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit » Syn. œcum. V, can. 9. Ibid. n. 180.

Ergo propositio nostra sensu quo eam exposuimus, de fide est tenenda.

J. V. D. M.

III

Q. *Da notionem potestatis Episcopi* ordinariæ, quasi-ordinariæ *et* delegatæ.

R. 1° Potestas **ordinaria** est illa potestas quæ Episcopo competit jure proprio, seu ratione ipsius dignitatis episcopalis, ex qua de se profluit et cui essentialiter et inseparabiliter adhæret, adeo ut cum ipso munere episcopali, absque ulla adventitia concessione, acquiratur et proprio nomine exerceatur.

2° Potestas **delegata** est illa quam Episcopus habet non ex ipso officio suo sed ex accedente concessione S. Pontificis, quæque potestas Episcopo committitur *per modum specialis commissionis*, et ab ipso vice et nomine Pontificis exercetur.

3° Potestas **quasi-ordinaria** est quædam potestas intermedia, quæ nempe, ex una parte, non consequitur proprio nativo jure muneris episcopalis adeptionem, nec adeo habetur vi ipsius tituli accepti, sed est derivanda ex delegatione Concilii vel Pontificis sive expressa, sive tacita vel præsumpta, et ideo non est

mere ordinaria (1) potestas; sed quæ, ex alia parte, delegatione adeo stabiliter et permanenter, idque non per modum specialis commissionis, (2) est adnexa dignitati episcopali, ut huic ipsi inesse et quasi ex ipsa profluere jam videatur, ac proinde, ad instar potestatis ordinariæ, quasi proprio nomine exerceatur et aliis libere communicetur, et ita in multis potestati ordinariæ æquiparetur: unde non est mere delegata (3) potestas, sed intermedia et quasi-ordinaria merito vocatur. (4)

Definitæ potestatis Episcopi quasi-ordinariæ limites, quod spectat impedimenta matrimonii dispensanda, infra describentur.

---

(1) « Quia non est innata proprio muneri et jurisdictioni, sed per superioris voluntatem conceditur, ergo non est ordinaria potestas ». Suarez, *De Legibus*, lib. VI, cap. XV, n. 1.

(2) Dicitur: « *non per modum specialis commissionis* », quia secus remaneret mere delegata, cum ad potestatem quasi-ordinariam non videatur sufficere ut permanenter sit concessa, sed videatur requiri ut concedatur sub ratione officii seu tanquam quid muneri ipsi affixum, ita ut nomine proprio jam obeatur. Nimirum manere videtur mere delegata quævis potestas alicui, extra limites propriæ nativæ potestatis ex ipso munere profluentis, concessa, quæ non adnectitur ipsi officio sed committitur per modum specialis commissionis, ita ut ea potitus alterius agat nomine alteriusque vices obeat. Hujusmodi potestas competit Episcopis ut possint procedere contra exemptos *tanquam Apostolicæ Sedis delegati*. Cfr. Van den Berghe, *Jus Publicum*, II, n. 23; Reiffenstuel, *Jus Canon. Univ.*, ad lib. I, tit. 29, n. 35.

(3) « Et sic etiam dixit glossa... potestatem datam ex privilegio, si sit concessa ex peculiari institutione et tanquam perpetuo adnexa dignitati ordinariam censeri... Et est optima ratione fundatum, quia eo ipso quod jurisdictio perpetuo est concessa et adnexa dignitati, in illa manet radicata et cum illa confertur, et ideo ordinaria relinquitur, et qui eam habet delegare eam potest ». Suarez, ibidem.

(4) A pluribus dicitur potestas quasi-ordinaria, etsi forsan sensu minus stricto, quæ habetur delegata *ad universalitatem causarum*. Ita Reiffenstuel, l. c., n. 63, scribit: « Licet delegatus ad universalitatem causarum vere ac proprie non sit Ordinarius, eo quod jurisdictionem non habeat *jure proprio*, seu a Lege *vi proprii officii*, sed alieno beneficio;... nihilominus, quia ipse remanet in essentia jurisdictionis universalis et tanquam judex *ordinarie* adiri potest: hinc delegatus ad universalitatem causarum *quasi ordinarius* videtur,... atque æquiparatur (in nonnullis) ordinario;... ac proinde ad instar ordinarii poterit subdelegare ».

Circa præfatas notiones cfr. Decretalium l. I, tit. 29 et 31; Reiffenstuel, ad tit. 29; Suarez, l. c.; Feye, *Jus Publicum*, II, n. 36; Van den Berghe, op. cit., II, nn. 21-24, n. 263 et 289 et seq.; De Angelis, *Prælect. Jur. Can.*, ad h. tit., Santi, *Prælect. Juris Can.*, ad tit. 29, n. 2; De Brabandere-Van Coillie, op. cit., nn. 89, 328 et 350 et seq.; *Collat. Brug.* IV, p. 597.

A. D. S.

IV

Q. *Determina utrum Episcopus dispensare possit, in impedimentis matrimonii, cum non-diœcesanis, vel cum diœcesanis extra fines diœcesis degentibus.*

R. I Episcopus non potest 1° *directe* dispensare, in impedimentis matrimonii, nisi cum *solis diœcesanis*, i. e. cum illis qui domicilium vel quasi-domicilium (1) acquisierunt in diœcesi; quibus æquiparantur vagi actualiter in diœcesi commorantes.

Sententia autem quæ tenet Episcopum probabiliter posse dispensare in lege communi cum peregrinis (Van den Berghe, *De Legibus*, n. 148; Putzer, *Comment. in fac. Apost.*, n. 49, sub b), non videtur applicanda dispensationi in impedimentis matrimonii, saltem vi potestatis delegatæ concedendæ. Ita in declaratione S. Pœnitentiariæ 4 Sept. 1839, infra referenda, expresse dicitur: « dispensando cum suis diœcesanis »; in decreto C. S. O. 22 Nov. 1865, apud Gasparri, *De Matrim.*, I, n. 420, et partim apud *Collectan. de Prop. F.*, n. 1432, docetur facultates de quibus agitur

(1) Circa modum acquirendi domicilium vel quasi-domicilium cfr. *Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 306 et seq., ubi refertur specialis disciplina pro Statibus Fœderatis Americæ. Ad difficultatem desumendam ex declaratione Gregorii XIII contra sufficientiam quasi-domicilii cfr. Feye, *De Impedi. Matr.*, n. 629, provocantem ad auctoritatem C. S. O., in decreto 22 Nov. 1865, ad 4^{m}.

non posse exerceri nisi « cum propriis subditis » ; hoc ad 1m, et in eodem decreto, ad 4m, determinantur Episcopi subditi « ob domicilium vel quasi-domicilium in ejus diœcesi acquisitum ».

Potest vero 2°/ *indirecte* dispensare cum non-diœcesanis, quatenus Episcopus, quando sponsi, impedimento relativo (1) ligati, diversæ sunt diœceseos, suum subditum dispensando etiam alteram partem ab impedimento liberat. In hoc nimirum casu sufficit dispensatio unius Episcopi, non tantùm ubi Ordinarius utitur facultate delegata (quod constat ex aperta declaratione jam citata S. Pœnitentiariæ 1839 (2), ad quam remittit S. C. de Prop. F. in suis Litteris 19 Sept. 1861, apud *Collectan.*, n. 1466), sed etiam, uti videtur, ob paritatem rationis, ubi procedit vi potestatis ordinariæ vel quasi-ordinariæ (3). Cfr. Feye, op. cit., n. 639, sub. 2° ; De Becker, *De Matrim.*, p. 398, sub c/ ; Gasparri, op. cit., I, n. 416 ; Theol. Mechl., op. cit., l. c.; et signanter *Nouv. Rev. théol.*, I, p. 443 et seq., ubi tota controversia exponitur (4).

---

(1) Si agitur de impedimento absoluto, puta votum, una tantum pars illo afficitur et sola eget ut ab illo liberetur. Cfr. Theol. Mechl., *De Matrim.*, n. 101, sub. III, q. 3.

(2) « Quilibet Ordinarius, agendo cum facultate non ordinaria sed a S. Sede absolute, simpliciter, et absque ulla conditione delegata ; dispensando cum suis diœcesanis, potest dispensare super aliquo impedimento canonico etiam in casu quo una persona impedimento ligata est suæ diœcesis, altera alienæ, quia ea facultas a Papa procedit, et sublato impedimento ex una parte, cum qua dispensare valet, etiam pars altera libera evadit, cum ligamen non amplius inter utramque partem existat ». Apud Gasparri, op. cit., I, n. 416.

(3) Quando sponsi ex diversa sunt diœcesi, *convenit*, nisi specialis ratio aliter suadeat, ut dispenset Episcopus *sponsæ*. Feye, op. cit., n. 639, sub 2°, Théol. Mechl , l. c. « In impedimento mixtæ religionis aut disparitatis cultus, necesse est, ut pars catholica sit subdita, cum dispensatio in casu in eam cadat ». Gasparri, op. cit., I, n. 416.

(4) Ibidem notatur, pro proclamationibus antenuptialibus, aliter ac pro impedimentis, utriusque Episcopi dispensationem requiri, quando sponsi pertinent ad diversam diœcesim. « Si agatur de particulari vetito celebrandi matrimonium tempore feriato, semper obtinenda erit licentia

Attendendum igitur a parochis utrum sponsi, cum quibus dispensat Episcopus, *momento quo conceditur gratia*, conservaverint domicilium vel quasi-domicilium in diœcesi aut in hac vagi remanserint; juxta modò dicta tamen, sufficit ut illa pars cum qua directe dispensatur domicilium vel quasi-domicilium retinuerit vel vaga permanserit in diœcesi. Cfr. declarationem S. Pœnit. 13 Martii 1886, apud *Collectan. de Prop. F.*, n. 1466.

Ulterius autem postulatur:

II/ Utrum sponsus domicilium vel quasi-domicilium retinens in diœcesi Episcopi cum eo directe dispensantis, debeat existere *intra limites dictæ diœceseos*, eo momento quo impertitur dispensatio, utrum, inquam, Episcopus possit in impedimentis dispensare cum diœcesano, conservante quidem domicilium vel quasi domicilium, sed extra diœcesim perigrinante.

Respondetur 1° Vi potestatis *ordinariæ* vel *quasi-ordinariæ*, potest Episcopus dispensare cum subdito suo, sive ipse Episcopus, sive subditus, sive uterque extra diœcesim degat necne.

2°/ Quod valet de potestate quasi-ordinaria, idem valet, juxta decretum C. S. O. 22 Nov. 1865, apud *Collectan.*, n. 156 et n. 1432, de potestate *delegata*, nisi fuerit contrarium in indulto expressum, vel aliter constet de mente S. Pontificis, vel nisi subjecta materia aliud requirat.

In specie, in quinquennalibus S. C. de Prop. F., in Form. III, Episcopis Belgii impertiri solita, cavetur, sub n. 22, ut concessis facultatibus non utatur Ordinarius nisi « *in diœcesi sibi commissa tantùm* ». Cfr. *Librum Manualem*, pp. 174-176. Pariter statuitur initio *Pagellæ S. Pœnitentiariæ.*

Quæ clausula non afficit Ordinarium dispensantem

Ordinarii (ejusve delegati) in cujus diœcesi matrimonium celebratur, quia prohibitio respicit ordinem externum loci in quo cœremonia peragitur » Theol. Mechl , l. c.

sed subditum tantùm cum quo dispensatur, seu ita est intelligenda « ut Episcopus uti possit facultatibus erga suos subditos qui actu quo dispensandi sunt in propria diœcesi commorantur (1), quamvis ipse Episcopus (2) extra suam diœcesim degat ». Ex decreto C. S. O. 2 Maii 1877, apud *Collectan.* de *Prop. F.*, n. 158.

Nota. 1°/ Requisita præsentia subditorum cum quibus directe dispensatur, intra fines diœceseos, sufficit ut habeatur quando dispensationem accipiunt, non autem postulatur eo momento quo dispensatione obtenta utuntur, ac proinde nihil obstat quominus, postquam in diœcesi existentes ab impedimento fuerint absoluti, ad aliam diœcesim tendant, in eaque rite ineant matrimonium.

2°/ Quæ præcedunt spectant dispensationes ab Ordinario vi potestatis quasi-ordinariæ vel vi indulti impertitas, nec valent, ubi agitur de particulari mandato dispensandi seu fulminandi dispensationem vi rescripti Romani pro foro externo. Hujusmodi nempe rescriptum, juxta Litteras encyclycas C. S. O. 20 Febr. 1888, ad 1m et 2m, apud *Collectan.*, n. 1471, semper ad Ordinarium oratorum vel loci dirigitur, nempe ad Ordinarium

---

(1) Hujusmodi restrictio occurrit etiam in Formula I, n. 29, quæ formula conceditur Episcopis Statuum Fœderatorum Americæ. « Verum, refert Putzer, op. cit., n. 52, circa dispensatiònes matrimoniales C. S. O. juxta Litteras S. C. de Prop. F. de 20 Dec. 1894, in Statibus Fœd. Americæ Sept., approbante S. Pontifice, concessit « ut Ordinarius etiam subditis extra diœcesin morantibus dispensationem indulgere possit, dummodò in aliena diœcesi saltem quasi-domicilium ad normam juris non contraxerint ».

(2) Quod dicitur de Episcopo vel potius de Ordinario, obtinet etiam pro *sacerdote*, si quis ab Ordinario subdelegatur, adeo ut et ipse possit dispensare quamvis forsan extra fines diœceseos versetur, nisi id expresse prohibeatur, quæ prohibitio deest in nostra Formula III, ubi n. 20, permittuntur facultates quinquennales S. C. de Prop. F. communicari « sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus ». Addo « vel potius de *Ordinario* », quia, inde a decretis C. S. O. 24 Nov. 1897, 20 Apr. et 22 Junii 1898, omnes facultates *habitualiter* Episcopo concedendæ vel olim concessæ censentur Ordinario concessæ Cfr. *Rev théol. franç.*, 1898, p. 17 et seq., p. 455 et seq.; 1899, p. 19 et seq.

originis sive domicilii, sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum, qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit, et potest dictus Ordinarius ad hoc munus commissus dispensationem exequi, « etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius diœcesis domicilio, in aliam diœcesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci in quo matrimonium contrahitur ». Ex relato decreto, ad 4m.

Conclusio summaria : Quando Episcopus ipse dispensat ex potestate quasi-ordinaria vel ex potestate delegata, non potest *directe* dispensare nisi *cum solis diœcesanis* vel cum vagis in diœcesi morantibus; ast non refert utrum sive ipse dispensans, sive subditus dispensandus, *extra diœcesim degat*, nisi, pro potestate *delegata*, aliter in tenore facultatis exprimatur, quemadmodum obtinet in Quinquennalibus S. C. de Prop. F. et S. Pœnitentiariæ, in quibus requiritur præsentia subditi, non Episcopi, intra fines diœceseos, momento quo gratia conceditur.

2°/ Ubi vero Episcopus mere exquitur Rescriptum Romanum, potest dispensationem exequi erga quoscumque, ad quos dispensandos committitur, etiamsi diœcesani non sint vel jam extra diœcesim versentur.

A. D. S.

V

Q. *Interpretare tenorem facultatis sub Form. III, n. 3, Episcopis Belgii ad quinquennium concedi solitæ:* « *Dispensandi* in 3 et 4 gradu, simplici et mixto, *in* contrahendis *et in* contractis » (1).

R. I/ « **In 3 et 4 gradu** » : quibus verbis conceditur

(1) Antiquitus dicebatur: « dispensandi.... cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum hæreticis »; postea: « nedum cum pauperibus sed etiam cum nobilibus » cui formulæ accessit, post Concordatum: « et divitibus »; et ultimò ante præsentem tenorem, hisce ultimis annis insertum, articulus habebat: « dispensandi in 3 et 4 gradu

facultas dispensandi in tertio et quarto gradu *consanguinitatis* et *affinitatis*, ex analogia cum tenore correspondentis Formulæ I, n. 6, ubi habetur: « in 3 et 4 consanguinitatis et affinitatis gradu ».

Porro disputatur utrum sub hac facultate comprehendatur etiam *publica honestas*, non quidem quæ provenit ex sponsalibus, quippe quæ non dirimit matrimonium nisi in primo gradu, ac distincto cæteroquin tenore conceditur sub n. 4°, sed illa quæ oritur ex matrimonio rato: censetur autem comprehendi, quoties, consummato matrimonio, sub affinitate continetur; quatenus vero inducitur ex matrimonio rato non consummato, non videtur ad eam extendi indultum de quo quæritur, cum facultas dispensandi, utpote favorabilis, latæ quidem sit interpretationis (1), non tamen extensivæ ab uno impedimento ad aliud; jamvero in Formula parallela nostræ, non memoratur publica honestas, imo distincta fit mentio, sub distincta paragrapho, publicæ honestatis ex sponsalibus provenientis. Cæterum in praxi passim matrimonium est consummatum et huic disputationi vix est locus. Cfr. Feye, op. cit., n. 614, sub 1°/; *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 58 et seq., n. 34; *Rev. théol. franç.*, 1898, p. 473; Theol. Mechl., *De matrim.*, n. 101, p. 402.

II/ « **Simplici et mixto** ». Quadruplicis sensus capax est hujusmodi elocutio:

1°/ Juxta Carrière, *De matrimonio*, II, n. 1100 « præfata verba significant tantùm concedi facultatem dispensandi, sive cognatio existat *ex una tantum parte* (in gradu simplici), sive *ex utraque* (in gradu mixto) ». (2)

---

simplici et mixto non tantum cum pauperibus sed etiam cum nobilibus et divitibus in contrahendis et contractis; cum hæreticis vero.... ». Cfr. Putzer, *Comment. in Fac. Apost.*, n. 244.

(1) Contrà mandatum particulare dispensandi est stricte interpretandum. Cfr. Zitelli, *De dispens. matrim.*, p. 52-54; Feye, *De Imped. Matr.*, n. 631, sub. d/.

(2) Episcopi « qui facultate gaudent quinquennali dispensandi in 3 et 4 consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantûm....

2°/ Alter sensus olim a pluribus propositus interpretatur mixtionem de *concursu consanguinitatis cum affinitate*. Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, V, p. 560, n. 6.

3°/ Mixtio potest etiam significare multiplicitatem ejusdem speciei impedimenti, puta consanguinitatem multiplici ex fonte provenientem; item pro affinitate; aliis verbis significat *multiplicitatem graduum*.

4°/ Tandem sensus esse potest ita ut æquivalenter dicatur: in 3 et 4 gradu *æquali* et *inæquali*, ita ut facultas attingat tertium gradum æqualem, quartum æqualem et 4^{m} convenientem cum 3^{io} seu tangentem 3^{m} gradum. Cfr. Van der Burgt, *De disp. matrim.*, n. 135; *Nouv. Rev. théol*, V, p. 460-462, n. 7 et 8.

Jamvero in stylo curiæ non desunt exempla in quibus occurrunt et 2^{s} et 3^{s} et 4^{s} sensus, non dico simul sed saltem separatim et disjunctive, uti apparet ex *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 49-50, n. 41, collato n° 4, p. 34.

Porro quoad interpretationem nostri indulti hæc tenenda videntur:

1°/ Proposita verba habent tertium *simul* et quartum sensum, adeo ut importent facultatem dispensandi in consanguinitate (et item in affinitate), in 3^{io} et 4° gradu *æquali et inæquali*, *quomodocumque gradus*, ratione diversi stipitis, *multiplicari* contigerit.

Quæ conclusionis pars prior

a/ sequitur ex apertis declarationibus Romanis, signanter ex decreto C. S. O. 19 Junii 1875, apud *Collectan. de Prop. F.*, n. 1243; ex declaratione S. Pœnitentiariæ tum 18 Jan. 1883 (apud Feye, op. cit., n. 631, sub d/, et apud *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 52), tum 20 Aprilis ejusdem anni 1883, apud *Collectan.*, n. 1244; tandem ex responso C. S. O. 16 Maii 1898, apud *Rev. théol. franç.*, 1898, p. 470 et p. 477 (1).

---

posse dispensare in 3 et 3; in 4 et 4; in 3, mixto cum 4;.... sive gradus oriatur ex uno sive ex multiplici stipite ».

(1) Non facit difficultatem decretum C. S. O., 26 Aprilis 1873, ad Episcopos Siciliæ, quo declaratur ipsos non posse dispensare in 3 et 4

b/ eruitur ex principio jam allato latæ adhibendæ interpretationis : uterque enim sensus, attenta significatione nativa attentoque stylo curiæ, perfectè adaptatur verbis interpretandis, uti latius ostendit *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 50-52, n. 20, collato tom. V, p. 461.

2°/ Eadem verba, in nostro indulto, excludunt sensum secundum, seu non important *concursum consanguinitatis et affinitatis.*

Quæ conclusionis altera pars

a/ nititur in authenticis responsis Curiæ Romanæ signanter in responso S. Pœnitentiariæ, 18 Jan. 1883, ad 2/ et 3/, apud *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 52 (1), et decreto C. S. O. 2 Julii 1884, apud Collectan. n. 1245 et ex integro apud Putzer, op. cit., n. 248 : in quo decreto ad postulatum 2^{m}, utrum nempe in Formula I, n. 6, cui correspondet Formula III, n. 3, ubi facultas tribuitur dispensandi in quibusdam gradibus consanguintitatis et affinitatis, utrum, inquam, « particula *et* copulative an disjunctive intelligenda sit », respondetur : « Verba Formulæ ita accipienda esse ut facultas concessa intelligatur dispensandi tam ab impedimento consanguinitatis quam ab impedimento affinitatis, *sejunctim* tamen ; non vero quando utrumque impedimen-

---

gradu *triplici* i. e., ex triplici stipite proveniente ; hæc enim restrictio continetur in ipso tenore indulti Siciliæ Episcopis concedentis facultatem dispensandi in 3 et 4 gradu « sive simplici sive *duplici* ac etiam mixto ». Uti namque argumentatur *Folium* causæ, res aliter se habuisset si « Pontifex Ordinariis Siculis facultatem fecissit dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu *in genere*, non explicando utrum isti gradus simplices vel duplices vel etiam triplices esse deberent Tunc enim in generica illa concessione, quæ intra tertium et quartum consanguinitatis gradum continentur, comprehendere voluisse dicendus esset, et applicari merito posset regula de facultatibus large interpretandis. At cum specifice declaravit se facultatem concedere dispensandi ab iisdem gradibus sive simplices illi sint sive duplices, duplices includendo, triplices exclusisse dicendus est. Inclusio enim unius exclusio est alterius ». Cfr. integrum textum apud *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 36-37 ; tenor autem decreti habetur ibidem, V, p. 457-458, collata p. 462 sub 1^{m}/.

(1) Olim contrarium docuerat *Nouv. Rev. théol.*, V, p. 462 ; sub 9/.

tum in uno eodemque casu occurrunt ». Confer etiam Litteras C. S. O. 18 Maii 1869, et Instruct. S. C. de P. F. 8 Sept. 1869, apud *Collectan.*, nn. 1468 et 1469; item cfr. decretum 1868, citatum apud *Rev. théol. franç.*, 1900, p. 30.

b/ confirmatur ex eo quod hic secundus sensus minus appropriatur verbis interpretandis: *mixtio* namque, in nostro tenore, afficit gradum, non vero consanguinitatem et affinitatem, et sic multiplicitatem quidem includit graduum non vero concursum consanguinitatis et affinitatis; si autem alibi mixtio importat multiplicitatem impedimentorum, alia sane, quam in nostra Formula, est verborum structura, uti in exemplo adducto a *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 35: « super impedimento 1i affinitatis... gradus, sive simplicis, sive *mixti cum cognatione spirituali* » (1).

III/ « **In contrahendis et contractis** »: olim nempe, uti p. 480 notavimus, restringebatur facultas, quoad hanc priorem partem articuli 3i, ad sola matrimonia *contrahenda*, nunc autem extenditur etiam ad matrimonia *contracta* convalidanda, cum dicatur: « in contrahendis et contractis » (2).

Porro, ut compleatur interpretatio, determinandum manet quid, coram stylo Curiæ, veniat nomine matrimonii *contracti*. Jamvero

a/ quando agitur de connubiis *initis in hæresi vel infidelitate* (3), « manifestum est per matrimonia *præte-*

---

(1) Vi specialis indulti ad annum concessi, Episcopus Brugensis obtinuit « ut ipse facultatibus sibi jam concessis ab Apostolica Sede circa dispensationes matrimoniales, sive per se sive per Vicarios suos in spiritualibus generales, uti valeat etiam *cumulative*, in casibus in quibus gradus aut impedimenta multiplicari contigerit ».

(2) Hoc ad abundantiam est dictum, quia « facultas generatim concessa dispensandi in impedimento matrimonii valet pro matrimoniis tam contrahendis quam contractis ». Putzer, op. cit., n. 6.

(3) « Hujusmodi porro sunt matrimonia: 1º/ fidelium cum infidelibus inita absque Apostolica dispensatione super cultus disparitate; 2º catholicorum cum hæreticis; 3º denique hæreticorum pariter cum infidelibus

rita (seu contracta)..... intelligi non conjunctiones quascumque etiam fornicarias, sed eas tantummodo quæ, *juxta mores regionum vel infidelium vel hæreticorum, formam habeant* et figuram matrimonii, habeanturque pro legitimis matrimoniis (1) », quæ tamen irrita sunt ob ecclesiasticum impedimentum consanguinitatis, affinitatis etc., vel et etiam clandestinitatis (2).

b/ quando agitur de matrimoniis initis inter partes utrimque catholicas, practice postulatur (3) ut fuerit celebratum *in forma Tridentina*, saltem in locis in quibus viget decretum *Tametsi;* imo hanc conditionem universim quoad loca etiam non subjecta requirit Feye, op. cit., n. 626, cujus sententiam uti probabiliorem habet Gasparri, op. cit., n. 419. Quos auctores circa hanc controversjam consule, collato Putzer, *comment. in fac. apost.*, n. 16, arguenti contra Carrière, op. cit., II, n. 1101.

Non refert quod *mala fide* fuerit contractum matrimonium etiam ab utraque parte nullitatis conscia, juxta pluries jam citatum decretum C. S. O., 2 Julii 1884 (4).

---

vel etiam inter se, quippe et ipsi Ecclesiæ legibus tenentur. Non autem intelligenda veniunt matrimonia inter utramque partem infidelem. Qui enim Ecclesiæ legibus non ligati, ut infideles, validè jam contraxerunt, opus non habent, neque postquam ad fidem conversi fuerint, dispensatione, ut in contracto matrimonio remanere possint; quia quod validum initio fuit, revalidatione non indiget ». Ex *Instructione C. S. O. ad Archiep. Quebec.*, 3 Martii 1825, apud Gasparri, op. cit., n. 418.

(1) Ex Instructione modò citata 1825.

(2) Secus, ait Feye, op. cit., n. 626, nempe si Episcopus uti non posset facultate dispensandi in matrimoniis olim in hæresi extra formam Tridentinam contractis, etiam ubi hæretici lege Tridentina ligantur, « frustranea illa facultas foret, quum hæretici extra formam Tridentinam contrahant ».

(3) Loquimur de hypothesi qua in facultate nihil additur, uti obtinet in præcedenti articulo nostræ Formulæ III; si enim expresse requiritur forma Tridentina, solutio est in promptu.

(4) Ad quæstionem sub VI: « An facultates quibus datur potestas dispensandi in impedimentis matrimonialibus, valeant etiam quando agitur de matrimonio nulliter contracto, utraque parte, dum contrahebatur, nullitatis conscia? » respondetur: « facultates de quibus agitur valere etiam quando utraque pars conscia est nullitatis matrimonii jam initi ».

Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 293-295; Feye, op. cit., n. 616, contradicente Gasparri, op. cit., n. 419, qui nititur declaratione C. S. O. 22 Dec. 1723.

Nota. 1°/ Præfata facultate uti potest Episcopus sive consanguinitas vel affinitas est facto publica sive facto occulta; sed quæritur utrum in hoc altero casu procedere debeat in dispensatione concedenda tanquam pro impedimento publico an vero procedere possit tanquam pro occulto. Cujus dubii solutio pendet a quæstione utrum facultas illa sit concessa *pro foro externo tantùm*, an autem *pro utroque foro:* nimirum si traditur pro foro externo tantùm, juxta dicta, hoc tomo, p. 353, debet procedere in illis impedimentis etiam facto occultis tanquam pro publicis et juxta formam hisce propriam; contrà si datur pro utroque foro, tunc potest adhibere formam foro vel externo vel interno accomodatum, prout facto publica est vel facto occulta consanguinitas aut affinitas.

Quod dubium in diversum sensum solutum videsis apud Feye, op, cit., n. 625 et apud Putzer, op. cit., n. 22, et n. 90, qui docet probabilem esse sententiam hanc facultatem dispensandi in 3 et 4 gradu consanguinitatis et affinitatis posse haberi uti pro utroque foro impertitam, intra limites facultatum M. Pœnitentiarii, nempe pro matrimoniis contractis tantùm, etsi alteri sententiæ a Feye propugnatæ in praxi inhærendum esse moneat.

2°/ Ex generalibus principiis Episcopus non valet hac facultate uti nisi cum *personis utrimque catholicis*, sive semper fuerint catholicæ sive ab hæresi vel infidelitate sint conversæ (1); ad hoc nempe ut possit dispensare cum una parte catholica et altera hæretica vel infideli, eget speciali indulto dispensandi in mixta religione vel disparitate cultus; imo hujusmodi indulto

(1) Cum catholicis ex hæresi conversis amplior conceditur facultas in altera parte hujus tertii Articuli.

munitus nihilominus caret potestate *simul* utendi facultate aliunde concessa, v. gr. in consanguinitate vel affinitate, nisi ulterius speciale indultum cumulandi acceperit, quale recensetur in Formula D, sub art. 5, apud Putzer, op. cit., n. 222. Cfr. Feye, op. cit., n. 628 et documenta ibidem allata; Putzer, n. 116, sub b/.

3°/ Cum agatur de indulto et non de particulari mandato dispensandi per se continetur facultas, cæteroquin expressis verbis subjuncta, legitimandi susceptam prolem non adulterinam, ac potestas e medio tollendi quidquid hujus dispensationis executioni obstat, puta absolvendi a censuris ad effectum. Cfr. *Collat.*, hoc tomo, p. 421-422, collato, Feye, op. cit., n. 614.

Conclusio: Vi indulti in hujus 3i articuli parte priore concessi, potest Episcopus dispensare *cum solis utrimque catholicis*, in impedimento consanguinitatis et affinitatis *sejunctim*, in 3 et 4 gradu sive *æquali* sive *inæquali*, (non ultra) (1), *quomodocumque gradus multiplicentur*, sive in ordine ad matrimonium *contrahendum*, sive in ordine ad matrimonium *contractum convalidandum*, simul contenta potestate prolem non adulterinam legitimandi.

A. D. S.

VI

Q. *Confice elenchum, tum scriptorum quæ Decretis Generalibus* « De prohibitione et censura librorum » **absolute** *prohibentur; tum illorum quæ non prohibentur nisi* **cum aliquo temperamento**, *quatenus, si quædam conditio obtineat, omnibus aut certis saltem personis permittuntur, vel unice ob defectum legitimæ approbationis vetantur.*

R. I. Decretis Generalibus « De prohibitione et cen-

(1) Cfr *Rev. théol. franç.*, 1898, p. 478-479, et 1900, p. 34-35, collato Feye, op. cit., n. 614, sub 2°, cum nota, et n. 631 sub c/; cfr etiam Theol. Mechl., op. cit., n. 101. Sic cum catholicis qui semper catholici fuerunt non possunt Episcopi vi hujus indulti dispensare in tertio vel quarto gradu inæquali, *si secundum attingat.*

sura librorum » **absolute** seu omnibus et sine temperamento prohibentur :

1° « Libri... quos ante annum MDC, aut Summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur... ; iis exceptis, qui per hæc Decreta Generalia permittuntur » (cf. art. 3, 4, 5, 6, 8 et 10). Art. I. (1)

2° « Libri... *quorumcumque* scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta (2) utcumque evertentes ». Art. II.

3° « *Acatholicorum* libri, qui ex professo de religione tractant », si quid in eis contra fidem catholicam contineatur. Art. III.

4° Libri ex professo *obsceni*, nisi aliquatenus excipias libros auctorum classicorum, de quibus infra. Art. IX.

5° « Libri in quibus Deo, aut Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis, aut catholicæ Ecclesiæ ejusque cultui, vel Sacramentis aut Apostolicæ Sedi » graviter « detrahitur ». Art. XI, § 1.

6° « Opera, in quibus inspirationis Sacræ Scripturæ conceptus pervertitur, aut ejus extensio nimis coarctatur ». Art. XI. § 2.

7° « Libri qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt ». Art. XI, § 3.

8° Libri superstitiosi, in quibus scilicet artes superstitiosæ docentur vel commendantur. Art. XII.

9° « Libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt ». Art. XIV, § 1.

10° Libri, qui de sectis massonicis agentes, eas utiles esse contendunt. Art. XIV, § 2.

---

(1) Quum præsens decretum non inducit novam prohibitionem (« *eodem modo damnati habeantur* »), damnatio librorum ante annum 1600 proscriptorum eodem sensu est intelligenda quo universali praxi fuit intellecta. Decursu autem sæculorum plures damnationes antiquæ praxi mitigatæ sunt. In specie quod spectat scripta veterum hæreticorum, quorum errores jam penitus obsoleverunt.

(2) Cf. *Collationes*, T. IV, p. 653.

11° Libri « qui errores ab Apostolica Sede proscriptos » (v. g. errores a *Syllabo* damnatos) « tuentur » seu propugnant. Art. XIV, § 3, coll. dec. S. C. Indicis 23 Maii 1898.

12° « Imagines quomodocumque impressæ D^ni N^tri Jesu Christi, etc., ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes ». Art. XV.

13° Libri liturgici noviter editi, qui in quopiam discrepent ab editionibus authenticis a Sancta Sede approbatis. Art. XVIII.

14° « Diaria, folia, et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt ». Art. XXI (1).

II. Prohibentur **cum aliquo temperamento**:

A. *Quatenus, si quædam conditio obtineat, omnibus aut certis saltem personis permittuntur:*

1° Libri *acatholicorum*, ex professo de religione tractantes (2); qui omnibus permittuntur, si constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri. Art. III.

2° Editiones textus originalis et quarumcumque versionum S. Scripturæ ab *acatholicis* quibuscumque publicatæ.

Hæ editiones, cæteris omnibus absolute prohibitæ, « iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata, permittuntur ». Art. V, VI et VIII.

3° *Pariter* prohibentur « versiones omnes in lingua *vernacula*, etiam a viris *catholicis* confectæ,... nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus ». Quæ conditio si obtineat, hæ versiones de jure communi omnibus permittuntur. Art. VII.

---

(1) Cf. *Collationes*, T. IV, p. 605, coll. p. 655.

(2) Libri eorumdem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, jure ecclesiastico omnibus permittuntur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint. Art. IV.

4° Libri obsceni auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos *classicos* vocant.

Hujusmodi libri « iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat; nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut prælegendi erunt ». Art. X.

B. *Quatenus unice ob defectum legitimæ approbationis vetantur:* (1)

1° Libri aut scripta, quæ referunt nova facta supernaturalia, quæ np. narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula. Art. XIII, § 1.

2° Libri aut scripta quæ novas inducunt devotiones (Art. XIII, § 2); et generatim omnes libri aut libelli precum, devotionis, etc., qui scopum practico-religiosum habent. Art. XX.

C. V. C.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. V, pag. 366.)

—

Jam ulterius inquiramus de ipsa natura ac radice libertatis, qua ens intellectuale in actionibus suis rationalibus diverso gradu liber dicitur et est, tum privative a coactione seu vinculo necessitante aut impediente, tum positive qua dominus suæ actionis. Rem præclare declarabunt Doctores Angelicus et Seraphicus, agendo tum de subjecto remoto libertatis, seu in quibus entibus sit, tum de subjecto proximo seu ipsa potentia libera, quæ et qualis sit, et considerando tandem liberum arbitrium comparative ad diversa, ad subjectum, objectum, actum etc.

(1) Cf. *Collationes*, T. V, p. 237.

Audiamus primo Angelum Scholæ, respondentem quæstioni *utrum liberum arbitrium sit in brutis:* « Sciendum est, *ait* (1), quod cum ad operationem nostram tria concurrant, scilicet cognitio, appetitus, et ipsa operatio; tota ratio libertatis ex modo cognitionis dependet. Appetitus enim cognitionem sequitur, cum appetitus non sit nisi boni, quod sibi per vim cognitivam proponitur. Et quod quandoque appetitus videatur cognitionem non sequi, hoc ideo est, quia non circa idem accipitur appetitus, et cognitionis judicium: est enim appetitus de particulari operabili, judicium vero rationis quandoque est de aliquo universali, quod est quandoque contrarium appetitui; sed judicium de hoc particulari operabili, ut nunc, numquam potest esse contrarium appetitui. Qui enim vult fornicari, quamvis sciat in universali fornicationem malum esse, tamen judicat sibi ut tunc bonum esse fornicationis actum, et sub specie boni ipsum eligit. Nullus enim intendens ad malum operatur, ut Dionysius dicit (cap. IV, de divin. Nomin.) Appetitum autem, si non sit aliquid prohibens, sequitur motus, vel operatio. Et ideo si judicium cognitivæ non sit in potestate alicujus, sed sit aliunde determinatum, nec appetitus erit in potestate ejus, et per consequens nec motus, vel operatio absolute. Judicium autem est in potestate judicantis secundum quod potest de suo judicio judicare: de eo enim quod est in nostra potestate, possumus judicare. Judicare autem de judicio suo est solius rationis, quæ super actum suum reflectitur, et cognoscit habitudines rerum de quibus judicat, et per quas judicat: unde totius libertatis radix est in ratione constituta. Unde secundum quod aliquod se habet ad rationem, sic se habet ad liberum arbitrium. Ratio autem plene et perfecte invenitur solum in homine: unde in eo solum liberum arbitrium plenarie inveniter. Bruta autem habent ali-

(1) *QQ. disp. de Veritate,* q. XXIV *de lib. arbitrio,* art. 2, in corp.

quam similitudinem rationis, inquantum participant quamdam prudentiam naturalem, secundum quod natura inferior attingit aliqualiter ad id quod est naturæ superioris. Quæ quidem similitudo est secundum quod habent judicium ordinatum de aliquibus. Sed hoc judicium est eis ex naturali æstimatione, non ex aliqua collatione, cum rationem sui judicii ignorent: propter quod hujusmodi judicium non se extendit ad omnia, sicut judicium rationis, sed ad quædam determinata. Et similiter est in eis quædam similitudo liberi arbitrii, inquantum possunt agere, vel non agere unum et idem, secundum suum judicium, ut sic sit in eis quasi quædam conditionata libertas: possunt enim agere, si judicant esse agendum; vel non agere, si non judicant. Sed quia judicium eorum est determinatum ad unum, per consequens et appetitus, et actio ad unum determinatur: unde secundum Augustinum XI, super Genes. ad litteram, moventur visis, et secundum Damascenum (Lib. III, orth. Fid. cap. XXVII), aguntur passionibus, quia scilicet naturaliter de tali viso, et de tali passione sic judicant: unde necesse habent ab ipsa visione alicujus rei, vel a passione insurgente moveri ad fugiendum, vel prosequendum; sicut ovis viso lupo necesse habet timere, et fugere, et canis insurgente passione iræ, necesse habet latrare, et prosequi ad nocendum. Sed homo non necessario movetur ab his quæ sibi occurrunt, vel a passionibus insurgentibus, quia potest ea accipere, vel refugere; et ideo homo est liberi arbitrii, non autem bruta. »

194. Ad eamdem quæstionem Doctor Seraphicus: « Respondeo dicendum, *ait* (1), quod absque dubio liberum arbitrium reperitur in solis substantiis rationalibus: et ratio hujus sumitur tum ex parte libertatis, tum ex parte arbitrationis. Ex parte libertatis: libertas enim opponitur servituti. Unde illa sola potentia dicitur

(1) In 2 *l. sent.*, dist. XXV, p. 1, q. 1.

esse libera, quæ dominium habet plenum tam respectu objecti, quam respectu actus proprii. Illa autem potentia dominium habet ex libertate respectu objecti, quæ non est arctata ad aliquod genus appetibilis, sed nata est omnia appetibilia appetere, et omnia fugibilia respuere. Tria autem sunt, quæ sunt in appetitibus, et quorum opposita sunt in fugis, videlicet bonum, conferens, et delectabile, et nomine boni ibi intelligitur honestum. Cum autem, conferens, et delectabile nata sint appeti ab irrationalibus, bonum honestum a solis rationalibus potest appeti: ideo in eis solum reperitur virtus, quæ non est ad aliquod genus appetibilis arctata, ac per hoc habens libertatem respectu objecti. In eis etiam solis reperitur potentia habens libertatem respectu actus proprii: quod patet. Nam voluntas in rationalibus non solum compescit manum exteriorem, vel pedem, sed etiam compescit seipsam, et refrænat incipiens odire frequenter quod prius diligebat, et hoc ex suiipsius imperio, et dominio. In brutis autem animalibus, etsi aliquo modo sit reperire dominium respectu actus exterioris, quia bene refrænat aliquando, sicut patet in animalibus domesticis: respectu tamen actus proprii interioris, videlicet appetitus, dominium non est. Unde si aliquid amant, non possunt illud non amare, licet a prosecutione alicujus rei amatæ arceantur timore alicujus passionis inflictivæ. Et ideo dicit Damascenus quod magis aguntur, quam agant: ac per hoc, cum non possint actum proprium reprimere, respectu actus proprii non habent libertatem, nec respectu objecti: et ideo deficiente in eis libertate, liberum arbitrium non possunt participare. Similiter etiam sumitur ratio ex parte arbitrationis. Arbitrium enim idem est quod judicium, ad cujus nutum cæteræ virtutes moventur, et obediunt. Judicare autem illius est secundum rationem completam, cujus est discernere inter justum, et injustum, et inter proprium, et alienum: nulla autem potentia novit quid justum, et quid injus-

tum, nisi illa sola, quæ est particeps rationis, et nata est cognoscere summam justitiam, a qua est regula omnis juris : hoc autem solum est in ea substantia, quæ est ad imaginem Dei, qualis est tantum substantia rationalis. Nulla enim substantia discernit quid proprium, et quid alienum, nisi cognoscat seipsam, et actum suum proprium : sed numquam aliqua potentia seipsam cognoscit, vel supra seipsam reflectitur, quæ sit alligata materiæ. Si igitur omnes potentiæ sunt alligatæ materiæ et substantiæ corporali præter solam rationalem, sola illa est, quæ potest se super seipsam reflectere : et ideo ipsa sola est, in qua est plenum judicium, et arbitrium in discernendo, quid justum, et quid injustum, quid proprium, et quid alienum. Tam igitur ratione libertatis, quam ratione arbitrationis liberum arbitrium in solis substantiis rationalibus reperitur. »

195. Si addamus responsum D. Thomæ ad quæstionem, *ibid.*, in art. 3, *Utrum liberum arbitrium sit in Deo*, jam completa erit doctrina respiciens subjectum remotum libertatis, et ipsa natura ac radix ejusdem haud obscure jam apparebit, simulque, quod præprimis intendimus, liberum arbitrium Dei explicabitur.

« Respondeo dicendum, quod in Deo est invenire liberum arbitrium ; alio tamen modo in eo, et in Angelis, et in hominibus. Quod enim in Deo sit liberum arbitrium, hinc apparet quod ipse habet voluntatis suæ finem, quem naturaliter vult, scilicet suam bonitatem ; alia vero omnia vult quasi ordinata ad hunc finem : quæ quidem absolute loquendo non necessario vult, ut in præcedenti quæstione ostensum est, eo quod bonitas ejus his quæ ad ipsam ordinantur, non indiget nisi ad ejus manifestationem, quæ convenienter pluribus modis fieri potest : unde remanet ei liberum judicium ad volendum hoc vel illud, sicut in nobis est. Et propter hoc oportet dicere, in Deo liberum arbitrium inveniri, et similiter in Angelis : non enim ipsi ex necessitate

volunt quidquid volunt ; sed hoc quod volunt, ex libero judicio volunt, sicut et nos.

Aliter tamen invenitur liberum arbitrium in nobis, et in Angelis, et in Deo : variatis enim prioribus necesse est posteriora variari. Facultas autem liberi arbitrii duo præsupponit, scilicet naturam, et vim cognitivam. Natura quidem alterius modi est in Deo quam sit in hominibus, et in Angelis. Natura enim divina increata est, et est suum esse, et sua bonitas : unde in eo non potest esse defectus aliquis nec quantum ad esse, nec quantum ad bonitatem. Natura autem humana, et angelica creata est, ex nihilo principium sumens : unde quantum est de se, possibilis est ad defectum. Et propter hoc liberum arbitrium Dei nullo modo flexibile est ad malum ; liberum vero arbitrium hominis, et Angeli in suis naturalibus consideratum in malum flexibile est. Cognitio etiam alterius modi invenitur in homine quam in Deo, et in Angelis. Homo enim habet cognitionem obumbratam, et cum discursu veritatis notitiam sumentem : unde accidit ei dubitatio, et difficultas in discernendo, et judicando : quia *cogitationes (a) hominum timidæ, et incertæ providentiæ nostræ*, ut dicitur Sapient. IX, 14. Sed in Deo, et in Angelis suo modo est simplex notitia veritatis absque discursu, et inquisitione : unde non cadit in eis dubitatio, aut difficultas in discernendo, vel judicando ; et ideo Deus, et Angeli habent promptam electionem liberi arbitrii, homo vero in eligendo difficultatem patitur propter incertitudinem, et dubitationem. Et sic patet quod liberum arbitrium Angeli medium locum tenet inter liberum arbitrium Dei et hominis, participans aliqualiter cum utroque extremorum. »

196. Jam de ipso libero arbitrio, quæ et qualis potentia seu facultas sit, compendio exhibeamus doctrinam eorumdem Doctorum principum Scholæ, considerando præprimis liberum arbitrium ut in nobis est.

(a) Vulgata, *mortalium*.

Et divus quidem Thomas (1) advertit primum, ut cum ipso jam supra id fecimus, liberum arbitrium vi vocis nominare actum, sed ex usu loquendi significare principium actus. Quæritur ergo utrum hoc potentia sit, an vero habitus vel potentia habitu perfecta. Concludit autem esse potentiam, non proprie habitum: etenim judicium secundum se non excedit vim potentiæ, siquidem rationis est per propriam naturam judicare, absque eo quod habitus superadditus requiratur. Quod autem sit judicium *liberum* seu in potestate judicantis, similiter vim potentiæ non excedit: esse enim aliquid in potestate facientis, inest ei secundum aliquam potentiam, nempe voluntatem, non autem per aliquem habitum. Quosdam autem movit ponere habitum, quod ipsis videretur liberum arbitrium superaddere super voluntatem et rationem, ordinem videlicet unius ad alteram, sed hoc non potest proprie loquendo rationem habitus habere: nam habitus est qualitas quædam, secundum quam potentia inclinatur ad actum. Alii dixerunt liberum arbitrium esse habitualem potentiam, considerantes facilitatem ex qua libere judicamus, sed hoc rursus vim potentiæ non excedit.

Est porro liberum arbitrium una potentia, non plures, licet sua virtute reliquas potentias moveat; nec obstat quod concurrant ratio et voluntas; nam actus liberi arbitrii progreditur vere ab una potentia (voluntate) immediate, et ab altera (ratione) mediate, in quantum quod est prioris potentiæ in posteriori relinquitur.

Tandem, liberum arbitrium est ipsa voluntas, quæ facit libertatem in judicando, quamvis eam non nominet absolute sed in ordine ad aliquem ejus actum, qui est eligere. Ita docet S. Thomas.

197. Primo intuitu videri posset S. Bonaventura præmissæ Angelici doctrinæ contradicere, cum re ipsa ita non sit, ut videbimus. Ostendit primo (2) Seraphicus

---

(1) *QQ. disp. de Veritate,* q. XXIV jam cit., art. IV et sqq.
(2) Ead. dist. XXV, p. 1, q. 2.

dici posse cum quibusdam liberum arbitrium distinctum a ratione et voluntate, dummodo, ait, intelligatur distinctione secundum rationem, non secundum rem, et secundum quidem rem non esse distinctam potentiam a ratione et voluntate.

Deinde (1) demonstrat liberum arbitrium comprehendere rationem et voluntatem, ut et nomen indicat et definitio, et amplius manifestat suæ proprietatis inquisitio: « Liberum enim arbitrium sive nominet potentiam, sive habitum, nominat ipsam potentiam ut dominam, vel dominium ipsius potentiæ: et hoc planum est ex ipso nomine libertatis. Attendendum autem quod dominium alicujus potentiæ potest esse dupliciter, aut respectu objecti, aut respectu actus. Dominium potentiæ respectu objecti attenditur in hoc quod possit in illud et in amplius, sicut equus, qui potest ferre decem modios, dominium habet super tres modios ad portandum, quia prævalet ad illud, quod cum facilitate portat. Dominium autem potentiæ respectu actus est attendendum in hoc, quod potentia potest esse in actu, et cessare ab actu secundum suum imperium, et secundum proprium motum. Ad hoc autem quod aliqua potentia hoc dominium habeat, necesse est quod ipsa possit movere seipsam, et quod possit super actum suum seipsam reflectere. Si enim non posset seipsam super actum suum reflectere, nunquam posset illum refrænare, nisi posset seipsam movere, nec posset in illum exire, quando vellet. Reflectere autem se super se, hoc est virtutis cognitivæ sublimatæ a materia, quæ quidem est ratio. Movere autem se, hoc est virtutis appetitivæ rationem consequentis. Ad hoc igitur, ut illud dominium sit in anima, necesse est quod habeat rationem et voluntatem. Nam si rationem tantum haberet, et non voluntatem, per quam moveret, posset se super actum suum reflectere, sed non posset movere, vel

(1) *Ibid.*, q. 3.

imperare. Si vero appetitum solum haberet, et non rationem, posset utique movere, et in actum exire: sed quia non posset se super actum suum reflectere, non posset utique refrænare: et ita dominium non haberet. Sicut igitur ex concursu virtutis duorum hominum resultat una quædam facultas ad portandum unum lapidem quem non posset ferre alter eorum: et sicut ex concursu patris familias, et matris familias ad disponendum regimen domus resultat una potestas, ita quod altera non sufficeret: et sicut ex concursu virtutis manus, et oculi resultat potestas scribendi, ad quod altera illarum non sufficeret: sic ex concursu rationis, et voluntatis resultat quædam libertas, sive quoddam dominium ad aliquid faciendum sive disponendum. Et sic patet quod liberum arbitrium rationem complectitur, et voluntatem. Patet etiam quod cum liberum arbitrium sit quædam potestas, sive quoddam dominium resultans ex conjunctione istarum duarum potentiarum, scilicet rationis, et voluntatis, quod optime nominatur per hoc, quod dicitur liberum arbitrium non uno nomine, sed composito, ut unum nomen respondeat rationi, et alterum voluntati. Optime autem diffinitur, cum dicitur esse facultas rationis, et voluntatis: facultas enim non tantum nominat potentiam, immo facilitatem potentiæ, ex qua non tantum potens est, immo etiam præpotens est ad exeundum in actum; et ideo facultas dicit potestatem, sive dominium quod quidem dicitur esse rationis simul et voluntatis, quia non est unius, nisi concomitante altera. »

Tertio vero (1) docet liberum arbitrium complecti rationem et voluntatem, non tamquam unam potentiam ex his constitutam, sed tamquam unum habitum, qui quidem dicitur facultas et dominium, qui consurgit ex conjunctione utriusque et potens est super actum utriusque potentiæ per se et in se consideratæ. Atvero

(1) q. 4.

quid nomine habitus ibi intelligit, explicat ipse in q. v: « Notandum quod, cum habitus reddat potentiam facilem et tribus modis habeat potentia esse facilis, tribus modis habet habitus ad potentiam comparari. Quædam namque potentia respectu alicujus actus est facilis per seipsam, ut patet cum dicitur: Mens est nata ad meminendum suiipsius, vel intelligendum se: et tunc talis habitus non differt a potentia secundum rem, sed secundum rationem, et modum dicendi: et tunc non addit aliquid secundum essentiam, sed solum secundum rationem. Quædam est potentia, quæ respectu alicujus actus est habilis per aliquid sui, sicut potentia intellectiva ad cognitionem figurarum geometricarum non est habilis per seipsam, sed potius per aliquod accidens quod habet esse in ea, et tunc habitus talis addit supra potentiam, non solum secundum rationem, sed etiam secundum essentiam, et rem. Aliqua vero potentia facilis est ad aliquem actum per seipsam, non tamen sola, sed cum alia: et sic potentia rationalis sine aliquo habitu superaddito, ex sola conjunctione sui cum appetitu nata est in actum consentiendi, et eligendi exire: et hoc modo habitus, vel facultas non addit aliquid diversum secundum essentiam, nec addit solum secundum rationem intelligendi, sed medio modo addit, scilicet secundum esse, quia non addit aliquid absolutum, sed respectivum, sicut patet, cum dico rationem per se, et rationem associatam, sive adjunctam voluntati, non addo aliquid novum supra rationem secundum se, sed solum conjunctionem sui ad alterum, quantum ad aliquem consequentem actum. Unde sicut quando plures concurrunt ad trahendam navem, vel ferendum lapidem, potentia unius reddit potentiam alterius facilem, ita quod nulla nova virtus, vel habilitas advenit potentiæ alicujus trahentis in se, sic et in proposito intelligendum est se habere: et hinc est quod liberum arbitrium etsi accidens esse videatur inquantum sonat rationem habitus secundum rem, tamen non est accidens

potentiæ superadditum. Et iterum, licet sit habitus: quia tamen non dicit habitum unius potentiæ absolute, sed cum relatione unius ad alterum, in duabus potentiis, seu respectu duarum potentiarum potest esse unus: non enim est habitus superadditus per gratiæ infusionem, vel per innatam dispositionem, sed potius dicitur esse habitus, quo ratio et voluntas suis actibus dominantur. Qui quidem est in eis ex sua naturali origine, pro eo quod naturaliter istæ duæ potentiæ in eadem substantia sunt inditæ vel radicatæ, nec contingit unam ab altera separare. Concedendæ sunt igitur rationes ostendentes, quod liberum arbitrium secundum essentiam nihil addit supra rationem, et voluntatem: addit tamen aliquo modo secundum esse, sive secundum relationem, quæ quidem non ponit aliquam novam qualitatem esse in ratione, vel voluntate, sed ponit rationem et voluntatem ad unum actum concurrere secundum naturalem aptitudinem. »

198. Ex quibus vides per habitum non aliud in re ipsa designari a S. Bonaventura, quam potentiam rationis et voluntatis cum respectu ad invicem, ut supra a S. Thoma, non aliud quam habitum generice dictum seu facultatem residentem penes rationem et voluntatem conjunctim, non quasi sit potentia diversa, vel sit habitus proprie dictus superadditus in ratione vel voluntate, vel in utraque; ita quidem ut tandem nihil obstet e doctrina Seraphici, quin cum S. Thoma dicamus esse liberum arbitrium non aliam potentiam a voluntate, seu appetitu intellectivo, qui sane a ratione seu intellectu separatus non existit.

Et statim quidem addit S. Bonaventura (1) facultatem hanc, quod est liberum arbitrium, principalius nobis inesse penes voluntatem. « Respondeo dicendum quod cum liberum arbitrium sit facultas, sive dominium, ex qua redditur potentia facilis, non solum ad movendum

(1) q. 6.

alia, sed etiam ad movendum seipsam, sicut ratio movendi se, inchoatur in ratione, et consummatur in voluntate, sic et arbitrii libertas residet penes rationem, et voluntatem: ita quod in una illarum potentiarum inchoatur, et in alia consummatur: ideo autem dico motum inchoari in ratione, quia non movetur appetitus, nisi præambulo cogitatu: nequaquam enim possumus amare, nisi cognoscamus: et ideo, ad hoc, quod motus fiat, præit cognitio disponens, et subsequitur voluntas perficiens: Quantumcunque enim præcedat cogitatus, nunquam tamen motus sequitur, nisi ipsum imperet voluntatis affectio: et sicut voluntas non habet moveri ad objectum acceptando, vel refugiendo illud, nisi præambulo cogitatu, sic etiam non habet approbare, vel respuere, sive eligere, et refrænare actum proprium, nisi rationis actus præcedat, qui dictet ipsum esse bonum, vel malum, perficiendum, vel refrænandum: ex tali enim actu præambulo voluntas in actu suo incipit complacere, vel displicere. Et sic patet quod libertas arbitrii, sive facultas, quæ dicitur liberum arbitrium in ratione inchoatur, et in voluntate consummatur. Et quoniam penes illud principaliter residet, penes quod consummatur, ideo principaliter libertas arbitrii, et dominium in voluntate consistit. Et iterum, quia illud in quo res inchoatur, se habet per modum materialis: illud in quo consummatur, se habet per modum formalis, et adjectivum respectu substantivi se habet per modum informantis: ideo in nominatione illius potestatis nomen respondens rationi significatur substantive, nomen vero respondens voluntati significatur adjective: et propter hoc magis vocatur ista facultas liberum arbitrium quam arbitraria libertas. »

Si jam de libero arbitrio divino quæramus, quid et quale sit, uno verbo rem solvimus dicendo liberum arbitrium Dei esse ipsam divinam voluntatem, conjunctam cum divino intellectu, a quo realiter non differt, ipsamque esse divinam substantiam.

(Continuabitur.)

De adductione animalium ad Adam.
(Genes. II, 19).

« *Adducere animalia coram Adam,* ait Cajetanus in h. l., *et non invenire inter ea adjutorium correspondens ei, ridiculam inquisitionem significat: in cujus enim mente verti poterat in dubium, an inter aves inveniretur adjutorium correspondens Adæ?* ». Citatis hisce Cajetani verbis, in *Revue biblique, 1897, p. 364,* voce quasi triumphali sic pergit R. P. Lagrange: « Ceux qui prennent tout à la lettre se donnent encore la peine, après cette *mordante ironie,* (1) d'expliquer l'absence

(1) Mordax sanè ironia, sed edentula, absona, injuria. Gratis enim supponit Cajetani argumentatio, animalia eo tantùm fine adducta fuisse ad Adam, ut deprehenderet inter ea non inveniri adjutorium simile sibi. Et re quidem vera ipse contextus apertè docet Deum *adduxisse ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea* (II, 19), ut nimirum imponendo ipsis congrua nomina, declararet primus homo suum in animalia imperium et potestatem, et perfectam suam animalium scientiam, excellentemque vim, ac dignitatem rationis, quâ cunctis animalibus homo antecellit. « Roget quispiam, ait Pererius, cur Deus adduxit animalia ad Adamum? Equidem videor mihi *quatuor* ejus rei causas satis idoneas et probabiles afferre posse. *Principiò,* voluit Deus ante Adamum sisti et oculis ejus subjici animalia, ut ex eorum aspectu et contemplatione atque comparatione cum suâ ipsius naturâ perspicuè agnosceret quantum illis differret ac præstaret ipse, quantoque plura et excellentiora dona accepisset à Deo, ob eamque causam ad laudes Dei celebrandas, gratiasque perpetuò ei agendas vehementiùs incitaretur. *Deindè,* quia Deus fecerat hominem cunctorum animalium principem ac Dominum, voluit ut cognosceret ipse servos suos, et animalia velut obsequium, et servitutem ei sponderent. *Adhæc,* ut imponendo nomina animalibus, conderet augeretque linguam, quâ mox generandi homines usuri erant... His *accedit,* ut eâ ratione pernotesceret omnibus quantâ scientiæ præstantiâ Deus Adamum donavisset, atque decorasset. *Ad extremum,* ut cernens in singulis animalium speciebus esse marem ac feminam, idem quoque in humana specie fieri oportere intelligeret, necessitatemque creandi mulierem futuram sibi ad generationem prolis adjutricem planè perspiceret, et ut placet Catharino, ardentius procreationem ejus expeteret, ac vehementius religiosa precatione à Deo postularet. » Ceteroquin, ut ne Cajetano ridicula appareret realis animalium adductio ad Adam, simias tantùm anthropomorphas

des poissons. (1) On a beau nous dire qu'il ne faut pas se représenter Dieu comme un rabatteur à la chasse, que tout a pu se passer dignement; il est impossible de se figurer ce défilé ou cette présentation en réalité, sans en voir le ridicule. (2) Comme symbole, cela exprime très bien la supériorité intellectuelle d'Adam

---

adduci oportuisset. *In cujus enim mente verti poterat in dubium, an inter* cetera animalia terrestria, v. g. leones, elephantes, equos, serpentes, mures, feles etc. *inveniretur adjutorium correspondens Adæ?* Ex quo patet argumentum Cajetani nimis, adeoque nihil probare. Caret igitur mordicibus mordax ejus ironia, atque quæstionem cur non etiam pisces adducti fuerint, integram relinquit.

(1) Non solum insulsa levisque apparet hæc animadversio, sed et in Patres ac veteres Interpretes injuriosa, qui omnes censuerunt animalia revera fuisse adducta ad Adam, adeoque explicare conati sunt absentiam piscium, sive quòd naturaliter extra aquam vivere nequeant, sive quòd in aquâ delitescant, nec ita homini familiares ac socii esse queant, uti plurimæ animalium terrestrium et volatilium species. « Sed cur, ait Pererius, non ad eum etiam pisces adducti sunt? An quia non eam habent cum homine convenientiam, et velut consuetudinem quam habent cætera animalia? An quia in his certum erat nullum esse posse idoneum Adamo adjutorium, propter nimis diversam corporis conformationem et figuram? An potius quia extra aquam positi confestim interiissent, nisi Deus illos singulari aliquo miraculo conservare voluisset? Denique, adducta sunt ad Adamum animalia, ut is imponeret eis nomina tanquam servis, quorum famulatu et obsequio usurus erat: id quod non ferè in piscibus eventurum erat. » Ceterum, etsi supponeremus cum R. P. Lagrange narrationem mosaïcam esse *merè symbolicam,* eadem maneret quæstio solvenda, cur nimirùm in eâ symbolica descriptione omissi sint pisces, eò magis quòd eorum adductio fictu quam factu faciljor fuisset.

(2) *Singulari* R. Patris sententiæ confidenter opponimus *sensum communem* Veterum qui in hac animalium adductione ad Adam nihil ridiculi, nihil Deo indigni conspicati sunt. Enimverò quid absurdi in eo est quòd, propter fines suprà indicatos ac Dei sapientia minimè indignos, sive divino instinctu sive angelorum ministerio adducta sint ad dominum ac regem suum Adam animalia terrestria atque volatilia, videlicet cujuslibet speciei duo individua, masculus et femina? Annon seriò accipi potest quòd aut divino instinctu aut angelorum ministerio *de animantibus mundis et immundis, et de volucribus, et ex omni, quod movetur super terram, duo et duo ingressi sunt ad Noë in arcam, masculus et femina,* nimirum eo fine *ut possent vivere?* Gen. VI, 20; VII, 8, 9. Cur autem, quod omnibus hucusque Interpretibus visum est serium, ac Deo dignum, planè ridiculum sibi videatur, demonstrare omittit R. Pater: an prudentis sapientisque est veteres sapientes omnes sine ullâ objectiva ratione ceu ridiculos S. Scripturæ interpretes traducere?

sur les animaux. (1) Les littéralistes font donc de l'auteur un naïf, mais il ne paraît pas du tout l'être : il s'est servi d'un ingénieux procédé pour faire apprécier le rôle de la femme ». (2)

Levissimis hisce affirmationibus jam, opinamur, in notis respondimus satis. Juvat tamen hisce addere nonnulla verba Bonfrerii ac Pererii :

« Neque verò hîc probanda Cajetani opinio, qui non vult (animalia) adducta esse motu locali, sed imaginatione dumtaxat Adami, et internâ cogitatione : *hoc enim est à vocis proprietate recedere absque necessitate, quod in Scripturis cavendum est* ». Sic Bonfrerius.

Pererius autem : « Sine causa profecto Cajetanus contra Patrum, atque omnium interpretum sententiam censuit non revera fuisse animalia adducta ad Adamum, sed intellectuali tantùm quodam modo fuisse intellectui ejus à Deo repræsentata, ut ea considerans, et convenienter singulorum naturis imponens eis nomina, nullum esse in eis agnosceret congruens sibi ad vitæ societatem, et prolis generationem adjutorium ».

« *Nam Moses*, inquit Cajetanus, *Deum adduxisse narrat animalia ad Adamum, ut videret quo modo ea*

(1) Symbolicâ istâ significatione caruisse adductionem animalium ad Adam atque nominum impositionem, contendit nemo. Verùm eamdem adductionem ac nominum impositionem *realem* etiam fuisse, atque eatenus tantùm symbolicæ huic significationi *fundamentum* præbuisse, clamat tum litteræ proprietas ac simplicitas, tum contextûs indoles manifestè historica (quæ enim præcedunt et sequuntur, de creatione Adami, de productione paradisi, ligni vitæ, lignique scientiæ boni et mali, ac de formatione mulieris, absque dubio historice accipienda sunt, tum etiam unanimis veterum Patrum atque Interpretum sententia — Multùm apud nos valet sensus obvius et naturalis textûs et contextûs, neque ab eo leviter recedendum arbitramur quando eidem suffragatur *sensus communis* doctorum, refragatur autem seria auctoritas nulla.

(2) Adductionem animalium ad Adam ad hoc etiam spectasse ut ratio et necessitas formationis mulieris magis perspicua foret, supra jam animadvertimus, nec est cur id quis diffiteatur. Sed adductionem istam *realem* fuisse eamque quâ primus homo rationem et necessitatem adjutorii sibi similis deprehenderet, ejusque formationem ambiret, docet, uti jam vidimus, ipse textus et contextus, docent Interpretes omnes.

vocaret: manifestum autem est non fuisse opus Adamo visione corporali animalium ad ponenda eis nomina. Talis enim visio nihil ad impositionem nominum conferre poterat: sed opus fuisse visione intellectuali, sine qua talis nominum impositio rectè fieri non poterat. Non igitur corporaliter sed intellectualiter animalia esse ad Adamum adducta intelligere oportet. »

« Verumtamen, *hoc tam levi argumento à tam recepta probataque Patrum et Theologorum sententia discedere voluisse, nimis profecto* puerile *fuit, et tanto Cajetani ingenio planè indignum.* Namque illud, *ut videret quid vocaret ea*, referri potest ad ipsum Deum, ut de Deo dictum sit phrasi hebraica non infrequenti sacris litteris, ut manifestum est legenti Genes. I, et XI, et Exod. III, aliaque nonnulla Scripturæ loca, hic brevitatis studio prætermissa. Potest etiam referri ad Adamum, et intelligi tàm de visione intellectuali quàm corporali: hæc enim excitabat et determinabat generalem scientiam animalium, quæ erat in intellectu Adami, ad singulas animalium species quarum cernebat individua, propriè ac distinctè contemplandas, et aspectus illorum animalium summa voluptate Adami animum perfundebat, quæ per scientiam infusam ratione ipsa percepta et cognita habebat, eadem sensibus experientiaque recognoscentis. »

G. V. D. P.

Quelques considérations

sur la base philosophique du socialisme scientifique contemporain.

(Suite — Voir ci-dessus, p. 435).

Bernstein commence par faire voir que la formule telle que Marx et Engels l'ont présentée dans leurs premiers écrits, perdit dans la suite peu à peu de son âpre rigidité; Engels surtout, contraint par la polémique (1), atténua encore davantage la signification et la force prépondérante du facteur économique.

« Sans doute, ajoute-t-il en substance (2), il serait injuste de prétendre que Marx et Engels aient jamais omis de prêter leur attention aux facteurs non économiques. Mais il s'agit ici d'une question de mesure (Massverhältniss); il s'agit de savoir quelle part d'influence ils leur accordaient. A ce point de vue, il est indéniable qu'ils ont varié; qu'au début de leur carrière, ils accordaient à ces facteurs intellectuels beaucoup moins d'influence que dans leurs écrits postérieurs..... Celui qui applique aujourd'hui la théorie du matérialisme historique, a pour devoir de la prendre dans sa forme perfectionnée et non dans sa forme primitive. C'est-à-dire qu'il doit mettre pleinement en ligne de compte, à côté de l'évolution et de l'influence des forces productives et des rapports de production, des idées de droit et de morale, des traditions historiques et religieuses de chaque époque, des influences géographiques et autres influences naturelles parmi lesquelles il

(1) Bernstein *o. c.* p. 6 ss. — *Stimmen aus Maria-Laach,* 1899 Heft 6 p. 2 ss.

(2) *o. c.* p. 7 ss. Cfr F. Dechamps, *Revue Sociale Catholique,* Juin 1899 p. 241 ss.

faut compter l'homme lui-même et ses dispositions intellectuelles.

La nature humaine n'est point invariable ; elle s'adapte avec une grande facilité à des situations (Naturverhältnisse) nouvelles et à des milieux sociaux nouveaux. Mais là où il est question de masses aussi grandes que les nations modernes, avec des habitudes de vie issues d'une évolution séculaire, il faut d'autant moins s'attendre à voir de grands bouleversements de la propriété opérer une transformation rapide de la nature humaine, que les relations économiques ne forment qu'une partie du milieu social qui agit d'une manière déterminante sur le caractère humain. Ici encore il faut tenir compte de facteurs multiples..... Il n'est pas toujours aisé de montrer assez exactement les rapports qui existent entre ces divers facteurs, pour déterminer quelle est avec certitude, dans un cas donné, la force motrice la plus puissante. Les forces purement économiques ne fournissent d'abord qu'une base pour la réception d'idées plus précises. La façon dont celles-ci se font ensuite jour et se répandent, la forme qu'elles revêtent dépendent de l'action combinée d'une série d'influences.....

De ce que les hommes accordent une attention sans cesse croissante aux facteurs économiques, il peut facilement paraître que ces facteurs jouent un rôle plus important aujourd'hui qu'autrefois. Ce n'est pourtant pas le cas. L'illusion provient simplement de ce que le motif économique apparaît aujourd'hui dégagé, là où il était enveloppé autrefois dans des rapports de domination et dans toute espèce d'idéologies. La société moderne est beaucoup plus riche que les anciennes sociétés en idéologies non déterminées par l'économie ou par la nature agissant comme force économique. Les sciences, les arts, de nombreuses relations sociales, sont aujourd'hui beaucoup moins que jamais, dépendants de l'économie. Ou bien pour ne pas donner lieu à confusion,

l'état de développement économique actuellement atteint laisse aux facteurs idéologiques, surtout aux facteurs éthiques, une sphère plus grande d'action autonome qu'autrefois. En conséquence, le lien causal entre l'évolution économique et le développement des autres institutions sociales devient de plus en plus indirect, tandis que les nécessités naturelles de l'économie deviennent de moins en moins la norme constitutive de l'organisation sociale. »

Et déjà avant Bernstein, B. Malon, directeur de la *Revue Socialiste*, a voulu « corriger et relever le matérialisme par trop terre à terre des disciples de Karl Marx ». Comme il l'écrit dans un style sonore: « Il y a toujours plusieurs issues possibles dans une situation donnée, et pour que le chariot, lourdement traîné par les événements, qui porte l'arche sainte du bonheur universel, soit toujours tiré vers les Chanaans des civilisations plus humaines et plus hautes, il faut la projection lumineuse des pensées puissantes qui éclairent la route et fouillent l'avenir, et les constantes poussées des dévouements individuels et collectifs qu'impulse le concept idéaliste du sacrifice de soi, pour le bien commun.

D'où nous concluons à notre tour que l'évolution n'est pas aussi simpliste que le veulent les marxistes, et que ses facteurs sont non seulement économiques, mais encore religieux, philosophiques politiques, sentimentaux, esthétiques,... que toutes ces forces propulsives agissent les unes sur les autres, se heurtent ou se combinent, se croisent ou se parallélisent, pour déterminer la nature et le mouvement des civilisations. » (1)

5° En réalité, le développement des sociétés et le cours de l'histoire sont le résultat d'un nombre considérable de facteurs.

Le milieu physique par exemple, bien que facteur matériel, est un élément qui influe sur le caractère des

(1) *Précis de Socialisme* p. 142 s.

peuples et sur ses destinées sociales politiques et économiques (1). Ainsi, qui niera l'influence de la position géographique, du climat, des moyens de communication, du groupement de la population et de quantité d'autres facteurs physiques sur la vie intellectuelle, sociale, économique et artistique des nations? Encore cette influence physique ne s'impose-t-elle pas sous forme d'une force aveugle: la civilisation et l'esprit d'entreprise triomphent dans une certaine mesure de ces influences physiques, et parviennent à les dominer en partie. Les Pyrénées et les Alpes étaient une barrière naturelle infranchissable avant l'expédition audacieuse d'Annibal: le génie moderne a complètement vaincu ces obstacles. La construction rapide d'innombrables voies ferrées fut la principale cause du développement prodigieux de la richesse et de la population aux États-Unis.

Cependant, s'il est un domaine dont il faut bannir la nécessité historique et la fatalité du facteur économique, c'est le domaine religieux et celui de l'idéologie en général. La science, — nous entendons non seulement la science catholique et spiritualiste, mais toute science qui voit dans la pensée humaine, dans le sentiment et l'acte du vouloir autre chose que des reflets mécaniques et matériels du monde extérieur — se montre de plus en plus sévère à l'endroit du matérialisme historique. Elle nie que la religion et la superstructure idéologique de la société soit le *produit* des conditions sociales économiques, que le facteur économique soit le facteur prépondérant dans le mouvement historique. (2)

Le facteur économique se meut au milieu d'autres facteurs sociaux, intellectuels et moraux, capables de lui susciter des obstacles, d'accélérer ou de ralentir sa

---

(1) Cfr. Bernheim, *Lehrbuch der historischen Methode*, Leipzig 1894, p. 495 ss.

(2) Cfr. Hitze *o. c.* p. 263 citer.

marche, assez puissants pour le mener dans une voie nouvelle. Ainsi, quelle prodigieuse influence les formes politiques, la législation douanière, commerciale et ouvrière ne peuvent elle pas produire dans le domaine économique ? Quelle n'est pas l'action des mobiles intellectuels et moraux sur les masses, et l'esprit de solidarité qui les ébranle?

6° Car, pour atteindre les causes de la solidarité sociale et partant de l'évolution historique, il faut abandonner d'abord les formes abstraites (économie, droit, institutions etc.), et remonter aux seuls êtres qui puissent produire l'évolution, c'est-à-dire aux hommes individuels pensants et agissants.

Or, quels sont les mobiles qui influent sur la pensée et la volonté humaines, et conséquemment sur la conduite des individus? Ne sont-ce pas surtout les facteurs intellectuels et moraux : les systèmes politiques et philosophiques, les principes du droit et de la morale, les institutions sociales et religieuses?

La saine philosophie et l'observation impartiale des faits nous commandent de faire très-large la part d'influence des facteurs intellectuels, moraux et de la civilisation en général, sans qu'il faille pour cela rejeter l'action réciproque des conditions économiques sur les mobiles intellectuels et moraux.

Ainsi, l'histoire prouve clairement que l'idée religieuse est un puissant facteur social, et il faut fermer les yeux à l'évidence pour contester l'énorme influence que la religion chrétienne a exercée dans tout le cours de son histoire sur les institutions sociales et politiques des peuples. Aucun historien impartial ne s'avisera de nier le rôle humanitaire et glorieux de la religion chrétienne dans l'abolition graduelle de l'esclavage, son influence bienfaisante sur la société féodale et sur les anciennes corporations : autant de conditions économiques énumérées dans le Manifeste communiste. Ce rôle n'est pas moins important de nos jours, et, pour ne

citer que ce seul exemple, il n'y a pas que les catholiques qui admettent la grande portée de l'encyclique *Rerum novarum* dans le monde économique et social. Les mœurs, les institutions juridiques, les arts eux-mêmes subissent à leur tour l'action pénétrante des idées religieuses. Et parce que les conditions sociales et économiques peuvent réagir à leur tour sur les formes accidentelles et les nuances particulières de ces facteurs idéologiques importants, on n'est pas autorisé à conclure que leur caractère dominant s'en trouve altéré. Il ne saltère « pas plus que les mathématiques ne se modifient d'après la diversité des corps dont elles calculent les quantités et les dimensions » (1). Le christianisme a été fondé sur les ruines de l'antique civilisation ; il s'est développé durant la période de l'esclavage et l'ère des invasions barbares ; il a traversé toute la période féodale et « l'ère de la bourgeoisie » (2), passant ainsi à travers une série de révolutions dans les modes de production sans cesser de rester identique à lui-même. (3)

Cependant, si nous proclamons l'influence de la race et de l'élément ethnique, c'est-à-dire du milieu religieux intellectuel et social, nous devons bien nous garder de considérer les sociétés humaines comme le produit naturel et nécessaire de ces facteurs. Les sociétés sont des collections d'individus : elles se meuvent et agissent par les actions individuelles combinées. Il nous faut donc toujours, pour expliquer les mouvements sociaux, remonter aux agents sociaux réels et concrets, aux individus, parce que c'est là que nous trouvons réunies et les diverses influences et l'activité qui ébranlent les

---

(1) Hitze *o. c.* p. 264.

(2) *Manifeste* p. 7.

(3) M. le professeur G. Kurth, dans son savant ouvrage : *l'Église aux tournants de l'histoire*, montre clairement comment la religion catholique plane au-dessus des formes politiques, géographiques et économiques des sociétés.

masses, activité consciente et libre, capable de conduire les peuples et de les dominer. L'histoire est là pour nous montrer l'influence prodigieuse exercée dans les divers domaines par les réformateurs religieux, les génies artistiques et littéraires, et surtout les poussées formidables imprimées aux évènements historiques par les génies politiques et les grands conquérants. On se trouve donc toujours ramené dans les sciences sociales et politiques en présence de l'homme individuel, intelligent et libre, doué d'une force interne présidant aux actes extérieurs, nature complexe et apportant dans ses actions un coefficient d'imprévu.

***

Ces remarques critiques, si incomplètes qu'elles soient, suffisent pour montrer la fausseté des principes philosophiques dont s'inspire le socialisme scientifique contemporain.

Tout l'édifice du marxisme, si laborieusement construit au moyen de la dialectique hégélienne, croule par la base, le matérialisme historique. Des théoriciens socialistes notoires eux-mêmes ont déjà reconnu que le fondement doctrinal chancelle, et l'on se demande à bon droit si le socialisme scientifique n'est pas à la veille de rejeter définitivement l'utopie révolutionnaire, pour entrer dans la voie des réformes pratiques et réalisables.

Quoi qu'il en soit, la théorie du matérialisme historique est scientifiquement intenable. Elle ne parait pas seulement immorale et fausse à la lumière des doctrines révélées, et même des saines doctrines rationnelles psychologiques : la simple observation des faits suffit à faire voir l'étroit exclusivisme de la conception marxiste et les principaux vices de sa méthode.

A. C.

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Octobre — Visite et entretien des bâtiments

Les conseils de fabrique doivent se réunir en séance ordinaire le dimanche, 7 Octobre prochain. L'avertissement de la séance doit être publié, le dimanche 30 Septembre, au prône de la grand'messe. Art. 10 du décret du 30 Décembre 1809.

Le conseil doit, avant toute autre délibération, pourvoir au remplacement des membres décédés ou sortis par suite de démission, de changement de domicile ou autre cause. Art. 6 de l'arr. roy. du Mars 1849.

Nous rappelons aux marguilliers, et spécialement au trésorier, les recommandations que nous avons précédemment faites au sujet de l'obligation qui leur incombe de visiter, au commencement de l'automne, les bâtiments affectés au service du culte, et de veiller à ce que toutes les réparations nécessaires soient bien et promptement faites (art. 41 du décret). Cf. *Collationes*, T. I, p. 130; T. II, p. 92; et T. IV, p. 483.

C. V. C.

Législation civile ecclésiastique

Loi du 24 Avril 1900 relative aux traitements des ministres du culte catholique et aux pensions civiles et ecclésiastiques.

(Suite — voir ci-dessus, p. 449).

II

TEXTE DE LA LOI ACCOMPAGNÉ DE NOTES EXPLICATIVES.

LÉOPOLD II, ROI DES BELGES,
A tous présents et à venir, SALUT.

Les Chambres ont adopté et Nous sanctionnons ce qui suit :

ARTICLE Ier.

Les traitements des membres du clergé du culte catholique, payés par l'Etat, sont fixés ainsi qu'il suit :

CLERGÉ SUPÉRIEUR.

Archevêque	fr.	21.000
Evêques	»	10.000
Secrétaires d'archevêché	»	3.500
Secrétaires d'évêché	»	1.000
Vicaires généraux d'archevêché	»	4.500
Vicaires généraux d'évêché	»	4.000
Chanoines de l'archevêché	»	2.400

		TRAITEMENTS	
		Inférieurs.	Supérieurs.
Chanoines d'évêché	fr.	2.000	2.400

CLERGÉ INFÉRIEUR.

Curés de 1re classe	fr.	2,100

		TRAITEMENTS		
		Inférieurs.	Moyens.	Supérieurs.
Curés de 2de classe	fr.	1,400	1,600	1,800
Desservants	»	1,000	1,200	1,400
Chapelains et vicaires	»	800	900	1,000

L'article 1er fixe le **montant** des divers traitements, payés par l'Etat, aux ministres du culte catholique.

Afin de permettre au lecteur de juger des changements introduits, nous donnons ci-après l'échelle des traitements, telle qu'elle était fixée avant la nouvelle loi :

CLERGÉ SUPÉRIEUR.

Archevêque	fr.	21,000
Evêques	»	16,000
Vicaires généraux d'archevêché	»	3,600
Vicaires généraux d'évêché	»	3,200
Chanoines d'archevêché	»	2,400
Chanoines d'évêché	»	2,000 (1)

CLERGÉ INFÉRIEUR.

Curés de 1re classe	»	2047,50

		TRAITEMENTS		
		Inférieurs. (jusqu'à 60 ans)	Moyens. (de 60 à 70 ans)	Supérieurs. (depuis 70 ans)
Curés de 2de classe	fr.	1,365	1,500	1,600
Desservants	»	950	1,100	1,200
Vicaires (et chapelains)	»	600	700	800

Il appert de la comparaison des taux actuels avec les taux anciens que la position du *clergé supérieur* n'a pas été modifiée, sauf pour les vicaires généraux de l'Archevêque et des Évêques, dont les traitements ont été augmentés respectivement de 900 et 800 francs, et pour les chanoines d'évêché, auxquels il est attribué un traitement maximum.

Un changement a été introduit également dans la situation des secrétaires d'archevêché et d'évêché.

(1) Les chanoines de Namur jouissaient d'un traitement de 2400 francs (arr. roy. du 15 Décembre 1876).

Actuellement, le taux de leur traitement est fixé par *la loi* (1); antérieurement l'Etat attribuait une somme globale *pour frais de tournée et de secrétariat* (2). En fait, une partie de cette somme servait au payement d'un ou de plusieurs secrétaires; et, pour plusieurs diocèses au moins, la rétribution affectée par l'Evêque à ce service était portée au nom des titulaires sur l'état collectif ordonnançant le payement des traitements du clergé supérieur. (3)

En ce qui concerne le *clergé inférieur*, le chiffre du traitement initial a été arrondi plutôt que majoré, excepté pour les chapelains et les vicaires, qui reçoivent 200 fr. en plus, soit une augmentation d'un tiers.

Mais la situation du clergé inférieur a été notablement améliorée par le relèvement des traitements moyens et supérieurs; et, surtout, par la modification apportée aux conditions exigées pour l'obtention de ces traitements.

Ces conditions sont réglées par l'article 2.

ARTICLE II.

Les traitements moyens sont accordés:

1° Aux vicaires et aux chapelains, lorsqu'ils ont rendu, dans le ministère paroissial, des services rétribués par le trésor public pendant dix ans au moins, ou lorsqu'ils ont 35 années d'âge et qu'ils ont rendu les dits services pendant cinq ans au moins;

2° Aux desservants et aux curés de 2de classe, lorsqu'ils ont rendu, dans le ministère paroissial, des services rétribués par le trésor public pendant vingt ans au moins, ou lorsqu'ils

(1) Nous nous permettons d'observer en passant que le traitement des secrétaires d'évêché est dérisoire, et peu proportionné avec celui des secrétaires d'archevêché, qui est encore minime.

(2) 4600 fr. pour l'Archevêque, et 4200 fr. pour chaque Evêque.

(3) A Bruges notamment, lorqu'un nouveau secrétaire était nommé, l'Evêque informait le ministre de la nomination ainsi que du traitement alloué au titulaire. Sur l'état trimestriel des traitements du clergé supérieur, le gouvernement inscrivait la somme fixée par l'Evêque comme *traitement du secrétaire* et en ordonnançait le payement en faveur du titulaire.

ont 50 années d'âge ; dans les deux cas, ils devront avoir joui, pendant cinq ans au moins, du traitement inférieur attribué à leur qualité de desservant ou de curé de 2de classe.

Les traitements supérieurs sont accordés :

1° Aux vicaires, chapelains, desservants et curés de 2de classe, lorsqu'ils ont rendu, dans le ministère paroissial, des services rétribués par le trésor public pendant trente ans au moins, ou lorsqu'ils ont 60 années d'âge ; dans les deux cas, ils devront avoir joui, pendant cinq ans au moins, du traitement moyen attribué à leur qualité de vicaire, de chapelain, de desservant ou de curé ;

2° Aux chanoines d'évêché, lorsqu'ils ont 50 années d'âge et qu'ils ont rendu, en qualité de chanoine, pendant cinq ans au moins, des services rétribués par le trésor public.

L'arrêté royal du 28 Mai 1863 avait pris pour *base unique* de la progression des traitements *l'âge* des titulaires ; et il avait fixé à une *limite extrême* l'accès au traitement moyen et au traitement supérieur. Dire que l'on n'atteindrait le traitement moyen qu'à 60 ans et le traitement supérieur qu'à 70 ans, c'était déclarer que la grande masse des titulaires ne pourrait y aspirer, c'était réserver à un tout petit nombre les bénéfices de la loi.

La présente loi prend pour base de la progression des traitements tout à la fois *la durée des services* paroissiaux et *l'âge des titulaires ;* et elle fixe des *conditions* d'âge et de service qui rendent les traitements moyens et supérieurs *accessibles à un plus grand nombre* de bénéficiaires. (1)

---

(1) Plusieurs orateurs, notamment MM. Helleputte, Woeste et Loslever, à la Chambre (*Ann. parl.*, pp. 815, 817, et 819), et Mgr Keesen, au Sénat, (*Ann. parl.*, p. 417), ont fait observer, non sans raison, nous semble-t-il, que les époques fixées pour l'obtention du traitement moyen, et surtout du traitement supérieur, sont trop éloignées et rendront souvent la loi inopérante, principalement pour ce qui concerne les vicaires. Mais le gouvernement n'a pas voulu rapprocher, même d'une manière modérée, les délais requis pour avoir droit aux augmentations.

Ces conditions sont :

I. Pour obtenir le traitement MOYEN,

A. Les **vicaires** et **chapelains** doivent

ou bien avoir rendu, pendant 10 ans au moins, dans le ministère *paroissial*, des *services rétribués* par le trésor public ;

ou bien a/ être âgés de 35 ans et b/ avoir rendu les dits services pendant 5 ans au moins.

B. Les **desservants** et **curés de 2de classe** doivent

a/ avoir rendu, pendant 20 ans au moins, des services paroissiaux rétribués par l'Etat *ou bien* avoir 50 années d'âge ;

b/ avoir joui, pendant 5 ans au moins, du traitement inférieur attribué à leur qualité respective de desservant ou de curé de 2de classe.

II. Pour avoir droit au traitement SUPÉRIEUR,

A. Les **vicaires, chapelains, desservants,** et **curés de 2de classe** doivent

a/ avoir rendu des services paroissiaux rétribués pendant 30 ans au moins *ou bien* être âgés de 60 ans ;

b/ avoir joui, pendant 5 ans au moins, du traitement moyen attribué à leur qualité respective.

B. Les **chanoines d'évêché** doivent

a/ avoir 50 années d'âge ;

b/ avoir rendu, en qualité de *chanoine*, pendant 5 ans au moins, des services rétribués par le trésor public.

Le texte de l'article 2 suscite quelques difficultés d'interprétation, et donne lieu à plusieurs questions qui ne sont pas sans importance pratique.

D'abord, quelle est la signification des mots « lorsqu'ils ont rendu, dans le ministère *paroissial*, des *services rétribués* par le trésor public » ?

Par cette clause le législateur écarte, d'une part, les services, même rétribués, qui n'ont pas pour objet *le ministère paroissial*, comme sont, par exemple, les services rendus par les aumôniers militaires, les secrétaires

d'évêché, les professeurs de religion dans les établissements d'instruction de l'Etat, etc.; et, d'autre part, les services rendus dans le ministère paroissial, mais qui ne sont *pas du tout rétribués*, ou bien qui ne le sont *pas par le trésor public*, comme sont les services rendus par les coadjuteurs et les vicaires auxiliaires qui, ou bien ne reçoivent aucune gratification, ou bien reçoivent uniquement un subside de la fabrique d'église ou de la commune. Ces services ne comptent pas pour l'obtention des augmentations prévues par l'article 2. (1)

Mais, que faut-il penser des services rendus, dans le ministère paroissial, par un certain nombre de *coadjuteurs*, et de *vicaires non reconnus*, qui, sans toucher un traitement proprement dit, reçoivent cependant une *indemnité* du gouvernement?

La *Revue catholique de droit* (T. III, p. 71) estime que les services paroissiaux rendus dans ces conditions ne doivent pas être considérés comme des « services rétribués par le trésor public », et qu'ils ne peuvent, dès lors, entrer en ligne de compte pour l'obtention des traitements moyens et supérieurs. Le motif, c'est « que ces indemnités, accordées plutôt à titre de secours, ne constituent pas une rétribution des services au sens de la loi ».

Malgré la généralité des termes de la loi, qui semble favorable à l'interprétation contraire (« *lorsqu'ils ont rendu, dans le ministère paroissial, des services rétribués par le trésor public* »), nous croyons aussi que les services dont il s'agit ne pourraient être portés en ligne de compte; parce que, d'après nous, l'expression « *services rétribués* » ne comprend pas, dans la pensée du législateur, les services paroissiaux *non reconnus*, rétribués *de fait* par le gouvernement, mais doit s'entendre des fonctions paroissiales afférentes à un titre *officiellement reconnu*, et, comme telles, *légalement* rétribuées, de

(1) Il en est autrement, comme nous verrons, lorsqu'il s'agit des *pensions*.

manière que le titulaire ait un véritable *droit* à la rémunération que l'Etat lui alloue. Tels sont les services rendus par les curés, les desservants, les chapelains et les vicaires qui jouissent d'un traitement sur le trésor. Tels sont encore, pensons-nous, les services rendus par les ecclésiastiques qui remplissent, à titre provisoire, les fonctions de curé, de desservant ou de chapelain, et qui touchent de ce chef le *traitement* attaché à la place vacante (art. 4). Ces ecclésiastiques, il est vrai, ne touchent ce traitement qu'à titre provisoire et sans être véritablement titulaires de la place qu'ils desservent; mais ils n'en exercent pas moins une fonction reconnue par le gouvernement, et rétribuée en vertu de la loi. Or, que faut-il de plus pour avoir des « *services rétribués* » au sens de la loi ?

Une autre difficulté a été soulevée, au cours de la discussion de la loi, au sujet de la portée des mots: « ils devront avoir joui, pendant cinq ans au moins, du *traitement inférieur* attribué à leur qualité ».

Comme les traitements inférieurs du barême nouveau diffèrent des traitements inférieurs du barême ancien, on s'est demandé s'il fallait avoir joui d'un traitement inférieur suivant le barême nouveau ou s'il suffisait d'avoir joui d'un traitement inférieur suivant le barême ancien.

Le ministre de la justice a précisé le sens de l'article 2 en ce qui concerne ce point. « Il est clair, a-t-il dit, que, dans l'interprétation du gouvernement, il suffit que les desservants (et les curés de 2de classe) aient joui du traitement inférieur attribué à leur qualité par le barême actuel (ancien)... Ce que le gouvernement a eu en vue, c'est que ces ecclésiastiques aient été soumis pendant cinq années à la catégorie des traitements, considérée comme inférieure, « *sans distinction entre les tarifs* » (Ch. des Repr., *Ann. parl.*, p. 861). En conséquence, « les desservants et curés qui ont reçu, comme tels, un

traitement depuis cinq ans, jouiront immédiatement du traitement moyen, s'ils réunissent les autres conditions d'âge ou d'années de services » (Rapport au Sénat, *Doc. parl.*, p. 102).

La même difficulté a été soulevée concernant l'attribution du traitement supérieur à ceux qui auront, pendant cinq ans au moins, joui du *traitement moyen* attribué à leur qualité.

L'honorable ministre a déclaré que la pensée du gouvernement fut de prime abord d'assimiler à ceux qui pendant cinq ans au moins ont *réellement joui* du traitement moyen fixé par la loi nouvelle, « ceux qui, si la loi avait été appliquée, *se seraient trouvés*, depuis cinq ans au moins, dans les conditions voulues pour jouir du traitement moyen attribué à leur qualité » (*Ann. parl.*, l. c.). Cependant, afin d'éviter toute discussion ultérieure, le ministre a proposé d'ajouter à la loi une disposition transitoire ayant pour but de mieux mettre en relief le véritable sens de l'article 2. Cette disposition figure à la tête des *Dispositions transitoires*, et fait l'objet de l'article 7 de la présente loi.

Une dernière question se présente ici à notre examen.

Aux termes de l'article 2, les desservants et les curés de 2de classe, remplissant d'ailleurs les autres conditions prescrites, ne peuvent arriver au traitement moyen que lorsqu'ils ont joui, pendant cinq ans au moins, du traitement inférieur « *attribué à leur qualité* » respective de desservant *ou* de curé de 2de classe ; et ils ne peuvent s'élever du traitement moyen au traitement supérieur qu'après avoir touché, pendant cinq autres années, le traitement afférent à leur place. Ainsi, un vicaire nommé desservant, ou un desservant promu à une cure de 2de classe, quel que soit leur âge ou leur état de services, n'obtiendront le traitement moyen des desservants ou des curés de 2de classe qu'après avoir exercé, pendant cinq ans au moins, les fonctions respectives de

desservant ou de curé de 2de classe ; et ils ne jouiront du traitement supérieur qu'après avoir exercé ces mêmes fonctions pendant un nouveau terme de cinq ans. Mais, supposons, comme il peut arriver, qu'un curé de 2de classe soit transféré, comme doyen, à une église succursale. Devra-t-il aussi, pour obtenir le traitement moyen, et passer ensuite au traitement supérieur alloué aux desservants, avoir joui, pendant 5 ans au moins, du traitement inférieur, et pendant 5 autres années, du traitement moyen attribué à cette qualité? Ou bien, pourra-t-il faire valoir les années pendant lesquelles il a touché le traitement inférieur ou moyen afférent à la qualité de curé de 2de classe? A s'en tenir à *la lettre* de l'article 2, le desservant en cause n'aurait droit au traitement moyen ou supérieur attribué à ses nouvelles fonctions qu'après les avoir exercées pendant 5 ou 10 ans au moins; mais, si l'on considère le *contexte* (art. 7 et 8) et *l'esprit* de la loi, la question semble devoir, conformément à l'intention du législateur, recevoir une solution moins préjudiciable à l'intéressé; et nous pensons que, le cas échéant, le gouvernement tiendrait compte des années pendant lesquelles l'ecclésiastique en question a joui du traitement inférieur ou moyen attribué à la qualité de curé de 2de classe, attendu que ces traitements sont plus élevés que ceux afférents à la qualité de desservant. Le même principe devrait être appliqué, nous semble-t-il, lorsqu'un curé de 1re classe passe, comme doyen, à une cure de 2de classe.

(A suivre).

C. V. C.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — legs à charge d'un anniversaire, qui devra être annoncé à la chapelle d'un couvent — clause illégale

—

Deux personnes avaient légué chacune à la fabrique de l'église de Jupille une parcelle de terre, à charge par la dite fabrique, avec les revenus de cette terre, de faire célébrer à perpétuité, en l'église de Jupille, une messe anniversaire pour le repos des âmes de leur famille.

« Cette messe, aux termes de chacun des testaments, devra être annoncée chaque année, le dimanche avant sa célébration, à la première et à la seconde messe de la dite église, de même *qu'à la chapelle du couvent* à la messe qui y est célébrée le même jour ».

Un arrêté royal, en date du 30 Janvier 1900 (*Moniteur* p. 511 ss.), conforme à un autre arrêté, donné en la même cause le 7 Novembre 1895 (*Moniteur*, p. 4405), dispose comme suit:

« En ce qui concerne la clause aux termes de laquelle l'anniversaire fondé par chacun des deux testateurs doit être annoncé, le dimanche avant la célébration, à la messe qui est dite à l'église du couvent de Jupille;

« Considérant que cette clause serait illégale si elle comportait, pour l'administration fabricienne légataire, l'obligation de payer annuellement et à perpétuité des honoraires au prêtre qui dessert l'église du dit couvent; »

La fabrique de l'église de Jupille est autorisée à accepter les legs qui lui sont faits, aux conditions imposées, *en tant qu'elles ne sont pas contraires à la loi.*

Observations.

Il résulte des arrêtés royaux susmentionnés, que le gouvernement considère comme illégale la clause ordonnant à la fabrique de l'église légataire de faire

annoncer les services religieux fondés à la messe qui est dite *dans la chapelle d'un couvent*, en tant que cette clause comporte, pour l'établissement institué, *l'obligation de payer*, annuellement et *perpétuellement*, des *honoraires* au *prêtre qui dessert* la dite chapelle.

Nous avouons ne pas bien saisir la juste portée de cette décision. En quoi consiste précisément l'illégalité de cette clause? La clause est-elle illégale, parce qu'elle comporte l'obligation *de payer des honoraires*, en ce sens qu'elle serait légale si l'annonce des services se faisait gratuitement? Evidemment non. De quel chef, en effet, les particuliers pourraient-ils, par l'entremise de la fabrique d'une église paroissiale, imposer cette charge au prêtre qui dessert la chapelle d'un couvent? — L'illégalité résulte-t-elle peut-être de la *perpétuité* de la charge, en tant qu'elle aurait pour résultat de donner un caractère perpétuel à un oratoire qui n'est ni une chapelle dans le sens légal du mot, ni une annexe? Nous avons vu, en effet, que le gouvernement considère (à tort, croyons-nous) comme une condition illégale la charge *d'entretenir à perpétuité* une chapelle de ce genre (1). Mais, dans l'espèce qui nous occupe, la pérennité de l'obligation imposée n'aura aucunement pour résultat de donner un caractère perpétuel à l'oratoire en question: le maintien de la charge est plutôt subordonné à la conservation de l'oratoire ou de la messe qui y est dite. — Nous pensons donc que le

(1) Voir les *Collationes*, T. III, p. 595. Observons en passant que la jurisprudence du gouvernement a, sur ce point, comme sur tant d'autres, subi des variations (cf. Lentz, *Des dons et legs*, T. II, p. 372, p. 409 et p. 413). Des arrêtés royaux, en date du 11 Août 1871, du 24 Novembre 1875, et du 16 Décembre 1877 ont autorisé des fabriques à se charger de l'entretien perpétuel de chapelles. C'est M. Bara qui le premier a découvert l'illégalité de cette clause (voir arr. roy. du 9 Janvier 1881); et, depuis lors, le système inauguré par lui a continué d'être appliqué. Voir par exemple les arr. roy. du 25 Sept. 1896 (*Rev. cath. de droit*, T. II, p. 84, et *Monit.*, p. 4161), du 15 Août 1898, (*Monit.*, p. 3612), et du 29 Août 1899 (*Monit.*, p. 3597).

véritable motif pour lequel le gouvernement considère la dite clause comme illégale, c'est qu'elle ordonne d'annoncer les services fondés *dans un oratoire non reconnu*, et comporte l'obligation de payer des honoraires à un prêtre *étranger au service paroissial*. En effet, d'après la jurisprudence administrative en vigueur, les charges pieuses qui grèvent les libéralités faites au profit des fabriques d'église, ne peuvent être exonérées que dans les églises *paroissiales* ou autres, pourvues de l'existence civile (1); et ce par des ministres du culte *attachés au service de ces églises* (2).

Cependant, cette jurisprudence, restrictive de la liberté naturelle des fondateurs, ne saurait se justifier. Il n'existe aucun texte de loi consacrant, en faveur des églises paroissiales et du clergé paroissial, un droit exclusif à l'exonération des services religieux grevant les libéralités faites aux fabriques. Bien que le décret du 30 Décembre suppose que les fondations de messes seront exonérées dans l'église paroissiale, il ne l'exige cependant par aucune disposition expresse; et il permet, d'autre part, de faire acquitter les annuels par des ecclésiastiques qui ne font pas partie du clergé de la paroisse (art. 31).

En conséquence, la Cour d'appel de Bruxelles a

---

(1) Circ. Minist. du 17 Juillet 1884 et du 15 Mai 1885; arr. roy. du 15 Mai 1897 (*Monit.*, p. 2014), du 24 Novembre 1897 (*Monit.*, p. 5101), du 20 Juin 1900 (*Monit.*, p. 2867), etc. — Voir cependant en sens contraire un arrêté royal du 30 Septembre 1896, rapporté dans les *Collationes*, T. II, p. 411.

(2) Un arrêté royal en date du 2 Août 1898 (*Monit.*, p. 3404), dispose « que les fondateurs ne peuvent valablement désigner, pour l'exonération des services religieux qu'ils instituent, que les ministres du culte appartenant au clergé de l'église paroissiale dans laquelle ces services religieux doivent être célébrés »; que, dès lors, la clause désignant, pour l'exonération, un professeur ou principal de collège, doit être réputée non écrite, conformément à l'article 900 du Code civil. Cf. Orban, *Droit administratif notarial*, p. 420; *Pandectes belges*, V° Fabrique d'église, n. 1288 ss.

Il n'est pas requis toutefois que le prêtre désigné soit salarié par l'Etat. Arr. roy. du 7 Novembre 1899 (*Monit.*, p. 4773).

jugé (1) que, lorsqu'il sera impossible d'exonérer les services religieux dans l'église paroissiale où ils ont été fondés, ils pourront l'être, avec le consentement de l'autorité ecclésiastique supérieure, dans *toute autre église* (2), moyennant l'exercice, par les marguilliers de l'église instituée, du contrôle prévu par l'article 26 du décret de 1809; ce qui implique, à fortiori, pour les fondateurs, le droit de désigner eux-mêmes, pour l'exonération des services fondés, n'importe quelle église, même non reconnue. Cf. *Collationes*, T. III, p. 118.

Nous pensons donc que les fondateurs peuvent, sous réserve de l'approbation épiscopale, valablement stipuler que les charges pieuses, qui grèvent les libéralités par eux faites aux fabriques, seront exonérées dans une chapelle de couvent; et qu'ils peuvent désigner, pour l'exonération, des ecclésiastiques étrangers au service paroissial. Cf. *Het Vlaamsch Bestuur*, VIII, bl. 182 vg.

C. V. C.

Consultatio

Quæritur utrum monialibus, quibus confessio *hebdomadaria* vi regulæ *præscribitur,* una ex illis confessionibus consuetis suffragari valeat ad lucrandum jubilæum, an vero necessaria sit confessio specialis?

Respondetur confessionem hanc hebdomadalem non esse insufficientem ex eo quod est *præscripta:* regula

(1) Arrêt du 7 Juin 1881 (*Pasic.*, II, p. 271).

(2) La Cour, qu'on veuille bien le remarquer, n'exige aucunement que les messes soient célébrées dans une autre église *paroissiale;* et nous nous étonnons que le gouvernement ait pu, en se fondant sur l'arrêt de Bruxelles, prescrire cette condition. D'ailleurs, le contrôle prévu par l'article 26 du décret de 1809, peut également bien s'exercer par les marguilliers de l'église instituée, lorsque les messes sont dites dans une église non reconnue; il suffit pour cela de la déclaration du curé de l'église instituée attestant qu'elles ont été réellement célébrées.

enim monialium non est vera lex nec dicenda est reddere opus injunctum absolute obligatorium.

Quatenus autem est *hebdomadaria*, ea confessio, qua quis intendit lucrari jubilæum, non potest simul suffragari ad acquirendas alias indulgentias infra hebdomadam occurrentes, ut patet ex decr. 9 Dec. 1763 et 12 Mart. 1855 (*Dec. Auth.* nn. 231 et 364). Animadverti tamen potest privilegium quo quidam fideles « omnes et quascumque indulgentias consequi possunt, etiam sine actuali confessione, quæ ceteroquin... ad eas lucrandas necessaria esset », concedi iis fidelibus qui « semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, *consueverunt* » (*Dec. Anth.* n. 231). Jamvero omissio vel defectus unius confessionis in protracto hebdomadarum decursu non aufert aut disrumpit *consuetudinem:* ergo nec privilegium destruit.

Qui igitur semel saltem in hebdomada confiteri *assolet*, et unam ex illis consuetis confessionibus instituit in ordine ad jubilæum lucrandum, certe non vi hujus confessionis, sed, ut nobis videtur, *vi consuetudinis suæ* sibi comparare valet omnes alias indulgentias in hebdomada occurrentes.

C. C.

DE BOEREN; Wat er voor en door de boeren kan gedaan worden, door Advokaat E. VLIEBERGH, (*V. Delille,* Maldeghem 1900, 143 pp. in 12°; prix 1,50 fr.). (1)

L'auteur, Avocat-Conseil du *Boerenbond* belge à Louvain, et si favorablement connu par ses publications

(1) M. Vliebergh a excellemment résumé les idées maîtresses de son livre dans un manuel, composé à la demande du département de l'agriculture, pour les élèves des écoles ménagères, et dont voici le titre: *Eenige begrippen van landhuishoudkunde.* (V. Delille, Maldeghem 1900, 58 pp. gr. in 8°).

concernant l'économie sociale agricole, n'adresse pas le présent volume aux économistes, (p. 5 et 131). Il s'est tout simplement proposé d'initier nos populations agricoles aux notions les plus élémentaires et les plus usuelles de l'économie rurale, et de leur exposer les avantages multiples et considérables que l'agriculteur peut retirer des unions professionnelles ainsi que des nombreuses œuvres de coopération, d'assurance et de prévoyance créées en vue de relever la condition économique des classes rurales.

L'auteur préconise d'abord les remèdes qui sont de la compétence des pouvoirs publics et traite de la législation économique, douanière et fiscale dans ses rapports avec la question agraire (1re Section). Ensuite il fait appel à l'initiative privée des cultivateurs, et, en quelques pages bien pensées, les engage à introduire dans la pratique de leur industrie les progrès techniques qui s'imposent dans les circonstances actuelles (IIe Section). Enfin et surtout il expose longuement le moyen le plus efficace de relèvement matériel que les classes agricoles ont à leur disposition, l'association sous toutes ses formes (IIIe Section).

Ce petit traité d'économie rurale se caractérise par une grande clarté de méthode et d'exposition, et par une chaleur communicative qu'ont inspirée à l'auteur et ses relations continuelles avec nos bonnes populations agricoles, et le dévouement aussi intelligent que zélé qu'il ne cesse de leur témoigner.

Aussi recommandons-nous très instamment la lecture et la diffusion de cet excellent travail.

A. C.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

I

Quo sensu *omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, et non potest peccare,* uti legitur I Jo. III, 9; V, 18?

II

Præmissa notione *satisfactionis,* explica quomodo potuerit Christus toti Trinitati, adeoque et sibi ipsi quatenus Deus erat, exhibere satisfactionem.

III

An, quandonam et quænam *absolutio* est impertienda in concedenda vel exequenda dispensatione matrimoniali?

IV

An, quandonam et quænam *pœnitentia* est imponenda a concedente vel exequente dispensationem matrimonialem?

V

Quinam, in foro ecclesiastico, censentur filii *legitimi,* quinam *illegitimi?*

VI

An et quasnam incurrunt censuras usurpantes aut alienantes bona ecclesiastica?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

I

Q. Demonstra Ezechielem XLVI, 17 « Si autem dederit (princeps) legatum de hereditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad *annum remissionis*, et revertetur ad principem » non respicere *annum sabbaticum* de quo Exod. XXIII, 10, 11; Levit. XXV, 3-7; neque *annum liberationis* de quo Exod. XXI, 2; Deut. XV, 12; Jerem. XXXIV, 14-16, sed *annum Jubilæi* de quo Levit. XXV, 10.

R. Statuit hic Ezechiel discrimen inter bona immobilia quæ princeps dat filiis (v. 16) et ea quæ dat servis (v. 17), nimirùm ut servis data *revertantur ad principem anno remissionis*, filiis verò data non revertantur unquam. Ex ipsis autem Prophetæ verbis manifestum est nomine *anni remissionis* seu *liberationis* (hebr. *derôr*) intelligendum esse annum omnibus notum, solemnem, periodicum ac pro omnibus æque Judæis eumdem lege fixum, famosumque tum aliqua remissione seu *liberatione*, tum *reditu fundorum* ad pristinos dominos suos.

Jam vero talis non erat *annus sabbaticus* de quo Exod. XXIII, 10, 11; Levit. XXV, 3-7. Erat quidem hic annus omnibus notus, solemnis, periodicus ac pro omnibus æque Judæis idem lege fixus, atque insignis tum *quiete terræ* (1), tum *remissione debitorum* (2), tum

(1) Cf. Exod. XXIII, 10, 11: « Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus. Anno autem septimo dimittes eam, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui; et quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vinea, et in oliveto tuo. » Pariter Levit. XXV, 3-7. « Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus: Septimo autem anno *sabbatum erit terræ*, requietionis Domini: agrum non seres, et vineam non putabis etc. Cf. etiam Levit. XXV, 20-22.

(2) Quatenus nimirum debita ex mutuo non poterant hoc anno à

etiam publica *legis lectione* in solemnitate tabernaculorum (1), non tamen erat nec vocabatur *annus liberationis (Schenath hadderôr)*, neque celebris erat *reditu possessionum* ad pristinos dominos. Ergo.

Neque talis erat *annus liberationis* de quo Exod. XXI, 2; Deut. XV, 12; Jerem. XXXIV, 14-16. Erat enim hic annus omnibus quidem notus ceu terminus servitutis atque annus *liberationis (derôr)* servorum hebræorum (2), verùmtamen non erat annus solemnis, periodicus ac pro omnibus æque Judæis idem lege fixus : non enim omnes servi hebræi eodem quoque anno septimo seu sabbatico, sed singuli post sex annos servitutis, libertate donandi erant; insuper annus iste minime celeber erat communi reditu fundorum ad veteres dominos. Ergo.

Talis verô propriè erat *annus Jubilæi*, de quo Levit. XXV, 10. Hic enim erat annus omnibus notus, solemnis, periodicus ac pro omnibus æque Judæis idem lege fixus, atque famosus tum *liberatione (derôr) omnium*

---

debitoribus Judæis repeti. Cf. Deut. XV, 1, 3. « Septimo anno facies *remissionem*. Quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia *annus remissionis* est Domini. A peregrino et advena exiges; civem et propinquum repetendi non habebis potestatem. v. 9. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo : Appropinquat septimus *annus remissionis (Schenath haschschemittâh)*; et avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare. »

(1) Cf. Deut. XXXI, 10, 11 « Post septem annos *anno remissionis (Schenath haschschemittâh)*, in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israël, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israël... » Cf. etiam Nehem. VIII, 18. « Legit autem in libro legis Dei per dies singulos, a die primo usque ad diem novissimum. »

(2) Cf. Exod. XXI, 2. « Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi : in septimo egredietur liber gratis. » Deut. XV, 12. « Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum. » Jerem. XXXIV, 14-16. « Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei; et serviet tibi sex annis, et dimittes eum à te liberum : et non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam. Et conversi estis vos hodie, et fecistis quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis *libertatem (derôr)* unusquisque ad amicum suum etc. »

servorum hebræorum, tum communi *reditu fundorum ad pristinos dominos.* (1)

Egregiè Van Hoonacker, in *Revue biblique*, 1899, p. 191 : « Il est de la dernière évidence qu'Ezéchiël ne peut avoir en vue que la 50e année, l'année jubilaire du Lévitique. En effet 1° Ézéchiël parle d'un terme qu'il suppose connu ; il s'agit donc d'une année dont le retour était déterminé par la loi ; 2° c'était une année revenant périodiquement pour tout le pays ; cela résulte de la manière dont Ézéchiël la désigne ; c'était une année solennelle *Schenath hadderôr*. Le prophète est censé indiquer la date même à laquelle le fond devra retourner au prince ; si cette date n'avait eu d'autre détermination que celle d'une période relative à l'acte de donation, c'eût été une tautologie puérile de dire que la propriété devait être restituée en l'année de la restitution ! L'année du *derôr* est une année commune, un terme fixé d'une façon absolue pour tout le monde à la fois. D'où il suit que l'année visée par Ézéchiël a un tout autre caractère, est d'une tout autre nature que le terme fixé par l'Exode et le Deutéronome pour la libération des esclaves hébreux. 3° Il ne s'agit certainement pas non plus de l'année sabbatique qui revenait périodiquement de sept en sept ans. Celle-ci était instituée en vue de tout autre chose et n'avait aucun rapport avec le retour des biens domaniaux à leurs anciens propriétaires ; à aucun titre elle ne se prêtait à l'appellation de *Schenath hadderôr*. — Il ne reste que

(1) Levit. XXV, 10. « Sanctificabis annum quinquagesimum, et vocabis remissionem *(derôr = libertatem, liberationem)* cunctis habitatoribus terræ tuæ : ipse est enim jubilæus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam... 13 Anno jubilæi redient omnes ad possessiones suas... 28 In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum, et ad possessorem pristinum... 39 Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, 40 sed quasi mercenarius et colonus erit : usque ad annum jubilæum operabitur apud te, 41 et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum etc. »

l'année du jubilé et celle-ci remplit toutes les conditions; elle s'appelle à bon droit *schenath hadderôr*, comme nous l'avons constaté plus haut. C'était une année célébrée périodiquement dans toute l'étendue du territoire. D'après le Lévitique lui-même elle marquait non seulement le terme du service des esclaves hébreux, mais encore celui du retour des propriétés, de façon qu'à ce point de vue aussi elle répond parfaitement aux exigences du texte d'Ézéchiël. C'est donc sans le moindre doute cette année-là que le prophète a en vue; et, pour reprendre une parole de Kuenen à l'adresse de Curtiss, nous pouvons dire que ceux qui sont empêchés par leurs systèmes de reconnaître cela, sont à plaindre. — Au premier abord, du reste, il devait paraître invraisemblable qu'Ézéchiël eût conçu l'étrange disposition consistant à faire retourner au prince, *après un terme de sept ans*, ou à la fin *de la période septennale* pendant laquelle elles auraient eu lieu, les concessions de propriété foncière accordées aux serviteurs. Des actes de ce genre ne s'accommodent point, de leur nature, d'une période aussi restreinte. »

G. V. D. P.

II

Q. *Quæritur utrum et quare* 1/ *humanitati Christi exhiberi possit honor latriæ;* 2/ *divinæ autem personæ Christi honor duliæ.*

R. Propositæ quæstionis responsio corollarium est doctrinæ supra (p. 469 et seq.) expositæ. Præmonemus in præsenti etiam responso vocabulum *adoratio* sumi in generica sua acceptione prout significat: *exhibitionem internæ submissionis alicui exhibitæ ob ejus excellentiam.*

1. Christi *humanitati* soli et seorsim a divina persona, cui hypostatice unitur, nullus honor, nulla adoratio proprie tribui potest.

Ratio est quia honor et adoratio proprie deferuntur rei subsistenti, scilicet hypostasi seu personæ: humanitas vero Christi non est persona: ergo Christi humanitas sola non honoratur, nec adoratur.

At humanitas Christi, quatenus hypostatice unita Verbo, *coadoratur* et quidem adoratione *latriæ*.

Ratio hujus asserti: Christus, h. e. Verbum incarnatum, est persona; et hæc persona honoratur. Jamvero honor qui personæ tribuitur, *toti* defertur personæ: ergo honor qui Verbo defertur, defertur et ejus humanitati quatenus ad personam Christi pertinet: ergo in supposito Verbi cohonoratur et ejus humanitas. Quia autem Christo, utpote Deo, adoratio latriæ est exhibenda, ideo humanitas Christi *coadoratur* adoratione *latriæ*.

2. *Divinæ personæ* Christi potest absolute loquendo exhiberi honor *duliæ*.

Prænoto hîc nomine *duliæ* significari cultum qui respicit excellentiam *creatam* et qui opponitur cultui *latriæ* respicientis unice *divinam* excellentiam. (1)

Ratio asserti hæc est: uti supra (p. 471) exposuimus, in objecto *cui* adorationis duo sunt distinguenda: objectum cui *materiale* quod est ipsa persona cui defertur honor, et objectum cui *formale* quod est ipsa excellentia ob quam tribuitur honor personæ.

Jamvero in Christo una est persona, ideoque Ejus est una adoratio *ex parte ejus qui adoratur*.

Sed in Christo sunt plures excellentiæ, nominatim divina excellentia, et creatæ excellentiæ præsertim dona gratiæ. Jamvero excellentia quæ in persona invenitur est *causa honoris et determinat rationem et modum cultus ut debiti:* unde si in una persona inveniuntur plures excellentiæ formaliter diversæ, conveniunt etiam huic personæ plures honorationes vel adorationes specifice diversæ. (V. supra p. 472).

---

(1) Non enim dubium est quin Christo deferri possit honor *duliæ*, si hoc nomen sumatur in sua universalissima acceptione prout analogatur ad Deum et ad creaturam. V. supra p. 472 in nota.

Ergo Christo ob *divinam* excellentiam convenit et tribuendus est honor latriæ, et ob Ejus creatam excellentiam convenit Ei honor *duliæ:* consequenter poterit, absolute loquendo, deferri Christo, honor duliæ.

Dicitur absolute loquendo: nam de facto, in praxi, non defertur Christo adoratio duliæ (quæ inferior est) ne sit in detrimentum alterius cultus sc. latriæ, in quo eminenter continetur. « Adorationem duliæ Christo debitam ratione humanæ naturæ Ecclesia in mente retinet, non in usu, ad evitandos errores. » Cajetanus, in III, q. XXV, a. 2. Cfr. Billot, *De Verbo Incarnato*, 3ª Edit. Thes. XXXVI, ad 4.

Objiciet quis: adoratio duliæ inferior est adoratione latriæ quæ Christo debita est: ergo adoratio duliæ, Christo tributa, esset potius inhonoratio.

Respondeo: concedo antecedens, sed nego consequentiam. Etenim si adorationem duliæ quis Christo tribuit, *non* ideo *excludit a Christo adorationem latriæ*, sed tantum abstinet hîc et nunc a tribuendo honore latriæ. Et sane: quando affirmo Christum esse hominem, non ideo nego Illum esse Deum, sed hîc et nunc abstraho ab hoc quod Christus sit etiam Deus; pariter quando in Christo solius humanitatis perfectiones considero et ob eas Christum honoro et laudo non ideo nego in Christo divinam esse excellentiam, nec excludo ab Ipso honorem qui huic excellentiæ correspondet, sed tantum hîc et nunc abstraho a consideratione divinæ in Christo excellentiæ, et consequenter abstineo hîc et nunc ab honorando Christo latriæ honore. In hoc autem nihil est contra Christi honorem: nam imprimis non nego Christo honorem latriæ debitum, et quamvis sit inferior duliæ honor, tamen verus est honor, qui etiam Christo convenit propter ejus creatam excellentiam.

J. V. D. M.

III

Q. *Expone quid*, ex potestate quasi-ordinaria, *valeant Episcopi circa impedimenta dirimentia in ordine ad convalidandum matrimonium* contractum.

R. Episcopus, ex tacita vel rationabiliter præsumpta voluntate R. Pontificis, dispensare potest super impedimentis dirimentibus, in ordine ad matrimonium contractum convalidandum, dummodo 1/ matrimonium bona fide fuerit initum, et 2/ publice ac denuntiationibus scienter non omissis, modò 3/ periculum sit in morâ, 4/ agatur de impedimentis saltem facto occultis et 5/ in quibus Ecclesia solet dispensare.

« *Ratio est*, ait Schmalzgrueber, in lib. IV Decret., tit. XVI, n. 80, 1°/ quia... Episcopus quoad alias leges Pontificias, in casu extraordinario, quando urget necessitas dispensandi et periculum est in mora neque facile ad Pontificem recurri potest, ex præsumpta istius voluntate dispensare potest; 2°/ in hujusmodi casu dispensandi facultatem competere Episcopis maxime expedit animarum bono, et ad evitanda gravia peccata fere necessarium est; ac proinde verisimile non est quod Pontifex illam voluerit Episcopis denegatam; 3°/ praxis et consuetudo, præsertim longæva, optima legum canonumque interpres est: constat autem quod Episcopis passim DD. eam potestatem tribuunt et ipsi Episcopi ea utuntur, sciente et non contradicente Papa ».

Porro Auctores, ad quos provocat, citavit numero plures, n. 79, quibus adde numero non minores, quos refert *Nouv. Rev. théol.*, XIV, p. 524, in nota; inter quos eminet Bened. XIV, *De Syn. diæc.*, l. IX, cap. II, n. 1, cujus auctoritas in hac materia prævalet, teste decreto C. S. O. 3 Aug. 1873 (1). Favet etiam doctrinæ

(1) « Cæterum, relate ad facultatem Ordinariorum dispensandi super impedimentis dirimentibus certo existentibus in vim præsumptæ voluntatis S. Sedis, res ea est multis implexa difficultatibus, quibus obviandis

assertæ S. C. C. in causa *Ægitanien.*, 19 Apr. 1692, cujus responsi textum vide apud Feye, *De Dispens. matrim.*, n. 634.

Conditiones autem ad hujus potestatis exercitium requisitæ ulterius sunt enucleandæ. Jamvero postulatur

1°/ ut matrimonium fuerit *bona fide* contractum, id communius requirentibus Auctoribus propter Conc. Trid., Sess. XXIV, *De Reformatione Matrimonii*, cap. V, statuens quod « si quis intra gradus prohibitos *scienter* matrimonium contrahere præsumpserit, separetur et spe dispensationis consequendæ careat ». Quod namque dicit de illis qui scienter contrahunt cum impedimento consanguinitatis, ob paritatem rationis, meritò applicatur reliquis impedimentis, quibus æque valet ratio ob quam illa sanctio est inducta, nempe ne Ecclesia iniquitati faveat et perversæ contrahentium audaciæ. Cf. Schmalzgr., l. c., n. 81; Sanchez, *De Matrim.*, l. II, disp. 40, n. 4; Reiffenstuel, *Append.*, n. 57-59.

Equidem non parum mitigata est hac in re disciplina Ecclesiæ, et supra, p. 485, vidimus Episcopum *ex potestate delegata* procedentem jam posse convalidare matrimonium mala fide contractum; at inde non sequitur hanc severitatis relaxationem esse prorsus generalem ac sese extendere etiam ad casum quo Episcopus dispensat *ex præsumpta et tacita voluntate* R. Pontificis, eo vel magis quod hujus voluntatis aliam probationem non habemus nisi communem doctrinam Auctorum, tacite a Pontifice approbatam, quæ præcise doctrina, teste S. Alph., l. VI, n. 1124, communissime et verius excipit malam fidem (1).

---

omnino adhærendum est doctrinæ traditæ a s. m. Bened. XIV, in suo op. *De syn. diæc.*, l. IX, c. II, quam etiam Sacra hæc Congr. tenet, citra quam facile nimis abusus, ideoque etiam nullitas dispensationis evenire potest ».

(1) Ita sapienter docet Feye, op. cit., n. 626, cujus sane doctrina tutior est, quin tamen auderemus omnem probabilitatem denegare benigniori sententiæ, in quam, post nonnullos AA. citatos apud Salmant. *De Matrim.*,

Sufficit autem bona fides *alterutrius* partis, cum illa frustratio dispensationis sit pœna, quam æquum non esset irrogare innocenti ob alterius delictum. Habetur autem hic bona fides ex ignorantia juris vel facti, uti docet Bened. XIV, l. c., idque ex ignorantia non tantum vincibili sed et crassa, supina, imo, juxta nonnullos, affectata, cum pœna Tridentina non feratur nisi in eos qui *scienter* contra legem contrahere præsumpserint. Cf. *Collationes Brug.*, IV, p. 38 et seq.; Sanchez, l. c.

Si autem uterque bona fide contraxerit, supponitur alterutram partem jam nunc esse consciam nullitatis matrimonii, quia si utrimque adest bona fides, eo ipso deficit alia conditio sub 3° indicanda, cum secus possent relinqui in bona fide donec dispensatio sit obtenta. Ita merito, uti videtur, censent Feye, op. cit, n. 635, sub 1°/ et Gasparri, *De Matrim.*, I, n. 408, contra *Nouv. Rev. théol.*, XXIV, p. 330-332, ubi provocatur ad silentium Ben. XIV. Requiritur

2°/ ut fuerit initum *adhibitis solemnitatibus*, i. e. cum præsentia sacerdotis, ubi haberi potuit, etiam in locis non subjectis, et, salva dispensatione, cum præscriptis proclamationibus saltem scienter non omissis: revera secus ægre aderit bona fides, et insuper hasce denuntiationes negligentes idem Conc. Trid. vult subesse iisdem pœnis ac sub 1°/.

3°/ ut *periculum sit in mora,* quod obtinet si ex una parte nequeunt partes sine periculo scandali vel infamiæ separari, et ex alia parte nequit adiri S. Sedes quin interea oriatur pro alterutro conjuge periculum incontinentiæ ex cohabitatione uti frater et soror (1).

---

l. XIV, cap. I, n. 9, inclinat Planchard (*Dispenses matrim.*, n. 560, et apud *Nouv. Rev. théol.*, XX, p. 125 et XXIV, pp. 545-446), juxta quem mala fides in matrimonio contrahendo, ratione habita in dies majoris indulgentiæ Ecclesiæ, jam non officit exercitio potestatis quasi-ordinariæ.

(1) Nota vix hic occurrere casum, quem olim adducebant Auctores, uti etiam Ben. XIV, l. c., « quo ob solam paupertatem aut rusticitatem

4°/ ut sit impedimentum *super quo S. Sedes solet dispensare*, quia aliàs irrationabiliter præsumeretur voluntas R. Pontificis concedendi facultatem Episcopis, si ipse Pontifex non consuevit dispensare.

5°/ ut sit *occultum*, *saltem facto*.

Revera prorsus deneganda est Episcopo potestas quasi-ordinaria, ex voluntate Pontificis tacita vel præsumpta, in ordine ad dispensanda impedimenta dirimentia *facto publica* vel brevi publicanda, *quantumcumque urgeat necessitas*. Quæ doctrina olim a nonnullis in dubium vocata non semel est expressis declarationibus Romanis firmata. Cf. documenta allata apud Planchard, op. cit., n. 94; apud *Nouv. Rev. théol.* XIV, p. 526-528; apud Feye, op. cit., n. 634, et Gasparri, op. cit., nn. 408-409.

Cæterum facilius in casu expectari potest dispensatio Romana et separatio institui absque infamia vel scandalo, siquidem nullitas matrimonii supponitur publice nota; imo, uti addit Schmalzgr., l. c., n. 82, « si Episcopus tali casu dispensaret non tam evitaret quam generaret scandalum ». Cf. Reiffenstuel, *Append.*, n. 43.

Dicitur: « *saltem facto* », quia inter AA. disputatur utrum dicta potestas sese extendat ad impedimenta *natura publica*, sed *facto occulta*, seu potius quasi-occulta, quæ nempe nonnisi a paucis cognoscuntur nec timentur divulganda.

Porro in favorem sententiæ negantis, cui patrocinatur Gasparri, op. cit., I, n. 408, infertur potestatem hanc quasi-ordinariam ex præsumpta voluntate R. Pont. unice niti in urgenti necessitate ob scandali vel infamiæ periculum: huic autem non esse locum in casu, cum impedimentum natura sua publicum sine scandali vel

---

oratoris S. Sedes adiri nequeat, cum ipse confessarius aut parochus dispensationem facile impetrare possit a S. Pœnitentiaria per epistolam cujus sumptus sunt valde exigui ». *Théol. Mechl. De Matrim.*, ed. 1894, p. 407. Hoc jam notabat Fagnanus, cap. *Nimis*, n. 27.

infamiæ periculo divulgari possit et expectari queat S. Sedis dispensatio.

Quo argumento se multum moveri agnoscit Feye, op. cit., n. 635, sub 7°, non audet tamen dictam potestatem in casu denegare Episcopo, saltem « dummodò non extendatur ultra facultates ordinarias M. Pœnitentiario pro iis concessas » (1). Et profectò, donec aliter ex responsis Romanis doceamur, haud ægre sententiam amplectimur quæ, vindicat Episcopo potestatem quoad hujusmodi impedimenta, *saltem* intra limites modò assignatos (2).

Revera occultum, sine addito, obvie sumitur pro *facto* occulto, et opponitur ad *facto* publicum; pariter in documentis supra citatis, signanter in responso S. C. C. 1692, innuitur agi de impedimentis publice notis seu de facto publicis. Cf. etiam Sanchez, Schmalzgr., Reiffenst., ll. cc.

Ulterius non est negandum, quemadmodum negant adversarii, interdum dari periculum in mora, etiam ubi matrimonium est irritum ob impedimentum natura publicum. Et requidemvera suppono detegi matrimonium

---

(1) In matrimonio *contracto* potest S. Pœnitentiaria dispensare, *pro foro interno* in 3° et 4° gradu consanguinitatis et affinitatis legitimæ, et etiam in 2° gradu prædicti impedimenti utriusque, si « saltem per decennium duraverit occultum et oratores simul publice contraxerint, et convixerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint ». Insuper valet idem Tribunal dispensare in cognatione spirituali. Cfr. Constit. Ben. XIV, *Pastor Bonus*, inde a. paragr. 39. (Parvum Bullarium, II, p. 204 et seq.); Ben. XIV, *Institut. Eccles.*, 87, n. 11.

(2) In hisce ponendis limitibus videtur niti Feye principio quod alibi adhibet Bened. XIV, *De Syn. Diæc*, l. IX, cap. II, n. 1, nempe non plus potestatis esse tribuendum Episcopo quam M. Pœnitentiario: quod principium nescio utrum hic perfecte applicetur, cum potestas hic Episcopo adscripta, utpote extraordinaria et ad urgentem necessitatem limitata, alterius plane rationis sit quam potestas M. Pœnitentiarii, ordinaria et extra casum urgentem exercenda. Cæteroquin descriptis limitibus continetur M. Pœnitentiarii potestas ordinaria *pro foro interno*, nequaquam vero potestas *pro foro externo*, adeoque etiamsi ultra hosce limites quis extenderet potestatem Episcopi quasi-ordinariam, ideo non plus potestatis tribueret Episcopo quam Majori Pœnitentiario.

invalide contractum, alterutra parte nullitatis conscia, ob ignotam cognationem spiritualem inter levantem et levatum, super quo impedimento Episcopi Belgii, vi indulti, non valent dispensare. Si Romam est recurrendum, imponenda est putatis conjugibus cohabitatio ut frater et soror, quæ vix unquam est consulenda, vel nullitas matrimonii est divulganda et separatio instituenda. Jamvero, etiamsi impedimentum in casu, citra infamiam, possit manifestari, non desunt gravissima incommoda in ipsa separatione, imo forsan periculum erit ne pars inconscia, nullitatem edocta, cum scandalo et prolium detrimento discedat vel et suspicetur penes compartem aliud impedimentum infamans: quibus omnibus incommodis opportune occurritur per dispensationem tempestive ab Episcopo impetrandam.

Quibus attentis videtur rationabiliter præsumi consensus Pontificis in hujusmodi exercitium potestatis Episcopalis.

Nota. Merito omisimus conditionem a nonnullis apponi solitam, nempe ut matrimonium fuerit *consummatum*. Et sane a magnis Auctoribus, uti a Schmalzgr. et Reiffenstuel, non fit mentio de consummatione, nec hæc requiritur, uti quidam putaverunt, ad hoc ut sit magna difficultas in separatione. Cf. Feye, op. cit., n. 635, sub 5°; Theol. Mechl., op. cit., p. 407.

Nonnulla adnotata reperientur sub fine responsi ad IV, Qu., quæ et huic solutioni applicantur et utiliter subjunguntur.

A. D. S.

IV

Q. *Expone quid*, ex eadem potestate quasi-ordinaria, *valeant Episcopi circa impedimenta dirimentia in ordine ad matrimonium* contrahendum.

R. Episcopus potest dispensare in impedimentis dirimentibus, etiam in ordine ad matrimonium contra-

hendum, *pro casu urgentis necessitatis*, modò, juxta dicta sub responso ad III^m^. Q., impedimenta sint sensu ibidem explicato occulta, et talia in quibus Ecclesia consuevit dispensationem concedere.

Porro adest urgens necessitas quoties hujusmodi concurrunt rerum circumstantiæ ut, omnibus tentatis mediis, matrimonium nequeat, absque periculo infamiæ vel scandali, differri per tempus ad recursum Romanum necessarium.

Casus obtineret si « aliquis morti proximus ad legitimandas proles cum earum matre vellet contrahere matrimonium, et id propter intercedens impedimentum dirimens occultum sine dispensatione non posset: vel quando ante contractum nuptialem, et omnibus ad hunc paratis, sponsorum alter in confessione sacramentali detegit impedimentum dirimens occultum, et proveniens ex crimine, cujus detectio notabilem infamiam inferret, et neque a nuptiis abstineri, neque illæ, donec Romæ obtineatur dispensatio, differri possent sine verisimilli suspicione occulti criminis in confessione detecti ». Schmalzgr., in l. IV Decret., tit. XVI, n. 84.

Ad probationem, omissis reliquis argumentis allatis a Sanchez, *De Matrim.*, l. II, disp. 40, n. 7, arguimus vel ex sola analogia cum potestate Episcopi circa matrimonia *contracta,* cum hic, non minori jure ac pro matrimonio contracto, præsumendum sit S. Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam certe requisitus non esset ei denegaturus.

Cæterum hodie *communis et tuta* est sententia hanc Episcopis vindicans potestatem, illique præeunte Sanchez, l. c., patrocinantur AA. quamplurimi, quorum non pauci citantur apud *Nouv. Rev. théol.*, XIV, p. 525, in nota (1), necnon apud Feye, *De Imped. Matrim.*, n. 604, in nota (6), et apud Gasparri *De Matrim.*, I, n. 409.

Equidem potius alteri sententiæ favere videtur Benedictus XIV. *De Syn. diœc.*, l, IX, cap. II, n. 2, et

Instit. Eccles., 87, n. 22 in fine, non quod in dubium vocet ipsum principium, sed quod ægre admittat, uti videtur, unquam adesse urgentem necessitatem, vix possibile reputans « eas omnes concurrere rerum circumstantias, quas sibi fingit Sanchez, in quibus nequeat matrimonium retardari absque scandalo, cum alii plurimi semper præsto sint modi... protrahendi tempus nuptiis, absque ulla suspicione criminis, et infamia eorum, qui jam erant ad eas celebrandas accincti ».

Jamvero, nostro saltem tempore, plerumque parùm practici et parum efficaces forent, qui suggeruntur, modi vitandi infamiam, quos refert et practice improbat Feye, op. cit., n. 636, nimirum « e. gr. votum castitatis a parte conscia emissum pro tempore ad obtinendam dispensationem necessario, iter, infirmitatis prætextus sine mendaciò, matrimonii celebratio sub conditione si Pontifex dispensaverit, parochi affirmatio Ordinarium prohibuisse celebrationem ». Cæterum urgentem necessitatem pro matrimonio contrahendo admittit ipsa S. Pœnitentiaria, ubi, in Pagella, sub n. 11, facultatem concedit Episcopo dispensandi super affinitate illicita occulta « quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab Apost. Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri nequeat ».

Quam quidem doctrinam S. Pœnitentiaria nunquam expresse probavit, semper vero cavit ne aliquid diceret ex quo videretur illam reprehendere. Cfr. Gasparri, l. c., n. 409. Pariter C. S. O., interrogata, noluit, in suo decreto 23 Apr. 1890, eamdem sententiam approbare vel improbare. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XXII, p. 490-494.

Adnotationes.

1º/ Quemadmodum Episcopus potest, ratione urgentis necessitatis, dispensare super impedimentis occultis in quibus S. Sedes dispensare solet, eadem de ratione potest Episcopus, vi ejusdem potestatis quasi-ordinariæ, convalidare dispensationem Romæ obtentam,

sed invalide ob defectum *occultum* concessam. Cf. Feye, op. cit., n. 726, in fine, collatis n. 639 sub 2°, in nota, et n. 631, ad e, sub 8°; Planchard, *Dispenses matrim.*, nn. 462-463; *Nouv. Rev. théol.*, XV, p. 653-655; Pompen, *Tractatus de Dispensat.*, n. 159, not. 2, collato n. 115.

2°/ Potestas Episcopi quasi-ordinaria sese extendit ad casum quo impedimenta *multiplicantur*. Feye, op. cit. sub 2°, collato n. 531, sub e/, ad 8°.

3°/ Dispensationes, vi potestatis quasi-ordinariæ impertitæ, prosunt dumtaxat *pro foro conscientiæ*, et non valent pro foro externo. Quocirca, si impedimentum, antea occultum, postea detegatur et deducatur ad forum contentiosum, opus erit nova dispensatione, a S. Pontifice impetranda » Bened. XIV, *De Syn. diæc.*, l. c., n. 1.

Fictis igitur nominibus recurrat parochus, quando agitur de impedimentis, etiam natura publicis sed facto occultis, pro quibus Episcopus dispensare valet vi dictæ potestatis quasi-ordinariæ; quod non parum facilitatis præstat quando simul cum hujusmodi impedimento natura publico concurrit impedimentum infamans.

4°/ « Quotiescumque Episcopus *expresse delegatam* facultatem habet, quasi-ordinaria, quæ ex præsumpto vel tacito consensu Pontificio repeti solet, cessare videtur in eo foro et casu pro quo delegata fuit concessa; unde conditiones quoque in hac appositæ sunt observandæ. Quomodo enim præsumptæ vel tacitæ Pontificum voluntati locus esse potest, ubi de expressa ejusque conditionibus ac limitibus constat (1) »? Quomodo cogetur Episcopus, ratione vitandi periculi infamiæ vel scandali, recurrere ad potestatem ex præsumpta licentia Pontificia repetendam, cum ipsi præsto sit potestas ex expressa concessione ejusdem Pontificis?

Ita relate ad moribundum concubinarium matrimonio

(1) Feye, op. cit., n. 613, sub fine; cf. Planchard, op. cit., n. 463, De Becker, *De Matrimonio*, p. 297.

jungendum, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, non posset Episcopus, etiam pro impedimento occulto, uti potestate quasi-ordinaria, cum ad manum habeat potestatem expresse concessam per decretum 20 Febr. 1888, de quo supra, p. 419 et seq. Hoc ergo indulto esset utendum, idque distincte observatis clausulis in illo præscriptis.

Pariter sola uti potest facultate delegata, in Pagella, S. Pœnitentiariæ, n. XI, adeoque et juxta formam et cautiones in ea præscriptas, ubi agitur de concedenda dispensatione super occulto impedimento affinitatis illicitæ « quando omnia parata sint ad nuptias nec matrimonium, usquedum ab Ap. Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat ».

Attamen hoc non impedit, uti videtur, quominus Episcopus, quamtumvis munitus facultate expresse delegata pro casu occurrente, recurrat ad suam potestatem quasi-ordinariam, positis ponendis, quotiescumque acceptum indultum non valet exequi, deficiente una alterave conditione ad executionem requisita, puta quia prævidet alterutram partem cum qua est dispensandum, non esse accepturam clausulas ad valorem necessarias. Cfr. *Nouv. Rev. théol.*, XXIV, p. 540 et seq.

A. D. S.

V

Q. *Titius viduus matrimonium intendit inire cum Bertha consobrina germana uxoris defunctæ, suamque mentem, altero ante nuptias mense, aperit parocho qui ex confessione novit Titium copulam habuisse carnalem cum sorore dictæ sponsæ Berthæ.*

Indica quomodo procedat oportet parochus in procuranda dispensatione.

R. Matrimonio Titii cum Bertha obstat impedimen-

tum dirimens publicum affinitatis in 2° gradu lineæ collateralis æqualis ex copula licita, et simul impedimentum natura, et, uti supponitur, etiam facto occultum affinitatis in 1° gradu lineæ collateralis æqualis ex copula illicita.

Pro primo impedimento relaxando omni carent facultate Episcopi Belgii, adeoque recurrendum est ad S. Sedem, nimirum ad Datariam Apostolicam, vel, pro pauperibus aut fere pauperibus, ad S. Pœnitentiariam, in ordine ad obtinendam dispensationem *pro foro externo:* unde in supplici libello nomen et cognomen sunt indicanda, ac reliqua sunt observanda quæ huic foro sunt propria.

Pro altero impedimento, pariter procuranda est dispensatio Romana, cum, ex supposito, præsto sit tempus Romam recurrendi, ac proinde desit urgens necessitas quæ postulatur ad exercitium potestatis quasi-ordinariæ, vel facultatis delegatæ, quæ Episcopis ad quinquennium concedi solet in Pagella S. Pœnitentiariæ, n. XI; cæterum, ne in urgenti quidem necessitate, posset Episcopus in casu procedere, propter concursum dicti impedimenti publici affinitatis legitimæ, relate ad quod nihil valet.

Obtinenda est igitur a S. Pœnitentiaria dispensatio *pro foro conscientiæ,* tacitis proinde in supplica nominibus seu adhibitis fictis nominibus, uti Titius et Bertha.

Ulterius, *pro foro externo*, Romam est recurrendum *per intermedium Ordinarium*, a quo vel ipsa supplica est conficienda, vel ad minus litteris testimonialibus est munienda. Cf. Feye, *De Imped. matr.*, n. 687; De Becker, *De matrim.*, p. 312; Theol. Mechl., *De matrim.*, p. 375. Similiter pro foro conscientiæ passim recurritur ad Ordinarium ut et ipse procurare dignetur dispensationem S. Pœnitentiariæ.

Porro hæc consueta norma procedendi nihil negotii facesseret in nostro casu, si dispensatio super utroque præfato impedimento posset *separatim* efflagitari et

obtineri, misso uno libello pro foro externo cum mentione solius impedimenti affinitatis legitimæ, altero autem pro foro interno cum mentione solius affinitatis illicitæ.

Atvero *ad valorem* dispensationis *in eadem supplica* consignanda sunt *omnia et singula* impedimenta, matrimonium sive dirimentia sive impedientia; uti perspicue docet Instructio S. C. de Prop. F., 9 Maii 1877, enumerans « inter ea quæ, præter causas, in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda, de jure vel consuetudine aut stylo curiæ exprimenda sunt ita ut, etiamsi ignoranter taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur »: « numerum impedimentorum, e. gr... si præter cognationem adsit etiam affinitas aut aliud quodcumque impedimentum, sive dirimens sive impediens » *Collectan.*, n. 1482.

Sponte igitur occurit difficultas parcendi famæ Titii et præsertim illæsum custodiendi sigillum sacramentale, siquidem impedimentum infamans indicando in eadem supplica in qua dispensatio petitur pro foro externo, necessario infamatur Titius in curia Romana et in curia episcopali, cum nomen et pronomen sint inscribenda.

Vitatur saltem fractio sigilli si sponsus libere consentit ut sic procedatur, quo casu consensus memoretur in litteris supplicibus. Ast non raro inopportunum foret hujusmodi consensum postulare, signanter quando agitur de impedimento admodum infamante. Augetur autem hic difficultas ex eo quod, juxta exposita, parochus hic non versatur in foro sacramentali, adeoque coram Titio est ac si ignoraret impedimentum affinitatis illicitæ olim in confessione expositum, ac proinde nullatenus potest hujusmodi consensum postulare, nisi, generali interrogatione prudenter facta, prævie a Titio obtinuerit spontaneam criminis manifestationem.

Remanet tunc, quod regulariter est faciendum, ut duplex conficiatur supplica, una pro foro externo cum

solo impedimento publico, altera vero pro foro conscientiæ, in ea relato impedimento affinitatis illicitæ et simul mentione facta impedimenti affinitatis legitimæ ac dispensationis petitæ vel jam obtentæ pro foro externo.

Hac nimirum ratione impedimentum infamans memoratur sub fictis nominibus, et simul utrumque impedimentum in eadem occurrit supplica pro foro interno, ad S. Pœnitentiariam directa. Dataria vel Pœnitentiaria (1) dispensabit pro foro externo super affinitate legitima, invalide quidem propter vitium subreptionis seu propter omissionem affinitatis, sed hoc vitium, utpote occultum, sanatur pro foro conscientiæ a S. Pœnitentiaria; quæ simul dispensat pro eodem foro interno super impedimento affinitatis illicitæ.

Attamen si supplica pro foro interno, quemadmodum supplica pro foro externo, *mediante Ordinario*, Romam transmitti curetur, nondum omni periculo diffamationis et sigilli fractionis est obviatum. Et sane, uti ratiocinatur Theol. Mechl., op. cit., p. 385, Ordinarius « recipiendo versus idem tempus, ex eodem forte loco, imo fortasse ab eadem persona, duas supplicas idem impedimentum publicum memorantes, quasi necessario suspicabitur ambas respicere easdem personas, eas scil. quarum nomina in libello pro foro externo exprimuntur ».

Equidem, quod spectat sigilli fractionem, difficultas evanescet, prævie obtento, in quantum est opus et salvis cautelis modò indicatis, consensu Titii (2), quem consensum facilius præstabit, cum hic fama non exponatur certæ læsioni sed meris dumtaxat suspicionibus penes Officialem Episcopi cæteroquin secreto obstrinctum;

---

(1) Pro pauperibus et fere pauperibus potest dispensatio peti a S. Pœnitentiaria, nisi, quod, vix continget, potius recurrendum sit ad Datariam, ne, propter duplicem recursum ad eamdem S. Pœnitentiariam, penes hanc Congregationem in suspicionem veniat Titius sponsus.

(2) Hujus consensus dati non fiet mentio in supplicatione ne hoc ipso revelationis periculum augeatur.

atvero dari possunt rerum circumstantiæ tales ut Titium ne dictæ suspicioni quidem exponere liceat nec consensus ad hoc postulari queat, puta si spectatæ sit conditionis vel ipsi forsan Officiali non ignotus. Optimum tunc et efficax remedium est *in recursu directo* ad S. Pœnitentiariam per ipsum parochum.

Nota. Quod spectat *confectionem supplicæ* « scripto est facienda et nomine quidem oratorum, non parochi vel confessarii. Et uterque citandus est si agitur de catholicis et impedimentum est utrique commune; alias, scilicet si unus est acatholicus vel indirecte tantum ligatur, supplicatio facienda est tantum nomine alterius » De Becker, op. cit., p. 313.

Dirigitur supplica directe ad Majorem Pœnitentiarium (in Palatio Cancellariæ, Romæ), absque intermedio agente, alloquendo ipsum Cardinalem Pœnitentiarium. Decet, juxta litteras encyclicas S. C. de Prop. F. (*Collectan.*, n. 107), ob paritatem rationis et hic applicandas, ut idioma latinum vel italicum, præsertim vero latinum adhibeatur, excepta directione (adresse) vernacula lingua clare poponenda, omissa tamen mentione diœceseos. Cf. formulam apud De Becker, op. cit., p. 512-513. Litteræ tradantur postæ, clausæ et obsignatæ, soluto pretio transportus. Si quis vero propriæ peritiæ non confidat, consulat in hac re peritiorem, salvo utique sigillo.

A. D. S.

VI

Quænam omittenda, quænam specialiter observanda in administratione Extremæ Unctionis, quando hoc Sacramentum immediate post Viaticum ab eodem sacerdote confertur?

I. Omittenda: 1° Administrato viatico omittitur benedictio danda super infirmum cum Sanctissimo Sacramento, vel manu sacerdotis (casu quo non super-

est particula consecrata). Hæc enim benedictio differtur post administratam Extremam Unctionem. — 2° Antequam hæc administretur, salutatio *Pax huic domui* necnon aspersio cubiculi et circumstantium cum aqua benedicta sub antiphona *Asperges me Domine* etc. omittuntur, utpote ante viaticum dicta et facta in ingressu sacerdotis. Oratio tamen *Exaudi nos*, quamvis jam post aspersionem dicta sit, iterum post duas orationes *Introeat* et *Oremus*, recitanda est, sicuti etiam *Confiteor* cum *Misereatur* et *Indulgentiam* pro administratione Extremæ Unctionis repetendum est.

II. Specialiter observanda: 1° Sacrum oleum deferendum est *occulte*, scilicet collo appensum in bursa distincta sub superpelliceo, ab ipso sacerdote portante SS. Eucharistiam, vel, si haberi potest, ab alio Presbytero vel Diacono superpelliceo induto et sequente sacerdotem viaticum portantem. (Vide p. 427). — 2° Deposito SS. Sacramento in mensa præparata, deposito velo humerali, si adhibetur (Cfr. *Collationes* 1897, p. 528 et 1900, p. 428) et genuflexione facta, reponitur bursa cum vasculo Sacri olei super mensam *extra* corporale à sinistris vel a dexteris. — 3° Dicta oratione *Domine Sancte Pater Omnipotens* post administratum Viaticum, deponit sacerdos stolam albam et assumit aliam violacei coloris et procedit ad administrationem Extremæ Unctionis, porrigendo Crucem infirmo osculandam etc. juxta Rituale. — 4° Attendere debet Sacerdos ut tergum non vertat SS. Sacramento cum recitat orationes versus infirmum et ut in recessu a mensa et accessu ad eam genuflectat. (*Ill. Vanderstappen,* tit. V, cap. II, art. III). — 5° Omnibus cæremoniis et precibus peractis, etiam data Benedictione Apostolica in articulo mortis, casu quo immediate impertienda est, si remanet particula consecrata, antequam recedat sacerdos accipit vas sacri olei cum bursa et (nisi ab alio Presbytero vel Diacono portetur), collo sub superpelliceo appendit, reassumit stolam albam et ve-

lum humerale, genuflectit, accipit pyxidem, caque cooperta facit signum crucis super infirmum, ut in fine administrationis Viatici ordinatur, et fiunt reliqua præscripta in delatione S. Communionis ad infirmum *(ibid.)*. Casu autem quo nulla superest particula consecrata, manu dat infirmo benedictionem sub qua dicere potest, *Benedictio Dei* ut in communione fidelium et extinctis luminibus, depositis superpelliceo et stola, latente pyxide ad ecclesiam vel domum revertitur. (Rit. tit. IV, cap. 4, nº 24). — 6º « In Ecclesia reposito post præscriptas cæremonias et preces SS. Sacramento in tabernaculo sacerdos reponit etiam vas olei sacri in proprio armario. » (Ill. *Vanderstappen* l. c.).

H. V. D. W.

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. V, pag. 490.)

199. Jam ad ipsam rei medullam cum S. Bonaventura penetremus, ubi S. Doctor quærit de libero arbitrio in comparatione ad subjectum, ad actum, ad objectum, ad aliud agens creatum, ad movens primum, ad corpus conjunctum, eodem l. II, dist. XXV, p. 2, qq. 1-6.

Et primo quidem in comparatione ad subjectum, utrum in omnibus, in quibus est liberum arbitrium, sit æqualiter. Prænotato non agi de ea libertate quæ est a miseria vel a culpa, quæ evidenter major et minor est in diversis subjectis, sed de libertate a coactione, sic loquitur Seraphicus: « Intelligendum est quod liberum arbitrium sive libertas arbitrii, et dicit comparationem ad illud a quo, et ad illud ad quod. Per comparationem ad illud a quo dicitur privative, sive negative: dicitur enim liberum a coactione, pro eo quod est ab omni

coactione immune. Per comparationem ad illud ad quod, dicitur positive pro eo quod libertas arbitrii est quædam facultas sive potestas servandi rectitudinem: hæc autem facultas prout privationi coactionis conjuncta est, habet quandam dignitatem: dignitatis enim est et potestatis non posse cogi. Et sic in liberi arbitrii intellectu tria clauduntur, videlicet a coactione immunitas, excellentiæ dignitas, et potestas, sive facultas. Quantum ad primum, liberum arbitrium in omnibus, in quibus est æqualiter se habet, sicut dicunt auctoritates Bernardi, et ostendunt rationes ad hoc inductæ, pro eo quod in omni, in quo ponitur, simpliciter et universaliter omnem excludit coactionem: propterea dicit Bernardus quod ita plena est arbitrii libertas in creatura suo modo, sicut in Creatore: quod etsi non possit intelligi veraciter esse dictum de aliquo, quod dicitur per positionem, potest tamen intelligi de eo quod dicitur per omnimodam privationem. Quantum ad secundum, videlicet quantum ad excellentiæ dignitatem, est æqualiter in comparatione creaturarum adinvicem, et inæqualiter in comparatione creaturarum ad Creatorem. Dignitas enim liberi arbitrii increati superexcellit omnem dignitatem liberi arbitrii creati, quia illa est dignitas summa, et omnis dignitas creata est dignitas infra illam, et propter illam: et sic inæqualitas inest libertati arbitrii quantum ad dignitatem, prout consideratur in creaturis, et Creatore. Prout autem consideratur in creaturis relatis adinvicem, sic habet in eis reperiri æqualiter, pro eo, quod omne liberum arbitrium immediate est sub Deo constitutum, et quodlibet est suarum operationum post Deum primum principium. Attenditur enim secundum rationalis creaturæ supremum, quo solus Deus superior est, sicut vult Augustinus. Quantum autem ad tertium, videlicet quantum ad facultatem aut ad servandæ justitiæ potestatem: sic inæqualitas reperitur non solum in creaturis, et Creatore, sed etiam in creaturis comparatis adinvicem.

Una enim creatura multo potentior est altera in rectitudine servanda, sicut beata, quam misera: et hoc est, quod dicit Anselmus in libro de libero arbitrio: Libertas arbitrii alia est a se, quæ nec est accepta ab alia, nec facta est, quæ est solius Dei. Alia est a Deo facta, et accepta, quæ est Angelorum, et hominum. Facta autem, sive accepta, alia est habens rectitudinem quam servat, alia carens: habens, alia tenet separabiliter, alia inseparabiliter: carens autem, alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Ex hac divisione Anselmi apparent gradus libertatis, non solum in creaturis respectu Creatoris, sed etiam in creaturis ad invicem relatis. Sumitur enim hæc divisio libertatis secundum id, quod est in ea positionis: et hoc modo contingit eam secundum plus, et minus in habentibus liberum arbitrium reperiri: et sic procedunt rationes prius adductæ. »

200. De libero arbitrio in comparatione ad actum, quærit idem S. Doctor, utrum sit actuum contingentium et necessariorum, an contingentium tantum, et respondet: « Dicendum quod liberum arbitrium dupliciter potest considerari. Aut secundum quod liberum, aut secundum quod deliberans. Si loquamur de ipso secundum quod liberum, sic concedo, quod potest esse non solum respectu contingentis sed etiam necessarii, sicut patet in Deo, et in Christo, et in angelis, et in hominibus beatis. Cum enim duplex sit necessitas, videlicet coactionis et immutabilitatis, necessitas coactionis repugnat libertati arbitrii: necessitas vero immutabilitatis non: pro eo quod arbitrium dicitur liberum, non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum: sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud: et ideo in actu volendi seipsum movet, et sibi dominatur, et pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud. Si autem loquamur de libero arbitrio secundum quod deliberans, utrum hoc fiat, vel non fiat, sic actus ejus, de quo deliberat, est

contingens: nullus enim deliberat de necessario, et impossibili: actus tamen ille potest esse circa necessarium, vel circa contingens. In libero enim arbitrio est considerare actum volendi, et ipsum volitum. Et inquantum liberum arbitrium est deliberans, necesse est quod contingentia sit circa utrumque istorum, vel circa alterum. Circa utrumque, ut cum quis deliberat, utrum velit intrare religionem, vel diligere inimicum. Circa alterum: ut cum quis deliberat, utrum debeat sibi placere, vel displicere malum quod fecit, vel utrum debeat consentire, vel dissentire appetitui naturaliter inserto, utpote appetitui beatitudinis. Sic igitur actus liberi arbitrii deliberantis, quamvis possit esse circa necessarium, semper est contingens: actus vero liberi arbitrii ut liberum est, non solum potest esse circa necessarium, sed etiam necessarius in se: et per hoc patet responsio ad propositam quæstionem, patet etiam responsio ad objecta. Nam rationes, quæ ostendunt quod liberum arbitrium potest esse respectu actus necessarii, concludunt de libero arbitrio secundum quod liberum est, sicut manifeste apparet pertractanti. Auctoritates vero, et rationes ad oppositum intelliguntur de libero arbitrio secundum quod deliberans, et consilians: aliter non cogunt. »

Inter priores rationes et auctoritates, adducitur S. Augustinus in Enchir.: « Postea vero sic erit (homo) ut velle male non possit, nec tamen ideo carebit libero arbitrio. » Et paulo post: « Neque aut voluntas non est aut libera dicenda non est, qua beati sic esse volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus. » Quibus merito addimus duplicem rationem ibidem adductam, scilicet: « Liberum arbitrium est in Deo, et angelis, et in hominibus beatis; sed Deus est immutabilis per naturam, angelus vero et homo beatus per gloriam, ergo in ipsis liberum arbitrium necessario et immutabiliter in suum actum exit, igitur non solum est respectu actus contingentis,

verum etiam necessarii. Item non est meritum sine actu liberi arbitrii, sed iste qui fecit bonum vult se fecisse, et hoc ipso meretur. Si igitur hunc fecisse bonum, demonstrato illo qui fecit, est necessarium, liberum arbitrium est respectu actus necessarii, etiam secundum statum meriti. »

Inter posteriores vero auctoritates et rationes objiciebatur quod necessarium et voluntarium ex opposito dividuntur; solvit autem S. Bonaventura ex responso suo supra recitato, dicendo: « Verum est secundum quod necessarium dictum a necessitate coactionis, secundum autem quod necessarium dictum est a necessitate immutabilitatis, non dividitur contra voluntarium, nisi voluntarium dicatur a voluntate deliberante et consiliante, et hoc modo bene concedo quod voluntarium est contingens, et hoc non obviat sed potius consonat ei quod dictum est. »

Hanc doctrinam Seraphici Doctoris valde notabilem fusius producimus, quoniam inde propria natura et essentia libertatis liberique arbitrii manifesta apparebit. Prius tamen quam ex ea in rem nobis specialiter propositam de divina libertate ac immutabilitate, de actu Dei ad extra, lumen derivemus, eamdem complete exponendam censemus.

201. Igitur tertio in comparatione ad objectum, quæstio est utrum liberum arbitrium, secundum quod liberum, possit in malum. Cui respondet Bonaventura: « Dicendum quod de libero arbitrio est loqui dupliciter, aut secundum communem rationem, secundum quam reperitur in Creatore, et in creatura. Et sic objectum ejus est bonum, et æquum: malum vero non est objectum, nisi quis dicat hoc esse objectum, quia liberum arbitrium illud respuit et detestatur. Hic autem vocatur objectum, illud quod intendit liberum arbitrium per actum proprium, sive quod efficit. Alio modo contingit loqui de libero arbitrio secundum quod reperitur in creatura, et sic est loqui de ipso dupliciter. Aut inquan-

tum liberum, aut inquantum deficiens. Si inquantum liberum, sic natum est exire in actum æquitatis susceptibilem, et æquitate informatum. Si autem loquamur de ipso inquantum deficiens, sic liberum arbitrium, quia arbitrium liberum, exit in actum deliberativum: quia deficiens, exit in actum deformatum, et ita in malum. Sic ergo patet, quod liberum arbitrium secundum quod liberum est, habet objectum bonum, et exit in bonum, non in malum, sicut rationes ad secundam partem inductæ ostendunt. Nihilominus tamen inquantum cum libertate habet defectibilitatem, potest in malum, ita quod malitia non est objectum liberi arbitrii, nec a libero arbitrio secundum quod liberum, sed secundum quod deficiens; actus autem abstractus cum sit deliberativus, exit a libero arbitrio secundum quod liberum. »

Cui responso addamus, quod illud confirmat paulo supra, ubi idem S. Doctor habet sequentia: « Anselmus de libero arbitrio: Quod libertati appositum eam minuit, et separatum auget, non est libertas, nec pars libertatis: sed potestas peccandi est hujusmodi, ut dicit. Et ex hoc concluditur, quod potestas peccandi non est libertas, nec pars libertatis. Si igitur malum non est objectum, nisi potestatis peccandi, liberum arbitrium secundum quod hujusmodi non habet pro objecto malum.

Item posse peccare plus dicit impotentiam, quam potentiam, et plus dicit defectum, quam complementum: sed liberum arbitrium secundum quod liberum, est sub Deo potentissimum: ergo liberum arbitrium secundum quod liberum non habet objectum malum, sive peccatum.

Item si malum est objectum liberi arbitrii secundum quod liberum: ergo ubicumque est libertas arbitrii, est potestas ad malum: ergo vel in Deo est potestas ad malum, vel in ipso non est liberum arbitrium: quod si utrumque horum est impossibile, et contra Augustinum, restat, etc.

Item liberum arbitrium nunquam facit, nec appetit malum, nisi sub ratione boni: sed vinum, quia non appetitur nisi sub ratione dulcis, ipsum per se non est appetibile sed dulce: si ergo malum non appetitur, nisi in quantum apparet bonum, solum bonum est objectum liberi arbitrii.

Item unaquæque potentia est completior, cum conjuncta est suo objecto mediante actu, quam cum non est conjuncta: ergo si malum esset objectum liberi arbitrii secundum quod liberum: ergo insufficienter diffiniretur ab Anselmo, cum dicitur: Potestas servandi rectitudinem. Si tu dicas, quod bonum est objectum per se, et malum per accidens, hoc non solvit, quia non sufficienter diffinit medicinam, qui dicit eam esse scientiam sani, nisi addat ejus oppositum, licet medicina sit scientia sani per se, et ægri per accidens. »

202. De libero arbitrio in comparatione ad aliud agens creatum quæritur utrum ab eo possit cogi. Cum responsio negativa satis evidens sit, statim transimus ad quæstionem sequentem, ex cujus cæterum solutione præsens quæstio a fortiori resolvitur. Quærimus igitur utrum liberum arbitrium possit a Deo cogi, et respondemus cum S. Bonaventura: « Cum quæritur utrum liberum arbitrium possit cogi a Deo, dicendum quod illud potest intelligi dupliciter. Aut ita, quod intelligatur quod possit auferre libertatem et auferendo libertatem superinducere coactionem. Et hoc modo nulli dubium esse debet, quin Deus possit hoc facere quantum est de immensitate suæ potentiæ. Alio modo ut intelligatur, quod Deus cogat liberum arbitrium salva proprietate libertatis, et ejus natura. Et hoc modo non solum est impossibile: sed etiam non intelligibile pro eo quod implicat in se duo contradictorie opposita. Ex hoc enim quod liberum arbitrium est, si aliquid vult libere vult: et ex hoc quod voluntarium est, si aliquid vult, voluntarie vult, et seipso movente vult. Ex hoc autem quod cogitur, si aliquid vult, serviliter vult, et

si quid vult, invite vult, et si aliquid vult, ab alio vult: quia violentum est, cujus principium est extra, nihil conferente vim passo: ergo liberum arbitrium cogi non est aliud, quam actum liberi arbitrii simul, et semel esse liberum, et servilem, esse voluntarium, et non voluntarium, esse a se, et non a se. Si igitur impossibile est quod claudat in se utramque partem contradictionis, et non tantum est impossibile creaturæ, verumetiam creatrici essentiæ, quia illud posse, non est posse, sicut in primo libro ostensum est: planum est, quod liberum arbitrium, secundum hunc modum intelligendi, a Deo cogi est impossibile. Unde concedendæ sunt rationes ad hoc inductæ.

Ad intelligentiam autem rationum ad oppositum adductarum, notandum est quod differt dicere voluntatem induci, et voluntatem mutari, et voluntatem cogi. Tunc enim induci dicitur, quando aliqua persuasio fit, qua disponitur, ut ad aliquod appetibile inclinetur: quæ si valde intensa sit nomen coactionis sortitur quamvis non sit vera coactio, sicut supra ostensum est. Tunc autem voluntas mutatur, quando ipsa volente unum potenti virtute affectio immittitur ei ad contrarium, et de volente fit nolens, ita quod una affectio expellitur, et contraria inducitur, sicut patet, cum Deus de amatore temporalium, facit temporalium contemptorem: et hæc dicitur esse quædam compulsio, et tractio divina, ut voluntas ab eo separetur, cui per amoris glutinum fortiter jungebatur. Tunc autem voluntas dicitur cogi, quando intelligitur ipsam invitam aliquid velle, et repugante actu voluntatis deliberativæ, aliena virtute movente, et repugnantia manente, ad idem aliquid volendo inclinari: et hæc duo opposita implicat, sicut ostensum est. Voluntas igitur induci potest ab agente creato: mutari vero ab alio non potest, nisi ab agente increato: cogi vero ab aliquo non potest. Et pro tanto dicit Bernardus quod libertas voluntatis est ita plena suo modo in creatura, sicut in Creatore: et quod in omnibus reperitur æqualiter. »

203. Ultimo tandem quærit S. Doctor de libero arbitrio in comparatione ad corpus conjunctum, utrum nempe propter ineptitudinem corporis ligari habeat liberum arbitrium quantum ad usum. Et facilem quidem esse responsionem dicit quod ita sit, quemadmodum experientia patet in parvulis, dormientibus et furiosis, difficillimam vero *quare* ita sit, cum liberum arbitrium non sit potentia alligata organo. Allegatis autem tribus modis explicandi, quæ sibi videntur insufficientes vel inepti, sic pergit: « Propterea est quartus modus dicendi, quod scilicet operatio animæ in corpore impediri habet propter corporis ineptitudinem. Et hujus ratio est unio animæ, et corporis ad unius tertii constitutionem, quod est unum per essentiam: et cui debetur propria operatio secundum quod est unum. Hæc autem operatio non est vivere tantum, nec sentire, sive movere, sed ratiocinari, et intelligere. Et propter ipsam unionem non tantum pendet anima ex corpore, quantum ad actum sentiendi, sed etiam aliquo modo quantum ad actum intelligendi, quandiu est in corpore, sed longe aliter et aliter. Nam quantum ad actum vegetandi, et sentiendi, sic pendet, ut nullo modo possit eos exercere sine corpore: non autem sic de actu intelligendi. Sic etiam pendet, ut illos actus exerceat per corpus et per organum corporeum: non sic est de actu intelligendi: et ideo actum sentiendi dicitur communicare anima corpori. Unde non absurde omnino dicitur: Oculus videt: non sic autem dicitur de actu intelligendi. Dicitur autem anima sentire per corpus, et non intelligere per corpus, quia cum duo concurrant ad actum intelligendi, et sentiendi, videlicet recipere, et judicare, in sentiendo receptio speciei est a corpore, sed judicium est a virtute: et in intelligendo utrumque est a virtute intellectiva, videlicet ab intellectu possibili, et agente. Et propterea intellectus dicitur vis non alligata materiæ: et operationem hanc potest habere, cum est separata a corpore: quandiu autem est in corpore non

omnino intelligit præter corpus. Sicut enim esse animæ in corpore aliquo modo pendet ex corpore, quamvis non pendeat esse ipsius animæ in se: ideo ad hoc quod anima sit in corpore, necesse est corpus debite complexionatum esse, et ad illius complexionis corruptionem contingit animam non amplius esse in corpore: sic quandiu anima est in corpore intelligere suum non est sine corpore, et sine aliqua dispositione ex parte corporis, cujus actualitas conveniat actui intelligendi, sicut congrua dispositio correspondebat existentiæ animæ in corpore, et perfectioni ejusdem. Illa autem actualitas attenditur secundum illud, quod est supremum in corpore, et quantum ad nobilissimos spiritus: qui locum habent in nobilissimis organis corporis. Et quoniam cum aliquid aufertur ab aliquo, prius aufertur ab eo illud, quod est in eo excellentissimum: et cum aliqua virtus debilitatur, prius aufertur ab ea summum, quam illud quod est citra summum: hinc est, quod in læsione corporis citius tollitur illud, secundum quod conformabatur operationi intellectivæ, quam illud secundum quod conformatur operationi sensitivæ: et ideo fumositates ascendentes ad cerebrum, quæ perturbant spiritus in somnis, vel in pueris, vel in phreneticis, vel quæcunque alia læsio organorum, in quibus resident spiritus subtilissimi, et nobilissimi corporales, facilius impedit usum rationis, quam imaginationis. Et sic patet ratio, quare impeditur ex ineptitudine corporis rationis usus, et quare impeditur magis, quam usus inferioris virtutis. Ex hac eadem ratione colligitur quare magis impeditur ratio quantum ad usum liberi arbitrii, quam quantum ad alios actus rationales, quos in somnis, et in furiosis aliquando dignoscitur habere. Actus enim liberi arbitrii respicit potentiam rationalem, prout est in omnimoda et plena libertate. Liberum enim arbitrium dicit dominium potentiæ respectu actus, sicut supra determinatum est. Et quoniam cum impeditur aliqua virtus operativa, primo aufertur ei actus ille, qui ei

inerat secundum suam plenitudinem, sicut patet, cum aliquis infirmatur in pede, facilius ei aufertur potentia velociter currendi, quam potentia ambulandi : sive facilius impeditur hic actus, quam ille : sic et in proposito, facilius et frequentius contingit auferri usum libertatis, quam quemcunque actum potentiæ intelligendi. »

(Continuabitur.)

Dissertatio

Utrum narratio formationis Evæ *(Genes. II, 21, 22)* historicè accipienda sit, an verò parabolicè.

Locum hunc historice exponendum esse minimè indubitamus. Cum autem olim non imi subsellii theologus Cajetanus hanc narrationem parabolicè accipiendam esse duxerit, et interpretationem suam obnixè defendere conatus sit, cumque Cajetani sententiam non ita pridem doctissimus ejusdem Ordinis vir palàm probare visus sit (1), alienum non erit 1° opinionem Cajetani exponere; 2° ejusdem argumenta refutare; 3° explicationem historicam solidis rationibus stabilire.

I

Cajetani sententia proponitur.

Quid parabolicà suâ narratione (Gen. II, 21, 22) significare voluerit Moyses, hunc in modum exponit Caje-

(1) Scilicet R. P. Lagrange, in *Revue biblique*, 1897, p. 364 : « Cajétan, *ait*, a dit admirablement : *Cogor ex ipso textu et contextu intelligere hanc mulieris productionem, non ut sonat littera, sed secundùm mysterium, non allegoriæ sed parabolæ.* Selon la lettre, Dieu a enlevé une côte à Adam ; selon l'allégorie, Ève représente par exemple la raison inférieure ; selon la parabole, il s'agit ici d'une métaphore ou d'une comparaison. »

tanus: « Principio, *gravis ille et profundus somnus* à Deo immissus Adæ ex quo formata est Eva, metaphoricè significat *defectum virtutis virilis, ex quo defectu accidit ut generentur fœminæ.* Homo enim dormiens semihomo est, et similiter principium generans mulierem, semivirile est, quocirca mulier à Philosophis nominatur vir læsus et imperfectus. Quoniam autem talis defectus virtutis virilis non est per accidens respectu naturæ universalis, sed est ex intentione divina ad propagandam et conservandam speciem, ideo describitur ille somnus *immissus esse à Deo, ut intelligatur Deum esse auctorem deficientium modorum producendi. Ablatio verò costæ* ex viro ad formandam mulierem *quatenus costa est os, similitudo est diminutionis roboris ex animo viri ob uxorem. Quatenus autem est costa, similitudinem gerit socialis vitæ inter virum et mulierem degendæ*, et quod uxor nec domina nec serva, sed socia et collateralis viri esse debeat. Quatenus autem *una* tantùm fuit costa, denotavit *minimum robur quod est tum in corpore, tum in animo mulieris:* ita ut proportio virium muliebrium ad vires et robur virile talis sit, qualis est proportio unius costæ ad reliquas omnes costas. Postremo, *caro restituta* Adamo pro costa ei detracta, significavit *repensationem quæ fit viro, dando ei carnalem generationem et propagationem filiorum* loco roboris ei ob conjugium ablati et diminuti. Excusatur enim vir incurrens diminutionem virilis animi ducendo uxorem, eo quod dat operam carnali propagationi et conservationi speciei humanæ. » (1)

---

(1) Hanc Cajetani expositionem sic *ratione* evertit Billuart, *De opere sex dierum, Dissert. V*, Art. II: « Verba Scripturæ quæ aliquam Dei actionem important, quamvis metaphoram, vel in re facta, vel in modo actionis contineant, debent nihilominùs necessariò aliquam Dei actionem explicare, ut saltem in aliquo sensu vera sint. Atqui in metaphorâ quam hîc fingit Cajetanus, nulla actio Dei declaratur. Ergo. Prob. Min. Metaphora secundùm quam intelligit hunc textum Cajetanus in eo sita est 1° Quòd per costam significetur vita inter virum et uxorem 2° Quòd per subtractionem costæ denotetur diminutio roboris in viro propter uxorem. 3° Quòd ex eo quòd costa fuerit una tantum, significetur debilitas

II

Cajetani argumenta exponuntur ac refelluntur.

Jam verò Cajetanus quatuor argumenta adducit ad demonstrandum hanc narrationem non litteraliter sed parabolice intelligendam esse, nimirum:

1. « Ne si litteraliter intelligatur, inevitabile illud absurdum incurratur: Aut enim illa costa unde formata est Eva, erat ex necessariis costis Adæ, quare ea sublata mutilus et mancus extitisset Adam; aut erat Adæ superflua, ex quo sequitur necessario, ante detractionem ejus costæ Adam fuisse deformem atque monstrosum. Utrumvis dicatur de Adamo qui fuit omnium hominum pulcherrimus et absolutissimus, perabsurdum est. »

Ad hoc argumentum rectè respondet Bonfrerius: « Vel Adamus non plures costas tunc habebat, quàm postea habuit, et nunc nos habemus, hoc est duodecim, quæ est Catharini et Delrii sententia, qui postea putant *redditam costam cum carne,* sicut et *caro sumpta fuerat cum costa*, ut patet ex verbis Adami paulò pòst (v. 23: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, *et caro de carne meâ)*, cujus tamen hîc Scriptura non meminit: vel si plures costas tunc habuit quàm postea, reposita sola carne absque costa, non tamen debuit censeri Adam monstrosus, vel costa illa superflua, ut rectè D. Thomas I part. q. 92, art. 3. Nam monstrositas non est nisi ex defectu aut superfluitate corporis indecenter exteriùs apparente. Et licet costa illa superflua esset Adamo, ut particularis erat homo; tamen *non erat illi superflua*, *ut caput erat totius naturæ humanæ*, *et in quantum Deus illam costam*

---

fœminæ. 4° Quòd ex eo quòd Deus replevit carnem pro costa denotetur præfatam diminutionem roboris viri ob uxorem, compensari fructu prolis. Atqui in his omnibus nulla apparet actio Dei quæ per verba illa metaphorice sumpta explicetur: Ergo. » Quàm autem parabolica hæc Cajetani expositio arbitraria sit ac longè quæsita, multoque subtilior quàm solidior, nemo non videt.

destinarat ad formationem Evæ : sicuti semen superfluum est cuique individuo à quo deciditur, si secundum se spectetur, non est tamen superfluum si spectetur in ordine ad generationem et conservationem speciei. » Quemadmodum igitur semen est de perfectione generantis, ita costa illa decima tertia, decenter sub carne latens, nedum Adamum redderet monstrosum, ad ejus potius perfectionem pertinebat, non prout erat individuum quoddam, sed prout erat principium totius speciei humanæ.

2. « Satis insinuavit Moses, ait Cajetanus, quæ narrat de productione mulieris ex Adamo, ea per metaphoram et parabolam esse accipienda, cum dixit, *Evam esse adductam ad Adamum*. Nam si vere mulier *ex viro* formata esset, *juxta illum* fuisset, nec ex alio loco ad eum fuisset adducta. Oportet igitur orationem Mosis non propriè, sed mysticè ac parabolicè interpretari. »

Verùm ex eo quòd Eva *ex Adamo* formata sit, non necessariò sequitur eam omnino *juxta illum* conditam fuisse. Nonne potuit Deus costam Adæ in locum aliquantulùm ab eo remotum transferre, ibique ex eâ efformare mulierem, atque hanc inde adducere ad Adamum? Perabsurdum foret id negare. Cur autem Deus Evam adduxerit ad Adamum, varias rationes adfert Pererius: « Prima ratio: Eva condita est ut esset Adæ socia; dixit enim Deus: *Non est bonum hominem esse solum:* ad incundam igitur et contrahendam hanc mulieris et viri societatem et consortium, Eva dicitur ad Adamum adducta. Altera ratio: Adducta sunt animalia ad Adamum, ut is consideraret num aliquod eorum sibi commodum et idoneum ad societatem et generationem prolis esse posset: nullo autem reperto, creata est Eva et adducta ad Adamum, ut cognosceret illam fore sibi adjutorium maxime idoneum, et ad societatis jucunditatem, et ad opus generationis: id quod Adam cùm primùm Evam vidit, apertis vèrbis confessus et testatus est. Tertia ratio: Significatum est virum non

esse propter fœminam, sed fœminam esse propter virum, et idcircò non vir ad fœminam ductus est, sed ad virum fœmina. Quarta ratio : Ea deductio mulieris ad virum, significavit quasi desponsationem et contractum matrimonii inter præsentes : nam inter absentes vix benè ac prospero successu contrahitur matrimonium... Hujus autem primi conjugii veluti conciliator et paranymphus ipse Deus fuit. »

3. Porrò simul esse creatos Adam et Evam, et non Evam post Adam, nec ex Adam, Cajetanus ex eo colligit quod in primo capite Geneseos dixit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, et mox subjecit Moses : *Masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini.* Simul igitur uterque sexus est à Deo conditus.

At verò, ut recte notat Pererius « Scriptura non dicit eos simul esse factos. Nam cum Moses eo loco sexti diei opera commemoraret, strictim et sub compendio posuit creationem viri et fœminæ, ut quæ ad opus sexti diei pertineret. Creati igitur sunt *simul*, id est, *eodem sexto die*, sed *non simul*, id est, *eodem temporis puncto.* Absolutà verò operum omnium quæ sex illis primis diebus à Deo facta sunt expositione, Moses cap. II revertitur ad enarrandam productionem viri et fœminæ, declarans quam diverso modo utriusque corpus à Deo factum sit : *viri* scilicet *ex pulvere terræ, mulieris* autem *ex costa viri.* Et vero, frequens est in Scriptura primùm rem breviter ac pressè narrari, posteà verò per singulas partes et circumstantias subtilius, distinctius et explicatius declarari. Præterea illud contendo adversus Cajetanum : Si quæ narrat Moses de procreatione mulieris ex viro non sint historicè accipienda, sed parabolicè, ex eo necessariò effici, nusquam tradi in Scriptura modum quo generata sit Eva : nam extra hunc locum, nusquam alibi ea de re fit mentio. Parabolica verò Cajetani interpretatio non singularem et propriam Evæ procreationem demonstrat, sed generalem omnium mu-

lierum, quæ naturali modo fit, generationem ostendit. »

4. Tandem: « Nec obstat, ait Cajetanus, si objiciatur quod productio mulieris ex costa viri à Scripturâ narratur per modum historiæ seu rei gestæ; tum quia non minus narrantur per modum historiæ sex dies naturales cum vespere et mane, et tamen non oportet intelligere opera illa fuisse facta per hujusmodi naturales sex dies. Tum quia pœna serpentis inferius per modum quoque historiæ describitur, et tamen puerile esse constat intelligere illam corporaliter ut sonat. »

Nota. Censet Cajetanus universum mundum simul eodemque temporis puncto factum et consummatum fuisse, ac dictinctionem sex dierum in id à Moyse positam fuisse, quo facilius declararet naturalem rerum ordinem, consequentiam et dependentiam. Rejicit igitur mosaicæ narrationis sensum *historicum* sive *proprium* sive *metaphoricum*, amplectitur autem sensum mere *allegoricum* seu *parabolicum*. Enimvero ut sensui *historico proprio* (sex dierum naturalium) valedicamus, satis nos cogere videntur scientiæ naturales; ut autem jam etiam sensui historico *methaphorico* (sex epocharum) renuntiemus, adsunt quidem probabiles rationes, minime tamen cogentes. Quod vero spectat serpentem de quo cap. III, arbitratur Cajetanus serpentis nomine non verum serpentem, sed parabolicè solum dæmonem intelligendum esse, quam sententiam utpote obvio verborum sensui necnon omnium Patrum et Theologorum doctrinæ contrariam omnino repudiamus.

Jam igitur Cajetano respondeamus:

a/ Quod objicit, distinctionem sex dierum mundani opificii, tametsi modo historico tradatur, non historicè tamen, sed parabolice intelligendam esse, id nos negamus ac negabimus donec illud quis demùm solidiùs quàm hactenùs demonstraverit. Quod autem opponit nomine serpentis figuratè designari solum diabolum, id falsum esse haud dubitamus. Quà de re data occasione ex professo agemus.

b/ Sed etsi daretur Cajetano utrumque locum parabolice accipiendum esse, non tamen inde sequeretur narrationem formationis Evæ pariter parabolicè exponendam esse : est enim certa interpretationis regula, ea quæ *modo historico* traduntur, historicè accipienda esse, nisi sensus historicus absurdus appareat.

Rectè et appositè S. Augustinus *(De Genesi ad litteram)* explicaturus historiam de colloquio serpentis et Evæ, hæc præfatur : « Antequam hujus propositæ Scripturæ textum ex ordine pertractemus, admonendum arbitror quod jam me et alibi in hoc opere memini prælocutum, illud à nobis esse flagitandum, *ut ad proprietatem litteræ defendatur quod gestum narrat ipse qui scripsit.* Si autem in verbis Dei, vel cujusquam personæ in officium propheticum assumptæ dicitur *aliquid quod ad litteram nisi absurdè non possit intelligi*, proculdubio *figuratè dictum* ob aliquam significationem accipi debet. » Proindè « consentaneum et æquum non esset, ait Pererius, *ut si quid in omni narratione Mosis sit ejusmodi ut id ratio veritatis et pietatis Christianæ figuratè interpretari cogat, omnia quæ in ea narratione traduntur, similiter accipi et explanari debeant.* » Nihil autem esse absurdi in eo quod Eva condita sit ex costa Adami, supra jam satis ostendimus.

c/ Rursùm etiamsi narrationem sex dierum formationis mundi (Cap. I), necnon colloquii serpentis cum Eva (Cap. III) figuratè accipere oporteret, nequaquam sequeretur formationem mulieris capite secundo narratam figuratè exponendam esse, *cum omnia quæ narrationem formationis Evæ eodem capite* IMMEDIATE *sive præcedunt sive sequuntur, planè* HISTORICA *sint.* Historica sanè est quæ ibi præcedit relatio formationis Adami, paradisi voluptatis, ligni vitæ, ligni scientiæ boni et mali, præcepti divini Adamo dati, adductionis omnium animalium ad Adamum (7-20) ; historica pariter quæ sequuntur verba ab Adamo prolata (23, 24), necnon utriusque protoparentis nuditas absque erubescentia (25).

Historica igitur dicatur etiam intermedia narratio formationis mulieris (21, 22). (1)

d/ Si hoc argumentum Cajetani per se peremptorium esset, cum juxta ipsum tria priora Geneseos capita parabolicè accipienda sint, sequeretur quartum etiam caput parabolicè explanandum esse, neque finem fore interpretationis parabolicæ. Figuratè igitur jam accipienda essent quæ narrantur capite quarto, v. 1: « *Adam vero cognovit uxorem suam Evam: quæ concepit et peperit Caïn* etc. » (2)

Jure igitur judicat Hummelauer *(in h. l.)* Cajetanum hac in re *argumentis nisum esse perquam infirmis, ejusque sensum parabolicum meritò ab interpretibus omnibus rejici.* Ast mirum nobis videtur quartum argumentum suprà ex Cajetano allatum apud eumdem Auctorem cum laude citari. Mirum pariter nobis apparet costam Adæ juxta Hummelauer fortasse non revera, sed non nisi in visione ablatam fuisse: « Profecto, ait, solo Geneseos textu haud videmur adigi, ut costam *revera et præter visionem* ablatam esse teneamus. At, inquiunt, id efficit S. Pauli auctoritas 1 Cor. XI, 8: « Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro ». Quidquid sit de hoc aliisve textibus, adverte *quam exiguo tandem intervallo duæ illæ sententiæ ab invicem dividantur*. Altera sc. tenet *ablatam esse costam et auferri conspectam in visione, at continuo atque unico veluti interjecto momento aliam in ejus esse locum suffectam;* altera *in se nihil esse ablatum, nihil suffectum*

(1) Animadvertere etiam juvat stilum ac tenorem secundi capitis Geneseos multùm differre à descriptione opificii sex dierum, adeoque nihil impedire quominus ea quæ secundo capite narrantur historice accipiantur, prouti sonant, etiamsi primum caput allegoricè exponendum esse demonstraretur.

(2) Rectè posset quis adversùs Cajetanum ita ratiocinari: Quæ narrantur capite quarto et sequentibus, absque ullo dubio historicè accipienda sunt: ergo etiam ea quæ præcedentibus capitibus sub forma historica referuntur, historicè pariter intelligenda sunt, nisi certis indiciis (qualia quoad præsentem quæstionem non allegat Cajetanus) constet ad sensum parabolicum necessariè confugiendum esse.

tuetur, *visione tamen conspectam auferri costam*, quo matrimonii sanctitas et firmitas significetur. *Utram libuerit sententiam amplectere.* »

Ad hæc merito R. P. Lagrange l. c.: « Le P. Hummelauer déclare que le sens parabolique de Cajétan est justement rejeté par tous. Et cependant le texte ne nous oblige pas, d'après lui, à soutenir que Dieu a vraiment enlevé la côte: il se peut que tout se soit passé en vision. *Mais si vraiment la femme n'a pas été formée en réalité de la côte d'Adam, nous ne sommes plus dans la lettre de l'Ecriture. C'est un caprice exégétique de prétendre qu'Adam a cru voir pendant son sommeil que Dieu lui enlevait une côte. L'Ecriture ne dit pas cela: elle dit que Dieu a pris une côte et l'a bâtie pour en faire une femme: ce qu'il faut entendre au sens propre ou au sens figuré. Entre la réalité et la vision, il y a bien peu de différence, dit le R. P. Mais il y en a encore moins entre deux explications qui supposent la non-réalité.* »

Et re quidem vera, quemadmodum idem fere est *in visione tantum* ac *solùm figurate occidi*, longe autem ab utroque diversum est *revera occidi*, ita in visione tantùm ablatam fuisse costam Adami perinde fere est ac figuratè solùm idem contigisse, longè autem diversum ab utroque est id revera factum fuisse.

Pergit autem R. P. Lagrange: « Quoiqu'il en soit, le savant Jésuite (Hummelauer) admet qu'on n'est pas obligé de croire qu'en fait Ève a été formée de la côte d'Adam. *C'est un immense progrès;* il restera à choisir entre la *vision* et la *parabole.* » Progressum id vocari concedimus, et immensum quidem, ast præposterum, retrogradum incautumque. Jam autem, repudiandum esse sensum historicum atque eligendum inter *visionem* et *parabolam*, id pernegamus, tùm quia, uti suprà jam ostendimus, utraque ista sententia solido caret fundamento, tùm quia sensus historicus argumentis nititur firmissimis: quod jam demonstrandum suscipimus.

(Sequetur).

G. V. D. P.

Législation civile ecclésiastique

Loi du 24 Avril 1900 relative aux traitements des ministres du culte catholique et aux pensions civiles et ecclésiastiques.

(Suite — voir ci-dessus, p. 514).

ARTICLE III.

Le traitement court à partir du 1er du mois qui suit l'entrée en fonctions; il cesse à la fin du mois dans lequel les fonctions prennent fin.

Les augmentations de traitement à raison de l'âge ou des années de service, courent à partir du 1er Janvier de l'année qui suit le jour où l'intéressé a atteint l'âge prescrit ou a rempli ses fonctions durant le temps requis.

Le premier paragraphe de cet article n'est que la consécration légale de la règle fixée par les articles 2 et 3 de l'arrêté royal du 30 Mars 1836, et par les articles 69 et 70 de l'arrêté royal du 10 Décembre 1868.

Aux termes de l'arrêté royal du 30 Mars 1836,

« Lorsqu'une place devient vacante, le traitement du mois pendant lequel la vacance a commencé est... payé à l'ancien titulaire ou à ses héritiers » (art. 2).

« L'ecclésiastique nommé à la place vacante, soit provisoirement, soit définitivement, a droit au traitement attaché à cette place à partir du 1er du mois qui suit **sa nomination** » (art. 3).

D'autre part, l'arrêté royal du 10 Décembre 1868, portant règlement général sur la comptabilité de l'État, dispose comme suit :

Art. 69. « Les fonctionnaires et employés nommés à des emplois dans les administrations civiles ou dans l'ordre judiciaire, et les ministres des cultes rétribués par l'État, jouissent de leur traitement à compter du 1er du mois qui suit immédiatement celui pendant lequel ils sont **entrés en fonctions**.

En cas de changement ou de promotion, ils n'ont droit au traitement attaché à leurs fonctions nouvelles qu'à dater du 1er du mois qui suit **leur installation**...

Art. 70. Les fonctionnaires et employés dans la partie civile ou judiciaire, les ministres des cultes rétribués par l'État, en cas de démission, et leur héritiers ou ayants cause, en cas de décès, n'ont droit au payement du traitement que pour le mois pendant lequel la démission ou le décès a eu lieu ».

D'après les prescriptions du droit canonique, les curés et autres bénéficiaires ecclésiastiques n'ont droit aux émoluments afférents à leurs fonctions que du moment de *la prise de possession*. Le législateur, en exigeant *l'entrée en fonctions*, s'est de fait conformé à ces prescriptions; mais nous doutons fort qu'il ait eu cette préoccupation. Il résulte en effet des documents cités que le gouvernement emploie indifféremment les termes *nomination*, *entrée en fonctions*, et *installation;* et l'article 4 prouve que le mot *entrée en fonctions* employé à l'article 3 ne doit pas être entendu strictement. Quoi qu'il en soit, le gouvernement s'en réfère, pour le payement des traitements, aux états qui lui sont fournis par l'autorité diocésaine.

Le second paragraphe de l'article 3 modifie la pratique existante. Aux termes de l'article 69, § 3, de l'arrêté royal du 10 Décembre 1868, « les augmentations de traitement prennent cours à partir *du* 1er *du mois* après celui pendant lequel elles ont été accordées ». Dorénavant ces augmentations ne courront, pour les ministres du culte, qu' « à partir *du* 1er *Janvier de l'année* qui suit le jour où l'intéressé a atteint l'âge prescrit ou rempli ses fonctions durant le temps requis ».

Par application de cette règle, combinée avec la disposition de l'article 10, les ecclésiastiques qui, au 1er Janvier dernier, se trouvaient dans les conditions prévues par les articles 2 et 7, ont droit, depuis le 1er Avril, aux traitements moyens ou supérieurs fixés par l'article 1er; ceux au contraire qui, à la date du 1er Janvier, n'avaient pas atteint l'âge prescrit ou exercé

leurs fonctions pendant le temps requis, mais qui rempliront ces conditions au plus tard le 31 Décembre de cette année, obtiendront les augmentations prévues par la présente loi à partir du 1er Janvier 1901 ; et, dans la suite, il faudra et il suffira, pour tous les intéressés, qu'ils se trouvent dans les conditions prescrites, au plus tard le 31 Décembre d'une année, pour jouir des augmentations à partir du 1er Janvier de l'année suivante.

ARTICLE IV.

L'ecclésiastique qui remplit à titre provisoire les fonctions de curé, de desservant ou de chapelain, a droit au traitement attaché à la place vacante jusqu'au premier jour du mois qui suit la nomination du nouveau titulaire.

Toutefois, s'il reçoit un traitement de l'État à raison d'une autre place de curé, de desservant, de chapelain ou de vicaire, il n'a droit à l'intégralité du traitement inférieur attaché à la place vacante que pendant les trois mois qui suivent sa nomination ; après ce terme, il jouit de la moitié du traitement inférieur.

Cet article, relatif à la rémunération due aux ecclésiastiques qui desservent provisoirement une cure, une succursale ou une chapelle, reproduit *en substance* les dispositions existantes concernant la matière. (1)

Le texte nouveau ne diffère de l'ancien texte qu'en ce que, dans le second paragraphe, les mots « *traitement* inférieur » sont substitués au mot « *traitement* ». Cette substitution, qui n'a pas été faite dans le premier paragraphe de l'article, nous éclaire sur l'intention du législateur et sur la portée des termes « *traitement attaché à la place vacante* » dans la nouvelle loi.

Pour déterminer le taux de ce traitement, on considérait, sous l'ancien régime, *la situation de l'ecclésiastique appelé à remplir provisoirement les fonctions* de curé,

(1) Cette matière avait été réglée par les arrêtés royaux du 15 Mars 1825, du 30 Mars 1836, et du 27 Août 1837. Cf. *Collationes*, T. I, p. 321 ss.

: desservant ou de chapelain ; et on lui donnait, en
ute hypothèse, le traitement attaché à la place va-
ante *d'après l'âge qu'il avait*. Ainsi, le desservant pro-
isoire d'une succursale touchait soit le traitement
iférieur de 950 francs, soit le traitement moyen de
100 francs, soit enfin le traitement supérieur de 1200
ancs, selon qu'il était âgé de moins de 60 ans, de 60
70 ans, ou de plus de 70 ans.

Désormais, on considèrera *la situation de l'ancien
'ulaire* de la place, et le traitement de l'ecclésiastique
ui en remplit provisoirement les fonctions sera *différent
après les cas*.

Deux hypothèses sont prévues : 1° la place vacante
st remplie à titre provisoire par un ecclésiastique qui
reçoit aucun traitement de l'État comme curé, des-
rvant, chapelain ou vicaire ; 2° la place est desservie
r un ecclésiastique à traitement du chef d'une autre
ace.

Au premier cas, l'intérimaire a droit à tout le traite-
ent, *quel qu'il soit*, de son prédécesseur. Il continue
s services de celui-ci, et touche les émoluments du
ré, desservant ou chapelain qu'il remplace — traite-
ent inférieur, moyen, ou supérieur, d'après la situation
ont jouissait le titulaire.

Dans le second cas, le desservant provisoire cumule
ux traitements. Il conserve celui de la place qu'il
ccupe, et on lui accorde, du chef de la nouvelle
nction, le *traitement inférieur* qui y est attaché, sauf
réduire ce traitement de moitié si l'intérim dure plus
e trois mois.

Il résulte de la combinaison de l'article 4 avec le § 1er
l'article précédent, que le desservant provisoire
une cure, succursale ou chapelle, ne recevra de ce
ef aucune rémunération de l'État, toutes les fois que
n entrée en fonctions et la nomination du nouveau
tulaire tombent dans le même mois.

ARTICLE V.

Les articles 22 et 24 de la loi du 24 Juillet 1844 sont remplacés par les dispositions suivantes :

« Art. 22. Pour avoir droit à la pension fixée par l'article précédent, il faut avoir atteint l'âge de 65 ans et compter trente années de service.

« Seront comptées comme années de service, celles pendant lesquelles le titulaire aura rempli des fonctions ecclésiastiques, non rétribuées par le trésor public, que le gouvernement reconnaîtra avoir été nécessaires aux besoins du culte, telles que celles d'aumônier d'un établissement hospitalier, de professeur dans un séminaire et de professeur de religion dans les établissements d'instruction.

« Art. 24. Cette pension sera fixée ainsi qu'il suit :

« Pour dix ans de service, la moitié de la pension entière, plus un soixantième de celle-ci pour chaque année de service à ceux qui auront plus de dix ans et moins de vingt ans de service ;

« Pour vingt ans, les deux tiers de la pension entière, plus un trentième de celle-ci pour chaque année de service à ceux qui auront plus de vingt ans et moins de trente ans de service ;

« Pour trente ans de service, la pension entière ».

Pour l'intelligence de cet article, nous donnons ci-après le texte des dispositions correspondantes de la loi de 1844, ainsi que des autres articles de cette loi visés dans les dispositions actuelles.

Après avoir, à l'article 20, établi le principe des pensions de retraite et déterminé les conditions *générales* de leur octroi (1), le législateur de 1844 dispose comme suit :

« Art. 21. Le montant de la pension entière est égal au taux moyen du traitement dont le démissionnaire a joui pendant les cinq dernières années sur le trésor.

---

(1) Cf. *Collationes*, T. III, p. 344.

« Néanmoins, la pension ne peut excéder 6000 francs. (1)

« Art. 22. Pour avoir droit à la pension fixée par l'article précédent, il faut avoir atteint l'âge de 65 ans et compter *quarante années de service.*

« Seront comptées comme années de service celles pendant lesquelles le titulaire *aura été aumônier d'un hôpital*, **ou** aura rempli *d'autres fonctions ecclésiastiques*, non rétribuées par le trésor public, et que le gouvernement reconnaîtra avoir été nécessaires aux besoins du culte.

« Art. 23. Les ecclésiastiques qui, n'ayant pas atteint leur 65me année, seront obligés de se démettre de leurs fonctions pour cause d'infirmités, seront admis à la pension, pourvu qu'ils aient au moins 10 années de service.

« Art. 24. Cette pension sera fixée ainsi qu'il suit:

« Pour *40 ans* de service, la pension entière;

« Pour *30 ans*, les 2/3 de la pension entière, plus 1/30 de cette dernière pour chaque année de service depuis 30 ans jusqu'à 40;

« Pour *10 ans*, la moitié de la pension entière, plus 1/120 de celle-ci pour chaque année de service depuis 10 ans jusqu'à 30 ».

Aux termes de l'article 21, la *pension entière* est égale au taux moyen du traitement dont le démissionnaire *a joui* pendant *les cinq dernières années.*

Ici se place une question qui a été posée au cours de la discussion de la nouvelle loi.

A la séance du Sénat, en date du 18 Avril 1900, M. Le Clef fit au ministre de la justice la question suivante:

« Faut-il avoir été en fonctions durant cinq ans à dater de la mise en vigueur de la loi (soumise à nos délibérations) pour jouir d'une pension égale au taux moyen du traitement des cinq dernières années tel qu'il sera fixé par la loi? Je prends un exemple. La loi entre en vigueur le 1er Avril 1900. Un desservant qui réunit toutes les autres conditions d'admission à la pension, savoir trente années de service et 65 ans d'âge, donne sa démission le 1er Avril 1901; quelle est la pension dont il jouira? Il a joui pendant quatre ans

---

(1) Ce maximum a été réduit à 5000 fr. par la loi du 17 Février 1849. Le maximum des pensions a été relevé par la loi du 10 Janvier 1886 (*Moniteur* du 15 Janvier); mais il résulte des discussions parlementaires auxquelles cette loi a donné lieu que le maximum de 5000 francs a été maintenu en ce qui touche les pensions du clergé.

d'un traitement de 1100 francs, et pendant une année d'un traitement de 1400 francs. Aura-il une pension de 1160 frs ($4 \times 1100 = 4400 + 1400 = \frac{5800}{5} = 1160$) ou bien une pension de 1400 francs ($5 \times 1400 = \frac{7000}{5} = 1400$)? Le texte de la loi semble lui donner un effet rétroactif, et cependant les discussions de la Chambre ne paraissent pas lui accorder ce caractère » (*Ann. parl.*, p. 406).

Le ministre répondit à la séance du 19 Avril :

« Il faut suivre pour les membres du clergé les règles générales sur les pensions. Or, l'article 21 de la loi de 1844 décide que le montant des pensions est calculé sur le taux moyen des traitements dont le pensionné *aura effectivement joui* pendant les cinq dernières années de sa carrière active. Il faudra donc prendre la moyenne du traitement, qui a été de 1100 francs pendant quatre années et de 1400 francs pendant une année, pour établir le taux de la pension » (*Ann. parl.*, p. 414).

C'est donc le taux du traitement *réel*, dont le bénéficiaire a *effectivement* joui, qui sert de base pour le calcul de la pension.

Cette règle s'applique aussi, comme nous verrons, aux pensions *en cours* dont la révision est prévue à l'article 9.

L'article 22 règle les *conditions spéciales* requises pour avoir droit à la *pension entière* telle qu'elle est fixée par l'article précédent.

Ces conditions sont au nombre de deux :

1° Aujourd'hui, comme autrefois, l'intéressé doit avoir atteint *l'âge de 65 ans;*

2° Il doit compter, non plus quarante années, mais *trente années de service*, c'est-à-dire qu'il doit fournir un total de trente années, soit consécutives, soit interrompues, *de fonctions admissibles pour la pension.*

Or, aux termes du § 2 du nouvel article 22, le titulaire pourra porter en ligne de compte, outre les années de services salariés par le trésor public, celles pendant lesquelles il « aura rempli des fonctions *ecclésiastiques*, *non rétribuées* par le trésor public, *que le gouvernement reconnaitra avoir été nécessaires aux besoins du culte*, telles que celles *d'aumônier* d'un *établissement hospitalier*, de *professeur dans un séminaire* et de *professeur de religion* dans *les établissements d'instruction* ».

En comparant ce texte à celui du paragraphe correspondant de la loi de 1844, le lecteur constatera que la rédaction a subi une double modification. D'abord, le législateur *spécifie* diverses fonctions « que le gouvernement reconnaitra avoir été nécessaires aux besoins, du culte » ; ensuite, il classe parmi ces fonctions « celles *d'aumônier d'un établissement hospitalier* », fonctions qui, d'après l'ancien texte, étaient *de droit* assimilées aux services admis dans la liquidation des pensions. D'où il résulte, nous semble-t-il, que la volonté du législateur a été *de faire considérer*, dans tous les cas, comme nécessaires aux besoins du culte, les diverses fonctions qu'il énumère : ce qui n'empêche d'ailleurs pas que le gouvernement *pourra* en admettre d'autres qu'il reconnaitra avoir été nécessaires aux besoins du culte. Cette interprétation est confirmée par les travaux préparatoires. L'*Exposé des motifs* et le *Rapport* présenté à la Chambre s'accordent pour dire que « le nouvel article 22 est rédigé de manière à *prévenir* autant que possible *les difficultés d'interprétation* au sujet du droit que possède le gouvernement d'apprécier quelles sont les fonctions, non rétribuées par le trésor public, qui ont été nécessaires au besoin du culte et qui sont, à ce titre, admissibles dans la liquidation des pensions » (Ch. des Repr. *Doc. parl.*, pp. 65 et 100); et le ministre de la justice a déclaré au Sénat que la modification introduite à l'article 22 a pour objet « de *fixer d'une manière définitive* l'interprétation qui en avait été donnée par la juris-

prudence administrative » (*Ann. parl.*, p. 413). C'est d'ailleurs en ce sens que la disposition a été comprise par les membres de la législature, comme il appert des textes rapportés ci-dessous.

(A suivre.)

C. V. C.

Jurisprudence administrative

Fabrique d'église — donation d'une maison avec dépendances pour servir à perpétuité d'habitation au curé de l'église donataire moyennant un loyer déterminé — clause illégale

—

Par acte passé le 26 Juillet 1899, M.M. Jules Dubar, desservant a Masnuy-Saint-Jean, et consorts, firent donation à la fabrique de l'église du Sacré-Cœur, à La Gage (Neufvilles), d'une maison avec dépendances et jardins, sise au dit hameau de La Gage, « sous la condition expresse que la dite maison et ses dépendances serviront à perpétuité d'habitation à messieurs les curés de l'église donataire, qui ne seront tenus de payer, de ce chef, à la fabrique de l'église, qu'un loyer annuel de 400 francs ».

La fabrique de l'église avantagée accepta cette libéralité, sous réserve de l'approbation de l'autorité compétente ; mais cette approbation ne fut accordée qu'au vu d'une déclaration, en date du 30 Avril 1900, aux termes de laquelle les donateurs consentirent « à ce que la clause précitée en vertu de laquelle la maison doit servir à perpétuité d'habitation au desservant, soit considérée comme l'expression d'un simple vœu ». Arrêté royal du 20 Juin 1900 (*Moniteur*, p. 2911).

Observations.

Cette décision est connexe avec l'importante question de savoir si les fabriques d'église ont qualité pour

recevoir les libéralités ayant pour objet la fondation de maisons presbytérales.

Jusqu'en 1865, il n'y avait pas le moindre doute sur la capacité des fabriques de posséder et d'acquérir des presbytères. Cependant la Cour de Cassation ayant décidé, par son arrêt du 28 Décembre 1865, que la charge de fournir un logement au curé incombe, en ordre principal, à la commune (1), le gouvernement en déduisit, par voie de conséquence, que la commune seule, à l'exclusion de la fabrique d'église, a compétence pour recevoir les libéralités destinées à ce service. (2)

Cette conclusion, appuyée sur la théorie de *la spécialité des services*, suivant laquelle la compétence des établissements publics est limitée à l'objet propre que la loi leur assigne, fut admise par les jurisconsultes de l'école libérale, et consacrée par les tribunaux. (3)

La théorie spécieuse de la spécialité des services est aujourd'hui fort en faveur. Cette division correcte, symétrique des services, cet arrangement idéal de cellules bien disposées, en même temps qu'ils assurent l'omnipotence de l'Etat, répondent à merveille aux conceptions d'une bureaucratie étroite. Néanmoins, quand même on s'y rallierait, la question de compétence qui nous occupe ne serait point tranchée. Il ne suffit pas, en effet, de proclamer le principe de la spécialité des services; il s'agit de rechercher si le législateur n'a pas fait rentrer précisement dans l'objet assigné aux fabriques l'acquisition des maisons presbytériales. Or, les fabriques d'église sont des personnes civiles représentant le culte et chargées de pourvoir à ses besoins; elles tiennent de leur nature, de leur mission, et de la

(1) Cf. *Collationes*, T. III, p. 212, et T. IV, p. 62.

(2) Cf. Dépêche de M. Bara au gouverneur de Liège, en date du 31 Août 1869, rapportée par Giron, *Dict. de droit adm.*, V° Fabriques d'église, n. 60. Voir, dans le même sens, les arr. roy. du 25 Mai 1874, du 6 Avril et du 13 Novembre 1876.

(3) Cf Arrêt de la Cour de Liége, du 29 Mai 1889, (*Pasic*, II, p. 303).

loi (1), le droit d'acquérir et de posséder les immeubles destinés au logement des curés.

Aussi le gouvernement a-t-il depuis longtemps modifié sa jurisprudence. D'après la pratique administrative en vigueur depuis 1884, les fabriques ont concurremment avec les communes la compétence nécessaire pour recevoir les dons et legs faits en vue de la fondation de presbytères. (2).

L'arrêté royal que nous commentons n'est pas en opposition avec cette jurisprudence.

Le gouvernement n'a pas accepté la clause affectant à perpétuité l'immeuble donné à l'habitation du curé, parce qu'il ne s'agit pas, dans l'espèce, d'une *fondation de presbytère*. En effet, la maison ne peut être mise à la disposition du curé que contre *payement d'un loyer*.

Par conséquent, la donation faite à la fabrique n'exercera aucune influence en ce qui concerne les obligations de la commune quant au logement dû au curé; la commune devra payer une indemnité de logement au curé, et la donation ne la privera pas de son droit soit de fournir elle-même le logement en nature, soit de construire un presbytère.

C. V. C.

---

(1) Cf. Loi du 18 Germinal an X, art. 72; décret du 30 Mai 1806, art. 4; décret du 30 Déc. 1809, art. 1, 37, 42 et 43.

(2) Cf. Circ. min. du 3 Sept. 1884, et du 15 Mai 1885; arr. roy. des 8 Mai et 13 Nov. 1896 (*Monit.*, pp. 1852 et 4829); du 27 Janv. 1898 (*Monit.*, p. 532); des 27 Fév., 15 Juin, et 18 Nov. 1899 (*Monit.*, pp. 864, 2447 et 4862).

Ce n'est pas sans étonnement que avons vu l'estimable Revue « *Het Vlaamsch Bestuur* », dirigée par M. de Corswarem, défendre, dans la livraison d'Avril dernier (T. XI, p. 113 ss), une opinion contraire au droit des fabriques d'église; d'autant plus que M. de Corswarem, dans son ouvrage « *Uitlegging der wetten over de kerkfabrieken* » admet formellement la compétence des fabriques, (nn. 395 et 437), et suppose cette même compétence dans la Revue prémentionnée (T. IX, p. 212).

E S. Congr. Rituum

Decretum circa commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in suffragiis Sanctorum.

Quum dubia sæpius exoriantur circa Commemorationes in Suffragiis agendas, tum ex eo quod varios casus particularesque generalis non valeat contemplari Rubrica; tum quia super eadem declarationes innumeræ, ab hac Sacra Congregatione prolatæ, in Decretorum Collectione hac illac dispersæ, sine gravi labore vix reperiri queant; ac præterea, pro variis locis casibusque peculiaribus plerumque emanatæ, quamdam aliquando antinomiæ speciem inter sese ferre videantur; ut in re quotidiani fere usus, quæ in diversis Ecclesiis, pro varietate Titularium ac Patronorum, necessario est dissimilis, norma quædam certa habeatur et obvia: Sacra Rituum Congregatio, re mature considerata, per Generale Decretum ad dubia quæcumque tollenda, ea quæ sequuntur, declarare ac decernere statuit:

I. Quilibet, sive Secularis sive Regularis, alicujus Ecclesiæ servitio, quocumque canonico titulo, addictus, dummodo Ecclesia sit publica etsi non consecrata, tenetur, tam in Vesperis quam in Laudibus, diebus a Rubrica notatis, inter Suffragia Commemorationem agere de ejusdem Ecclesiæ Titulo, non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili; et quamvis commemoratio jam soleat fieri Patronorum loci vel regionis.

II. Commemorationes in Suffragiis nunquam fiant de iis Mysteriis vel Sanctis, de quibus eadem die agitur Officium. Immo neque in Officio votivo de Passione, fiat Commemoratio de S. Cruce aut de SS. Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi; sed neque de S. Michaële Archangelo in Officio votivo S^s^. Angelorum.

III. Similiter, Commemoratio de Ecclesiæ Titulo, jam communiter in Suffragiis agenda, semel tantum fiat, et per Antiphonam communem. Itaque, si Titulus Ecclesiæ sit ipsa sancta Crux, ejus Commemoratio, tam intra quam extra tempus Paschale, non fiat nisi semel; et per Antiphonam,

Versiculum et Orationem, quæ inter Suffragia pro diversitate temporum annotantur. Pari prorsus modo, Commemoratio de Beata Maria Virgine, alicujus Ecclesiæ Titulari, etiam sub denominatione Annuntiationis, vel Assumptionis, vel hujusmodi quacumque alia, fiat semper per Antiphonam communem *Sancta Maria succurre miseris*, cum Versiculo et Oratione ibidem suppositis: et hæc sola Commemoratio sufficiat, ut dictum est supra.

IV. Si vero tam Officium diei, quam Commemorationes circa idem objectum, haud tamen sub eadem ratione versentur; tunc Commemoratio Tituli non omittatur. Sic de SS. Salvatore, Ecclesiæ Titulo, agenda est Commemoratio etiam post Commemorationem S. Crucis, immo in ipsa Dominica II Quadragesimæ.

V. Ceterum, de Titulo Commemoratio fiat omnino specialis, nec sufficit eidem cum aliis Sanctis non Titularibus communis.

VI. Notandum autem est Commemorationem Beatæ Mariæ Virginis communem omittendam esse in Choro, juxta Rubricam, quum recitatur ejusdem Beatæ Virginis Officium parvum.

VII. Tituli Commemoratio inter alia Suffragia locum teneat, pro dignitate ipsius, a Rubricis assignatum. Sic ex. gr. Commemoratio S. Michaëlis Archangeli præponatur Commemorationi S. Joannis Baptistæ, S. Joseph et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, quorum quidem Commemoratio præponenda est Commemorationi aliorum Apostolorum.

VIII. Præter Commemorationem de Titulo seu Patrono Ecclesiæ (et Regulares etiam de proprio Fundatore), nulla de Patrono Loci vel Diœceseos, Provinciæ aut Regni, vi Rubricæ facienda est; nisi contraria vigeat consuetudo. Quo in casu, nisi aliter exigat personalis dignitas, Commemorationes hujusmodi hoc ordine fiant: ut Loci seu Civitatis Patronus Patrono Diœceseos, hic vero Patronis universalioribus, in Suffragiis anteponatur.

Die 17 Junii 1899 — n. 4043.

Adnotationes. Ad II expresse statuitur in suffragiis commemorationem S. Michaëlis Archangeli, Titularis Ecclesiæ, omittendam esse, quando recitatur

Officium votivum SS. Angelorum. Hæc decisio opposita videtur regulæ datæ supra p. 209: « Nihil prohibet quominus de eodem subjecto officium *universim et confuse cum aliis* fiat et commemoratio pariter *de eodem nominatim et expresse*, vel vice versa ».

Quæ regula tamen ut certa habenda est ex ipso præsenti decreto in quo sub nº V legitur: « Cæterum, de Titulo commemoratio fiat omnino *specialis, nec sufficit eidem cum aliis Sanctis non Titularibus communis* ». Sanctus Michaël ergo, quamvis connumeretur inter Angelos et honoretur cum aliis per officium votivum SS. Angelorum, requireret juxta hanc normam, uti Titularis, commemorationem specialem, quod ipsi tamen negatur sub nº II. Res autem explicatur, quia, ut notant auctores, festum et officium S. Michaëlis, etsi primario in honorem hujus Sancti Archangeli, in honorem tamen omnium Angelorum institutum est, ut patet tum ex octava Benedictione quæ in utroque festo Dedicationis S. Michaëlis 29 Septembris et Apparitionis ejus 8 Maii legitur in numero plurali *Quorum festum colimus*, quæ est benedictio per rubricas præscripta, quoties officium fit de pluribus; tum ex oratione quæ in utroque festo est eadem ac in officio votivo SS. Angelorum et in qua aperte imploratur *cunctorum* Angelorum patrocinium; tum ex lectionibus quarta et sequentibus festi Dedicationis S. Michaëlis et ex sexta festi Apparitionis, in quarum ultima legitur Sanctum Michaelem « eo indicio demonstrasse, velle ibi cultum Deo *in sui et Angelorum* memoriam adhiberi », et declaratur die 29 Septembris « etiam omnium Angelorum memoriam Ecclesiam celebrare » (1). Cum ergo in officio S. Michaëlis non separatur Princeps a tota militia cælesti Angelorum et Ipse honoratur in officio votivo simul cum Angelis quibus imperat, cum insuper oratio quæ partem præcipuam constituit in suffragiis

(1) Cfr. *Nouv. Revue théol.* 1888, p. 264.

Titularis directe omnes Angelos invocat et eadem est ac in officio, ideo S. Congregatio decrevit omittendum esse suffragium speciale *ne bis fieret de eodem*. Sed rationes speciales quæ militant pro hac omissione, non existunt pro suffragiis aliorum SS. Archangelorum Gabriëlis et Raphaëlis, prout constat ex alio recenti decreto *De Caceres*, 13 Jan. 1899. In hoc ad dubium VII respondetur quidem prout in decreto generali: in suffragiis quæ fiunt in officio votivo SS. Angelorum non debere fieri commemorationem S. Michaëlis Archangeli in iis locis ubi S. Archangelus est Titularis Ecclesiæ; sed proposito dubio VIII: « In dicto officio votivo SS. Angelorum, si in suffragiis omitti debeat commemoratio S. Michaëlis, omittine etiam debet commemoratio de S. Gabriële vel de S. Raphaële in locis, ubi alteruter Archangelus est Ecclesiæ Titularis »; S. Congregatio respondendum censuit: « Negative et faciendas esse commemorationes de S. Gabriële et de S. Raphaële, quæ ab Antiphonis et Orationibus Officii votivi SS. Angelorum diversæ habentur ».

Ex quibus sequitur omissionem suffragii S. Michaëlis Titularis in officio Angelorum esse exceptionem datam propter speciales rationes quæ in aliis casibus non existunt ideoque stare regulam generalem: de Titulo commemorationem fieri omnino specialem nec sufficere eidem cum aliis sanctis non Titularibus communem.

H. V. D. W.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. V, pag. 551.)

—

204. Ex præmissa doctrina Doctorum Angelici et præcipue Seraphici jam brevi compendio deducamus notionem accuratam libertatis, et specialiter, propius ad rem nostram, libertatis divinæ.

Distinctiones plures ex dictis sunt ante oculos habendæ.

Et 1° quidem, ne confundamus quæ sunt de ratione libertatis cum iis quæ de facto libertatem in aliquo subjecto comitantur vel ex ea consequuntur. Ita homo in præsenti, cum liberi arbitrii sit, habet potentiam peccandi, non quod hæc potentia sit libertas aut pars libertatis (supra, n. 201), sed sit quoddam libertatis signum, cum sit usus seu potius abusus libertatis. Non enim eo liber est homo, quod peccare potest, sed peccare potest eo quod, liber cum sit, sua libertate imperfecta et deflectibili abuti potest ad eligendum malum. Peccamus per arbitrium nostrum, quod liberum est, non per hoc unde liberum est, ut ait Anselmus (1). Similiter quod unum velit et postea ejus oppositum, per mutationem voluntatis, convenit libero arbitrio secundum quod est in natura aliquo modo mutabili. Igitur hæ imperfectiones non sunt de ratione libertatis, et a Deo summe libero omnino amoveri debent. Item imperfectio quæ in homine ex ineptitudine corporis oritur, ut supra n. 203.

2° Distinguere oportet diversos voluntatis actus ratione diversitatis objectorum. Non ita quod ex actu

(1) *Dialogus de libero arbitrio*, c. II, ubi lege idem cap. cum I.

libertatem mutuetur potentia; imo ex libertate potentiæ sequitur libertas alicujus actus: neque enim liber est aliquis, v. g. quia eligit, sed quia liber est, eligere valet sicut et libere velle. Itaque primus et simplex voluntatis (ut potentiæ) actus est voluntas (ut actus), id est, velle seu volitio, quæ est finis et medii necessarii ad finem, cujus voluntas in voluntate finis continetur. Alius actus est electio, quæ est mediorum tantum ad finem utilium. Prior est a libero arbitrio absolute, ut liberum est; posterior est a libero arbitrio deliberante. Unde

Similiter distingue libertatem absolute, ut sic, et libertatem electionis (supra n. 200).

Et, cum tria sint de ratione libertatis « videlicet a coactione immunitas, excellentiæ dignitas et potestas sive facultas » nempe operandi rectitudinem propter rectitudinem (supra, n. 199), hæc tria oportet in utraque libertate, absolute sumpta et electionis, reperiri. Sed præterea in libertate electionis, eo quod electionis est, quæ a libero arbitrio ut deliberante procedit, saltem actus volendi (ni et volitum), de quo deliberat, contingens sit oportet, seu requiritur quod possit subjectum, positis omnibus ad agendum requisitis, agere vel non agere (1). Hoc igitur est de ratione libertatis *electionis, qua talis*, nequaquam vero de ratione libertatis, ut sic et absolute sumptæ: arbitrium enim dicitur liberum « non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum: sed quia omne quod vult, appetit ad suî ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud: et ideo in actu volendi seipsum movet et sibi dominatur, et pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud (supra, n. 200).

Libertas igitur absolute est perfectio simpliciter; necessitas illi opposita, si talis aliqua sit in voluntate

(1) Hæc quomodo ad Deum transferantur, exclusa omni imperfectione libertati creatæ inhærente, videbimus infra.

(qualis est in subjecto irrationali, incapaci libertatis) est imperfectio; talis autem non est in appetitu rationali necessitas naturalis inclinationis, quæ libertati non repugnat (supra, n. 191 et 192), ubi adhuc S. Thomas obiter sed expresse docet nos respectu finis ultimi habere liberam voluntatem, non autem liberum judicium, proprie loquendo, id est, non libertatem electionis, qua talis.

Libertas electionis eamdem perfectionem mutuatur et continet tria, ut supra, quæ sunt de ratione libertatis, dummodo intelligatur vera et recta electio, quæ est inter ea tantum quæ ordinem contingentem, non necessarium, habent ad finem, adeoque et bonitatem limitatam ac relativam. Si enim de iis ageretur quæ ordinem necessarium habent ad finem, libertas eligendi inter ea in aliquo subjecto jam non esset perfectio et libertas, sed imperfectio et defectus libertatis, et necessitas immutabilitatis, illi opposita, est perfectio, nec repugnans libertati, etiam electionis veræ et rectæ, ut rite explicat Cajetanus, supra n. 191 citatus.

3° Inutile non erit addere aliud esse moveri in genere causæ finalis et ex parte objecti, aliud moveri efficienter et ex parte subjecti seu potentiæ. Voluntas quidem movetur ab intellectu in genere causæ finalis, efficienter vero a nullo creato alio a se movetur (lege Scotum, Doctorem subtilem, *in 2 Sent.*, *dist.* XXV, q. 1). Efficienter movet voluntatem ipsa se et Deus, et Deus quidem ut causa prima conformiter ad naturam liberæ voluntatis.

Qua distinctione posita, statim intelligitur 1/ voluntatem in appetitu seu amore naturali boni in genere seu felicitatis moveri ab intellectu in genere causæ finalis, ita ut ex parte objecti ejus activitas determinetur ad unum, simul tamen efficienter seipsam ad idem objectum determinare, eo ipso quod — et simul ac a prima causa primum reducitur in actum; se tamen determinare directe ad solam apprehensionem boni absolute, non

reflexe post judicium de eodem bono adeoque mere naturaliter; quæ quidem immutabilitas seu necessitas naturalis inclinationis non repugnat libertati voluntatis seu libero arbitrio, sed ei consonat, cum amor ille naturalis sit causa tum omnis amoris electivi boni particularis, tum amoris conscii seu reflexi, si ita loqui fas est, summi boni seu felicitatis objectivæ ab intellectu judicante propositæ, ut statim dicetur sub 2/.

De illo actu voluntatis omnium primo, de quo nunc, supra diximus nec necessarium eumdem esse necessitate opposita libertati, nec proprie liberum, sed naturalem. Est enim liber quidem sola libertate privativa a coactione, at non sequitur post judicium reflexum, adeoque voluntas, licet potentia vitalis sit quæ efficienter determinari nequit, ne a Deo quidem, quin se determinet, non tamen proprie vult se velle nec adeo sibi proprie dominatur, sed directe vult tantum, naturaliter non proprie libere.

Unde etiam videre est libertatem, ut sic, non solum in diversis subjectis plus minusve perfecte participari, sicut de aliis perfectionibus etiam simplicibus verum est, sed nec in eodem subjecto consistere quasi in indivisibili, ita ut in omni actu et respectu cujuscumque objecti sit secundum totam rationem suam, et sit tota et integra vel non sit.

Itaque 2/ Si intellectus non solum apprehendat bonum ut sic, sed in aliquo objecto evidenter judicaret esse objectivam beatitudinem seu summum bonum, voluntas, sub concursu primæ causæ, ex naturali beatitudinis appetitu, ut supra, toto impetu suo sese determinaret, non directe tantum sed reflexe, et immutabiliter, non mere naturaliter sed et actualiter, ad volendum istud bonum eique inhærendum; et hæc esset voluntas libera, quæ vult se velle, non tamen electiva seu libertate electionis libera, ut exponit S. Thomas, supra n. 192 citatus; qui quidem textus potius respicit quæ ibidem immediate sequuntur, ubi, cum diximus,

voluntatem liberam *naturaliter* in summo bono quiescere, hæc intelligenda sunt ut hic sub 2/, non vero ut sub 1/, ita ut melius dixerimus: *immutabiliter*. « Est necessitas quæ repugnat voluntati, sicut necessitas coactionis quæ venit ab extrinseco, et est necessitas quæ subest voluntati, et ista est necessitas quæ venit ex voluntatis immutabilitate. » Ita D. Bonaventura, in *3 Sent.*, *dist. XII,* art. 2, q. 1, ubi addit laudem non esse in operibus necessitatis primo modo, bene vero secundo modo.

205. Inde vides quam vero et profundo sensu dixerit S. Bernardus, *lib. de gratia et libero arbitrio*, cap. I: « Ubi voluntas, ibi libertas ». Profecto voluntas, ut potentia, est ipsum liberum arbitrium, ut supra explicavimus nn. 196-198. Si voluntas ut actus accipiatur, tunc in ipso primo velle naturali est libertas a coactione et de cætero nulla repugnantia cum libertate plena, ut sic, et libertate electionis. In voluntate vero, non jam ut natura, sed formaliter ut voluntas seu volitio est qua quis vult se velle, est plena libertas, ut sic respectu finis, eaque electionis respectu solummodo mediorum utilium.

Nemo non intelliget quam longe hæc absint a doctrina in Bajo damnata, propositione 39ª: « Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit ». Etenim, quod voluntarie fit non potest aliter intelligi quam quod a voluntate procedit, ut in confesso est apud omnes. Quod si, minus quidem apte, intelligas de procedente a voluntate ut natura, et ponas necessario fieri necessitate coactionis, excludis libertatem, quod cæterum admittit Bajus (cf. Prop. 66ª), nec oppositum heic asserere vult; si vero ponas necessario fieri necessitate naturali, absolute dici nequit libere fieri, sed neque hic est sensus Baji. Quodsi intelligas, ut oportet, voluntarium esse quod procedit a voluntate, non ut natura sed ut voluntas est, de quo hic agitur, tunc si ponas necessario fieri necessitate coactionis, est contradictio in terminis et

certe libere fieri nequit, quod, ut diximus, Bajus negare non intendit; si vero necessitate non coactionis sed immutabilitatis, subdistinguamus: vel agitur de voluntate ut sic, quæ est finis tantum, et in termino beato, et sic recte intelligi potest, quod dicitur, libere fieri, scilicet non libertate electionis, sed absolute, ut explicavimus. Quod rursum non est Baji intentum. Vel agitur de voluntate ut deliberante et eligente, etiam in homine viatore, et tunc asseritur libertatem electionis componi posse cum necessitate immutabilitatis, quod absurdum est et æquivalet negationi libertatis electionis; estque sensus Baji, ut patet ex Prop. 67ª : « Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit, » et ex Prop. 66ª : « Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. » In quibus etiam continetur quod in Jansenio damnatum est, Prop. 3ª : « Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ». Qua de re verbulum infra.

Ex dictis consequi obiter notemus non facile concedendum voluntarium, si presse sumatur, esse posse necessarium, seu dividi in necessarium et liberum; quamquam non damnabiliter id theologi plurimi, inter recentiores potissimum, admittunt et sano sensu exponunt.

Quæ numero præcedente 204, 3º, sub 2/ exposuimus etiam hoc declarant, quare beati in cœlo sunt impeccabiles. Non eo videlicet quod visio beatifica tollit liberum arbitrium seu libertatem, sed eo quod ea perficit, tollendo defectum libertatis seu deflectibilitatem: et quoad quidem ipsam voluntatem inhærentem summo bono, cum judicium perfectum et fixum præcedat, quæ est visio, jam voluntas reflexe, volens se velle summum bonum, plena sua libertate ac sponte, immutabiliter eidem bono inhæret; eoque ipso, quod reliqua spectat objecta extra Deum, tollitur defectibilitas seu deflectibilitas libertatis electionis ad quodcumque summo bono

seu rectitudini adversatur, seu tollitur electio sola mali, non alia, ita ut integra maneat et perficiatur tum libertas absolute, tum libertas electionis, seu libertas ex integro ut est perfectio simplex.

3/ De libertate electionis, respectu mediorum ad finem utilium, non est difficultas nec quæstio, cum ex ea nobis primum ac manifestius notio libertatis ingeratur, eamque sensu intimo in nobis deprehendentes, ea nos liberos esse primum experiamur.

Hoc tamen diligenter notandum, libertatem electionis omnino requiri, non dico se solam sufficere, ad meritum et demeritum, nec sufficere sive solam libertatem a coactione, sive libertatem absolute, ut sic, aliam verbo quæ non sit vere libertas electionis. Quod quidem constat ex propositionibus supra allatis in Jansenio et Bajo damnatis, quibus adde prop. 1m inter 31 ab Alexandro VIII confixas: « In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et libertate Adami peccantis. »

Præterea veritas nostri asserti ratione comprobatur, atque elucet ex comparatione inter notionem meriti et notionem libertatis electionis. Et hæc quidem altera satis nobis manifesta est, juvat tamen præclaram Nemesii declarationem (1), verbis Petavii referre: « Ac primum de ἑκουσίῳ et ἀκουσίῳ, id est *spontaneo* seu *voluntario* et *involuntario* eadem dicit, quæ ex Aristotele superius attigi; ac τῶν ἑκουσίων dignoscendorum hanc esse regulam, cum inest in iis quæ agimus laus aut vituperatio. Postea de προαιρέσει disputat, quam sub ἑκουσίῳ contineri ait, et hoc latius illo patere; siquidem non omne spontaneum cum electione conjungitur. Itaque προαίρεσις sive electio consilium ac deliberationem antecedentem habet et judicium mentis unum alteri præferentis: estque « mistum aliquid ex consilio ac judicio et appe-

(1) In lib. *de natura hominis*, præs. c. 19, 33.

titione »..... Quare præcedit, ut dixi, deliberatio cum judicio quo unum anteponitur alteri, unde et προαίρεσις nomen invenit, tamquam *præelectio* latine nominetur, qua unum præ altero eligitur, vel simplici retenta voce *electio* quasi unius e pluribus est *lectio*. Post animi judicium, voluntatis motus et ὄρεξις, sive appetitio ejus quod alteri prælatum est, sequitur. Ex quo ita προαίρεσις ab Nemesio definitur ut sit « Appetitio cum consilio eorum quæ sunt in nostra potestate », vel « Consultatio cum appetitione rerum earum quæ in nostra potestate sitæ sunt. (1) »

Si jam notionem meriti attingamus, eam aliquid plus continere deprehendimus quam notionem laudabilis (laus cæterum non actibus solum sed et qualitatibus tribuitur), ut non sine ratione Nemesius supra omni voluntario ac libero laudem aut vituperium attribuat, nequaquam meritum jam aut demeritum. Ita laudabilis est in Beatis amor summi boni, non tamen meritorius: nec meritum deficit eo tantum quod sunt in termino, sed eo quod, ut videbimus, deficiente libertate electionis mereri non possunt illo actu, dum electione libera boni extra Deum, non quidem de facto merentur, quia in termino sunt, sed mereri possent, quantum est de libertate in talibus actibus eligendi. Itaque, supra laudem addit meritum in re libertatis quod, in actu meritorio sit non tantum libertas absolute cum debita honestate ex parte objecti, sed sit ulterius aliquid ex parte liberi actus quod compensationem jure merito petat seu præmium, hoc autem est præelectio seu electio bona, quod nempe aliquis eligat agere bene, potius quam non agere aut agere male. Quod quidem specialiter laudabile electionis non debet ulterius urgeri, quasi necesse sit bonam electionem molestiam et difficultatem afferre, ut Esparza explicat (2); quamquam

(1) *De Deo*, lib. V, c. II, n. I.

(2) *De act. hum.*, q. 31, quem citat et sequitur Viva, *Theses damnatæ,*

de facto, præsertim in statu lapso, semper aliquis labor est in electione bona et difficultas in virtute; sed sufficit bona præelectio pro compensatione per præmium. Idem ex opposito dicas de vituperio atque demerito ac pœna. Quæ specialiter libertatem, vituperium et demeritum spectant in dæmone et reprobis, habebis melius paulo infra.

206. Ex dictis numero 204 apparet periculosum esse definire libertatem liberumque arbitrium, absolute et absque distinctione, per libertatem electionis, ut multi, imo, post exortum Protestantismum et Jansenismum, plerique omnes facere consueverunt (1), dicendo: liberum arbitrium seu libertas est facultas qua voluntas, propter indifferentiam judicii naturaliter saltem non determinata ad unum, potest, positis omnibus ad agendum requisitis, agere vel non agere.

Nisi enim distinguas inter subjecta diversa, diversosque subjecti status, et actus ac objecta, illico apparet erroris falsique conceptus periculum. Imo, ni distinguas quæ libertatis sunt, ut sic, et quæ sunt electionis, qua talis, definitio non intelligetur recte et ansam præbebit plurimis erroribus ac consectariis absurdis.

Ita, quod indifferentiam judicii attinet, si dicas eo majorem esse libertatem seu perfectiorem actum in ratione libertatis, quo magis indifferens est judicium, *distinguo:* agendo de objecto quod de se veræ electioni et rectæ non subjacet, *nego;* nam ibi locus non est eligendi, et, si in aliquo subjecto sit facultas eligendi,

---

in Prop. 3m Jansenii, in fine. Quod autem ibi allegat ex S. Thoma: *meritum in difficultate consistit, sicut et virtus*, non potest intelligi de difficultate ex parte agentis, sed ex parte objecti, et ita quidem, ut idem S. Doctor advertit, 2, 2, q. XXVII, art. 8, ad 3m, quod « non oportet quod omne difficilius sit magis meritorium, sed quod sic est difficilius ut etiam sit melius. »

(1) Ita Petavius, *De Deo*, l. V, incomplete et satis imperfecte hac de re disserit. — Moralistæ vero passim, pro scopo suo, solam libertatem electionis in homine, in præsenti statu, considerant.

ea non est perfectio et libertas, sed defectus in libertate, et ipsa indifferentia judicii est ex errore et imperfectione rationis. Agendo, de iis quæ rite electioni subjacent, *subdist.:* eo major est libertas, quod intellectus proponit voluntati objectum ut æque prosequendum et fugiendum, potius quam dum proponit objectum ut magis appetendum vel magis fugiendum, *nego;* eo major est libertas, quo rectius est judicium, et exactius respondens ipsi indifferentiæ objecti relate ad finem, *concedo.*

Quod indeterminationem spectat voluntatis, similiter *distinguo*, dum agitur de objecto quod electioni a parte rei non subjacet, *nego* majorem esse libertatem, eo quod indeterminata sit voluntas. In altera hypothesi, *subdist.* major est libertas, dum voluntas est in indeterminatione passiva et suspensa manet quam dum agit, item dum voluntas est in æquilibrio, quam dum propendet magis in unam partem, item dum est actualiter indeterminata seu mere in potentia, quam dum naturaliter tantum, *nego;* eo major est libertas, quo voluntas magis independens est ab omni influxu extrinseco, et majorem habet sese movendi efficaciam seu intrinsecam perfectionem, *concedo.*

Quod tandem attinet potentiam, ut supra, agendi vel non agendi, quæ ad duo priora consequitur, et ideo a nonnullis sola ponitur in definitione, rursum distinguamus similiter: si de rebus agatur a parte rei non subjectis electioni, non consistit libertas ut sic, ut perfectio est, in tali potentia agendi vel non agendi, adeoque libertas absolute ita definiri nequit. In altera hypothesi, majorem esse libertatem, quo major est potentia agendi vel non agendi, rursum absolute dici nequit, quasi perfectius sit habere etiam potentiam peccandi et libertatem contrarietatis, sed tandem ad hoc reducitur major libertas et perfectio in eligendo, quod, sicut Bonaventura, post Anselmum, ait, major et perfectior est potestas operandi (etiam in eligendo) rectitudinem propter seipsam, ut porro infra, agendo de divina libertate, videbimus.

Præterea, iisdem neglectis distinctionibus, nonne pronum erit concludere majorem esse libertatem in non habente gratiam, quam in habente; in habente gratiam sufficientem tantum, quam in habente efficacem; in viatore quam in beato, in homine quam in angelo, in his quam in ipso Deo!

Ex quibus omnibus patet definitionem libertatis a S. Bonaventura post S. Anselmum traditam omnino verificari de vera libertate electionis, cum sit definitio libertatis absolute; definitionem vero libertatis electionis, qua præcise electionis est, aliquid continere quod non est de ratione universim libertatis absolute et in se sumptæ. — Præterea constat definitionem Anselmi esse magis a priori, alteram vero libertatis electionis esse potius a posteriori et ab effectu.

Neque dicas esse litem de verbo, et theologorum jam longo usu acceptum esse ut sola libertas electionis libertas vocetur, id enim rationabiliter sustineri non posse patet ex ipsius Anselmi et Bonaventuræ doctrina et explicatione, et porro infra clarius patebit.

Cæterum, nec meliori ratione putares sibi oppositos esse S. Thomam et S. Bonaventuram in doctrina libertatis tradenda. Hic enim potius notionem explicat libertatis absolute, ut sic. S. Thomas nonnisi obiter, quod sciam, hinc inde illam eamdem notionem attingit, et ex professo prosequiter libertatis electionis explicationem, tum quia pro scopo suo humanam in præsenti statu libertatem potius considerat, eamque quæ ad meritum et demeritum requiritur, quæ est libertas electionis; tum forte quia in eligendo nobis primo et evidentius manifestatur libertas, nostramque libertatem experimur; fere sicut nos supra n. 192 de libertate divina obiter dicebamus eamdem, quoad usum quasi et actum, in libertate electionis (exclusa imperfectione nostræ electionis) respectu creaturarum consistere, non quod Deum, independenter ab omni respectu ad creaturas, ab æterno et ex se summe liberum esse negare voluerimus.

(Continuabitur.)

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Expone Eccl[i] XXXIV 9: *Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: et qui multa didicit, enarrabit intellectum.* 10 *Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.* 11 *Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia.* 12 *Multa vidi errando, et plurimas verborum consuetudines.*

II

Quæritur utrum imago Christi adoranda sit adoratione latriæ.

III

Quomodo, coram foro ecclesiastico, legitimantur proles illegitimæ?

IV

A quonam executioni sunt mandandæ dispensationes matrimoniales, tum fori externi, tum fori interni?

V

Expone quænam, in *modo* utriusque speciei dispensationem exequendi, præcipue observanda occurrant.

VI

An et quare subjaceat excommunicationi mulier prægnans quæ abortum in se procuravit?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. Explana I Jo. V, 16: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.*

R. In præcedentibus vv. 14, 15 S. Joannes adhortatus erat fideles ut cum certâ fiduciâ impetrandi à Deo peterent quidquid secundum voluntatem ejus postularent. Nunc jam verò monet ut beneficium tam potentis orationis etiam fratribus suis peccantibus impendant, distinguitque inter fratrem *peccantem non ad mortem*, et fratrem *peccantem ad mortem. Qui scit*, ait (græcè: *Si quis viderit*) *fratrem suum*, i. e. fidelem christianum *peccare* (græcè: *peccantem*) *peccatum non ad mortem,* i. e. peccatum mortale quidem, sed quod haud ægrè remitti potest, nec homines quasi certo perducere solet ad mortem æternam, *petat* (græcè: *petet,* si petierit), *et dabitur* (à Deo) *ei* (fratri illi) *vita* spiritualis animæ quam per peccatum mortale amiserat. Græcè eodem sensu: *dabit ei* Deus *vitam*, nimirum excitando in eo spiritum contritionis, per quem à morte peccati resurgat ad vitam justitiæ, *peccanti non ad mortem*, illi, inquam, fratri, qui peccat peccato non ad mortem. Græcè: *peccantibus non ad mortem*. Ad ipsum enim genus talium fit sermonis transitus, quamvis de uno quopiam fratre sermo præcesserit, q. d.: Deus dabit ei vitam; dico, his qui peccant non ad mortem; quod signanter addere volui, quia *Est peccatum ad mortem*, est quoddam aliud peccatum mortale, quod fere certo deducit homines ad

mortem æternam: qualis in primis est apostasia voluntaria à fide ad hæresin vel ad idololatriam: *non pro illo* peccato remittendo *dico*, præcipio, adhortor, suadeo *ut roget quis* (1), ut oret Deum cum illa fiducia impetrandi sicut pro peccato non ad mortem, quia non audeo polliceri quod vitam tali impetrabit; nec tamen omnino orari etiam prohibeo, quia Spiritus ubi vult spirat, et Deus tales peccatores quandoque, licet raro, convertit. Ceteroqui quemadmodum omnes diligere, ita pro omnibus orare tenemur, non tamen cum pari pro omnibus impetrandi fiducia.

Valdè difficile est exponere quid Apostolus intelligat per *peccatum ad mortem*, quid ex opposito per *peccatum non ad mortem*.

Nonnulli *peccatum ad mortem* censent esse quodvis *peccatum mortale*, ac proinde *peccatum non ad mortem* esse *peccatum veniale*. Verum *mortale* esse *peccatum non ad mortem* patet ex verbis Apostoli, ubi dicit: *Dabitur ei vita peccanti non ad mortem,* quibus innuitur per *peccatum non ad mortem* ablatam fuisse vitam animæ, adeoque peccatum istud non esse veniale, sed mortale certi generis. Præterea ex hac sententia sequeretur Apostolo non esse orandum cum fiducia impetrandi nisi pro justis peccantibus venialiter, quod contrarium est doctrinæ S. Scripturæ et sensui Ecclesiæ.

Alii cum S. Augustino *(De correptione et gratia cap. XII; Retract. lib. I, cap. XIX)* opinantur *peccatum ad mortem* esse peccatum mortale quodcumque, cujus non agitur pœnitentia ante mortem corporalem. Nam aliàs, ait S. Aug., de quocumque pessimo in hàc vita adhuc constituto non est desperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. » *Peccatum* igitur *non ad mortem* iisdem Auctoribus est peccatum mortale quodcumque, cujus agitur pœnitentia ante mortem.

---

(1) Illud *quis* non est in textu græco, sed suppositum verbi *roget* subauditur ex præcedentibus.

Sed immeritò existimant verbis Apostoli: *non pro illo dico ut roget quis*, contineri quamdam prohibitionem rogandi pro peccantibus ad mortem; insuper verba: *qui scit*, seu *qui viderit peccantem*, significant ex ipso modo et indole criminis discerni posse, an peccatum sit ad mortem necne, et pro uno posse cum certa fiducia obtinendæ emendationis in hac vitâ orari, non autem pro altero. Rectè Bartholomæus Petrus: « Ait Apostolus: *Si quis scit* (Græcè est, *viderit*) *fratrem suum peccantem peccatum non ad mortem* etc. Præsupponit igitur posse à bono Christiano, etiam laico, sciri an peccatum quod novit alium Christianum commisisse, sit ad mortem, an non: et tamen ab eo non potest sciri an is quem post peccatum mortale ipsi notum, mori contingat, agat vel egerit sinceram ejus pœnitentiam. Deindè, si constaret aliquem in mortali quopiam peccato sine pœnitentia esse defunctum, non liceret pro eo orare, nec unquam id Apostolus Christi permitteret. Atqui pro expiatione peccati ad mortem Deum rogare, ut Apostolus non monet, non hortatur, ita neque prohibet; tantummodo declarat se bonos Christianos non audere hortari ut pro eo peccato rogent, sicut hortatur eos rogare pro fratris peccato quod noverunt non esse ad mortem. »

Unde idem Bartholomæus per *peccatum ad mortem* intelligit « quodvis peccatum mortale cujus non agitur pœnitentia, quamdiu et quatenus tale est. Ita non quodvis mortale intelligitur: nec tamen illud solum cui est conjuncta finalis impœnitentia, sed omne illud cui conjuncta est impœnitentia etiam temporalis, seu in cujus affectu quispiam hæret... Quarè, ex adverso *peccatum non ad mortem*, dicitur Apostolo, quod est mortale quidem, sed agitur ejus pœnitentia. » Ast hæc etiam interpretatio tenori textûs minus congruere videtur. Ita enim loquitur Apostolus de *peccato ad mortem* ut ex ipsa istius peccati natura et gravitate dignosci possit illud *esse ad mortem*, seu conjunctum iri cum im-

pœnitentia finali : tale autem non est quodcumque peccatum cui conjuncta est impœnitentia temporalis tantum, seu in cujus affectu quispiam ad tempus hæret. Præterea, si *peccatum non ad mortem* est *peccatum mortale cujus agitur-pœnitentia*, non intelligitur cur adhuc sit orandum pro ejus conversione, utque Deus ei det vitam, peccanti non ad mortem.

Prætermittimus alias sententias, ac censemus *peccatum ad mortem* Apostolo esse omne peccatum mortale ex pura malitia commissum, adeoque juxta communem Dei legem seu per gratiam quam Deus ordinariè dare solet, quasi immedicabile ac ad mortem æternam fere certo deducens, qualia sunt omnia peccata in Spiritum Sanctum commissa; in primis tamen ac propriè Apostolus hic notare videtur apostasiam à fide ad hæresin aut ad idololatriam. *Peccatum* autem *non ad mortem* ex adverso est peccatum mortale non ex pura malitia, sed ex ignorantia quadam aut humana fragilitate commissum, quod proinde juxta communem Dei legem ac per ordinariam ejus gratiam curari potest, adeoque non quasi certo deducere solet ad mortem æternam.

S. Joannem hic nomine *peccati ad mortem* designare peccatum ex cujus natura et gravitate colligi possit illud fere certo conjunctum iri cum impœnitentia finali, adeoque ad mortem æternam ordinariè deducturum, ex ipso textûs tenore et suprà disputatis haud ægrè colligitur. Talia porrò esse omnia peccata mortalia ex merà malitià commissa, atque in primis peccatum apostasiæ à fide, ex variis S. Scripturæ locis liquido apparet (Cfr. Matth. XII, 31, 32; Marc. III, 29; Luc. XII, 10; Jo. VIII, 24; Hebr. VI, 4-6; X, 26, 27). Propriè autem ac in primis hic notari apostasiam à fide ad hæresin vel ad idololatriam probatur ex eo quod S. Joannes in hac epistola ferè totus sit in inculcanda necessitate fidei ad vitam æternam, atquē taxandis pseudodoctoribus et apostatis à fide et communione christiana recedentibus, iisque vitam æternam denegandà (Cf. II, 18-28; III,

23; IV, 1-6, 15; V. 1, 5-13, 20, 21). Unde merito à Lapide: « Licet peccatum ad mortem sit varium et multiplex... propriè tamen S. Joannes per peccatum ad mortem respicit et intelligit peccatum quo quis fidelis à Christi fide et Ecclesia discessit, illamque malitiosè impugnat, aliosque ab illa ad suam hæresim, vel idololatriam traducere et pervertere satagit, quod illo Joannis ævo nonnulli faciebant, magno ejus dolore, metu et mœrore... Id colligitur ex eo, quod S. Joannes tota hac Epistola non aliud inculcat, quam fidem et amorem Christi, ac amorem fraternum; quare videtur peccatum ad mortem utrique opponere, ac consequenter per illud intellligere apostasiam à Christo et Ecclesia, quæ non est aliud quam cœtus fratrum, puta fidelium in fide, cultu et amore Christi conspirantium. »

G. V. D. P.

II

Q. *Expone quodnam sit objectum cultus SS. Cordis Jesu.*

R. I. Si Ecclesiæ hunc cultum approbantis documenta inspicimus tria nobis innotescunt:

1/ *Speciali quodam modo* (infra magis determinando) *præ cæteris humanitatis partibus honoratur Cor Christi.* Hoc constat imprimis ex apparitionibus et revelationibus D^ni^ N^ri^ J. C. factis B^æ^ Margaritæ Mariæ: quæ apparitiones et revelationes fuerunt occasio introducendi publici cultus de quo agimus. Jamvero in una illarum apparitionum Jesus « Cor suum Sacrosanctum detegens: Vides, inquit, Cor meum, Cor illud tanto hominum amore succensum.... Itaque a te requiro, ut feria sexta, quæ Octavam Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dedicata; qua die ad sacram mensam accedendo injuriæ Cordi meo in Altaris mysterio inflictæ, eo maxime tempore, quo

palam fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione sarciantur. Et quidem spondeo eos omnes, qui hoc honore Cor meum afficient, ipsius divini Cordis influxu cælestium gratiarum copia fore cumulandos. » (Nic. Nilles, *De rationibus festorum Sacratissimi Cordis Jesu et Purissimi Cordis Mariæ*, cit. ap. Pesch, *Tractatus Dogmatici*, T. IV, n. 208). Hunc peculiarem cultum erga SS. Cor Jesu approbavit Ecclesia quando (an. 1765) speciale Officium et Missam in honorem SS. Cordis Jesu concessit. (1) Specialem SS. Cordis venerationem laudat Pius IX et declarat: « ad tam salutarem ac debitum pietatis cultum instituendum, lateque inter homines propagandum eligere Servator noster dignatus est Famulam suam Margaritam Mariam de Alacoque..... » Decretum Beatificationis Margaritæ Mariæ, die 19 Augusti 1864. (2)

2. Honoratur autem *Cor Jesu carneum non utique divisum a persona Christi, sed ut membrum est humanitatis hypostatice Verbo unitum*. Hoc constat ex revelatione Christi supra relata: Jesus enim *cor suum* detegens requirit ut cor suum peculiariter colatur. Hoc etiam constat ex damnatione propositionis 63 Synodi Pistoriensis, qua in damnatione declarat Pius VI fideles Cor Jesu non adorare « cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro ». Denzinger, *Enchir.*, n. 1426.

---

(1) V. Gardellini, *Decreta authentica*, T. I, n. 4324.

(2) En prima verba prælaudati decreti : « Auctor nostræ fidei et consummator Jesus, qui nimia ductus charitate, naturæ mortalis infirmitate assumpta, obtulit se in ara Crucis immaculatum Deo, ut nos a peccati teterrima servitute liberaret, nihil potius habuit, quam ut flammam charitatis qua Cor ejus ureretur, in hominum animis modis omnibus excitaret, quemadmodum adseruisse discipulis novimus ex Evangelio « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? » Hunc vero Charitatis ignem ut magis incenderet, sanctissimi sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit, ac promoveri. »

3. *Ratio cur peculiariter honoretur Cor Jesu est quia symbolum est amoris Jesu erga nos.* Hoc constat ex verbis quibus Christus, in apparitione supra relata, Cordis sui cultum commendavit: « Vides Cor meum, Cor illud tanto hominum amore succensum. » Hoc ex pluribus Ecclesiæ documentis clare apparet (de quibus v. Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 274), sed præsertim ex lectione VI Breviarii in festo SS. Cordis recitanda, in qua ratio festi sequentibus exprimitur verbis: « Quam caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis, atque in suæ mortis commemorationem instituentis sacramentum corporis et sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimo Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius recipiant, Clemens decimus tertius ipsius sacratissimi Cordis festum nonnullis Ecclesiis celebrare concessit, Pius nonus ad universam extendit Ecclesiam, ac denique Summus Pontifex Leo decimus tertius, orbis catholici votis obsecundans, ad ritum Duplicis primæ classis evexit. » Idem docet Summus Pontifex Leo XIII: « Quoniamque inest in Sacro Corde symbolum atque expressa imago infinitæ Jesu Christi caritatis, quæ movet ipsa nos ad amandum mutuo, ideo consentaneum est dicare se Cordi ejus augustissimo... » Litt. Encycl. *de hominibus Sacratissimo Cordi Jesu devovendis.* (1)

II. Hæc nunc asserta ulterius secundum Theologiæ principia explicare debemus ut inde determinemus quodnam sit proprie objectum Cultus SS. Cordis Jesu: agitur autem de objecto *cui* defertur honor.

1/ « Cultus significat honorem cum sui submissione alteri exhibitum » Sylvius, in II-II^{æ}, q. LXXXI, a. 2. Igitur cultus idem importat ac adoratio si hoc vocabulum assumitur in generica sua acceptione, de qua v. supra, p. 469.

---

(1) V. *Coll. Brug.*, T. IV, p. 419.

Jam exposuimus (p. 471) adorationis seu cultus objectum *cui* esse personam cui exhibetur reverentia, et in hoc objecto *cui* distingui aliquid ut *materiale* et aliquid ut *formale*. Materiale est persona ipsa ad quam dirigitur honor. Formale est ratio quæ hanc personam cultu dignam efficit, scilicet aliqua ejus excellentia causans ac determinans rationem et modum cultus ut debiti.

Sed hoc apprime notandum est quod « proprie honor exhibetur toti rei subsistenti. Non enim dicimus quod manus hominis honoretur, sed quod homo honoretur; et si quandoque contingat quod dicatur honorari manus vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione quod hujusmodi partes secundum se honorentur, sed quia in istis honoratur totum. » S. Thom. III, q. XXV, a. 1. Hujus « ratio est quod natura seu pars naturæ ad seipsas non pertinent, sed sunt suppositi seu personæ ac proinde etiam cultus huic naturæ vel naturæ parti exhibitus, ultimo non ad ipsas sed ad earum suppositum seu personam pertinent. Ita ubi osculo pedem S. Pontificis vel manum episcopi colimus, non honoramus terminative hunc pedem, hanc manum, sed personam S. Pontificis et episcopi, quorum manum et pedem osculamur. Quemadmodum etiam, ubi aliquem injuste in corpore percutimus, injuriam simpliciter facimus non parti percussæ, sed toti personæ. » Ill^us^ ac Rev^us^ Lambrecht, *De Incarnatione*, p. 89.

Ergo Jesu Cordi soli et seorsim spectato nullus honor tribuitur : quod præcise docet Pius VI in damnatione quam supra retulimus ; præterea non Cor Jesu quatenus hypostatice unitum Verbo proprie adoratur, sed in hoc Corde adoratur Persona Christi. Quod explicite declarat S. Pontifex Leo XIII : « Quod (h. e. se dicare Cordi Jesu augustissimo) nihil aliud est quam dedere et obligare se Jesu Christo, quia quidquid honoris, obsequii, pietatis divino Cordi tribuitur, vere et proprie Christo tribuitur ipsi. » Ibid. Ergo proprie loquendo

objectum materiale cultus SS. Cordis Jesu est *Verbum incarnatum consideratum in suo Corde.* (1)

2/ Excellentia autem ob quam Verbum incarnatum specialiter in suo Corde honoratur, est Ejus amor erga nos. Hoc manifestum est ex documentis supra sub n. 3 allatis. Quum autem Cor sit naturale symbolum amoris personæ (2), ideo Cor Jesu est symbolum tum divini tum humani amoris Christi. Quia in hoc Corde specialiter consideramus amorem Christi *erga nos*, et quia formaliter ob hanc excellentiam, sc. ob hunc amorem honoramus Jesum, ideo *objectum formale* cultus SS. Cordis Jesu est *amor tum divinus tum humanus Jesu erga nos.*

Nota. *Cor Jesu coli* significat *Jesum in suo corde coli* h. e. actus cultus dirigi ad Cor Jesu non tamen quatenus

---

(1) Non recte, ut videtur, dicitur: cultus SS. Cordis Jesu objectum materiale *proximum* est ipsum Cor Jesu, *ultimum* vero est ipsa persona Christi. Nam ut hoc esset verum, requireretur ut cultus proprie terminaretur prius ad ipsum Cor, et deinde ad personam ipsam, aliis verbis: ut honor vere et proprie ipsi Cordi tribueretur et deinde pertingeret ad personam. Hoc autem, ut videtur, est contra principia exposita a S. Thoma docente: *proprie* honor exhibetur *toti rei subsistenti.... partes* (suppositi) *non secundum se* honorantur, sed *in istis partibus* honoratur *totum.* (L. c.) Ergo nullus honor proprie exhibetur parti alicujus suppositi, sed omnis honor *soli personæ* proprie exhibetur: ergo, proprie loquendo, objectum materiale cultus est tantum persona ipsa. Hoc etiam, ut videtur, elucet ex verbis S Pontificis Leonis XIII: « quidquid honoris, obsequii, pietatis divino Cordi tribuitur, vere et proprie Christo tribuitur ipsi ». (L. c.) Non dicit S. Pontifex: quidquid honoris..... divino Cordi tribuitur, *etiam* Christo tribuitur ipsi, sed dicit: *quidquid honoris*.. . divino Cordi tribuitur, *vere* et *proprie* Christo tribuitur *ipsi.* Unde proprie loquendo, *unicum* est objectum materiale cultus SS. Cordis, nempe Persona Christi, utique Corde prædita.

Si dicitur: Cultus SS. Cordis Jesu objectum materiale est Cor *quatenus hypostatice unitur Verbo*, hæc ultima verba adjunguntur ut indicetur Jesu Cor *secundum se solum* non esse adorabile. Cur autem hoc est, nisi quia valet universale principium: proprie honor exhibetur toti rei subsistenti. Ergo non proprie adoratur pars sed proprie totum adoratur. Unde modus recte omnino assignandi objectum materiale cultus SS. Cordis videtur esse in dicendo hoc objectum esse ipsam Personam Christi consideratam in suo Corde.

(2) Hujus asserti demonstrationem v. apud Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 268 et seq.

Cor *secundum se* honoratur, sed quatenus ipsa persona Jesu honoratur in suo Corde.

J. V. D. M.

III

Q. *Titio et Caia absque ulla dispensatione matrimonio copulatis, detegit parochus Titium olim, in extera regione, cum Caia civiliter junctum in concubinatu vixisse, adhuc superstite uxore legitima postea defuncta, Caiam vero quondam carnaliter fuisse cognitam a fratre præfati Titii.*

Determina quænam impedimenta obfuerunt matrimonio Titii et Caiæ, et utrum Episcopi Belgii, extra mortis articulum et urgentem necessitatem, in illis dispensare valeant indica.

R. *ad I/*. Matrimonio Titii et Caiæ duplex obfuit impedimentum:

1° Impedimentum *criminis*, oriens ex adulterio Titium inter et Caiam cum attentatione matrimonii. Adulterium namque præsumitur ex contractu civili, qui simul importat attentationem matrimonii, uti docent Feye, *De Imped. Matr.*, n. 786; De Becker, *De spons. et matrim.*, p. 168; Theol. Mechl., *De Matrim.*, n. 82. Supponitur autem adulterium fuisse *utrimque formale*, utraque parte conscia matrimonii Titii adhuc legitime subsistentis tempore quo copula adulterina habebatur (1).

2°/ Impedimentum *affinitatis illicitæ* in 1° gradu lineæ collateralis æqualis ex copula quondam habita a Caia cum fratre Titii.

II/ Ad *alteram* partem quæstionis, nimirum utrum

(1) Etiam posset esse quæstio annon sint habendi putati conjuges tanquam excommunicati utpote hæretici vel suspecti hæreseos, Tridentino anathema dicente, sess. 24, can. 2, contra illum qui dixerit: « licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum »; specialis autem esset ratio attendendi si olim inter protestantes vixerint.

Episcopi Belgii, extra mortis articulum et urgentem necessitatem (1), in prædictis impedimentis dispensare valeant, respondemus sub distinctione:

A/ Si **utrumque** impedimentum est facto **occultum**, possunt Episcopi Belgii dispensare, in casu occurrenti, vi Pagellæ a S. Pœnitentiaria ad quinquennium concedi solitæ.

Nimirum sub num. XI legitur facultas « dispensandi super *occulto* primi, necnon primi et secundi ac secundi tantum gradus *affinitatis* ex *illicita* carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto matrimonio jam *contracto* (2) » ; num. autem XII impertitur facultas « dispensandi super *occulto criminis* impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam *contracto* » (3); tandem ad

---

(1) Seposita urgenti necessitate, seponitur usus potestatis quasi-ordinariæ.

(2) Supponimus matrimonium ita fuisse initum ut, coram stylo Curiæ, veniat nomine matrimonii *contracti*, attenta notione tradita, supra, p. 484 et seq.

(3) In cujusdam circuli responsis erudita disquisitione difficultas movetur contra hujus 1ris hypotheseos solutionem: nimirum opponitur impedimentum criminis *ex adulterio cum attentatione matrimonii* non esse impedimentum *natura occultum*, ac proinde non comprehendi sub facultatibus in Pagella S. Pœnitentiariæ concessis, utpote quæ dantur pro foro interno tantum. Porro ut vindicetur hujusmodi impedimentum esse *natura publicum*, ostenditur ejus existentiam posse authentice probari, puta factum invocando contractus civilis initi: ad rationem autem impedimenti natura publici sufficere ut ejus probatio sit facilis *sive adnexam habeat infamiam necne*.

Concedimus quidem hanc notionem propositam impedimenti natura publici esse logicam, atvero non est notio admissa coram stylo Curiæ, de cujus interpretatione hic unice curamus, quemadmodum expresse monuimus supra, p. 415, in nota.

Insuper dato non concesso impedimentum criminis ex adulterio cum attentatione matrimonii esse impedimentum natura publicum, negamus inde posse deduci ad illud non extendi facultates Pagellæ. Et sane in tenore facultatis occurentis sub n. XII sola quæ fit restrictio excludit machinationem mortis, nullatenus vero attentationem matrimonii: aliunde autem non est inauditum S. Pœnitentiariam dispensare per se vel per alium, idque *pro foro interno*, in inpedimentis natura publicis sed facto occultis, uti contingit pro facto occulta cognatione spirituali in matrimoniis contractis.

calcem laudatæ Pagellæ, sub nota 3ia, additur Episcopos concessis facultatibus posse uti non solum singillatim sed etiam *cumulatim* in uno eodemque casu. Cfr. *Librum Manualem*, p. 177 et seq.

Juxta principia supra exposita, dispensatio Episcopalis, in occurrentia, valeret pro foro conscientiæ tantum, ac esset impetranda et impertienda juxta formam huic foro propriam.

B/ Si, quod natum est fieri, **unum** impedimentum, puta affinitatis, est facto **occultum**, *alterum* vero criminis *publicum* (1), rursus opportuna gaudent facultate Episcopi Belgii in utrumque impedimentum relaxandum.

Revera in impedimento affinitatis occulto possunt dispensare vi indulti modò citati sub A/, idem autem valent quoad impedimentum criminis publicum, vi quinquennalium S. C. de P. F., juxta Formulam III, art. 5. Ex alia vero parte, in concursu impedimenti *publici* cum *occulto*, in quibus Episcopus respective valet dispensare, non indiget speciali cumulandi facultate, juxta declarationem C. S. O. 18 Aug. 1897 (2).

Porro dispensatio in impedimento affinitatis occulto esset petenda fictis nominibus et juxta normam fori interni exequenda, altera vero dispensatio, vi facultatis

---

(1) Si impedimentum criminis publice quidem cognoscitur in loco ubi contractum est impedimentum, ignoratur vero in loco ubi nunc degunt Titius et Caia et matrimonium inierunt, applica dicta supra, p. 418, sub 3iio.

(2) Ad quæstionem: « utrum, concurrente aliquo impedimento dirimente secreto, seu fori interni, cum alio impedimento item dirimente, sed publico, necessaria sit ad dispensationem specialis cumulandi facultas? », respondetur: « Negative et detur decretum diei 31 Martii 1872 in Coimbaturen ». « Decretum autem die 31 Martii 1872 datum.... sic se habet: Sanctissimus Dominus declaravit generatim prohibitionem concedendi absque speciali facultate dispensationes, quando in una eademque persona concurrunt impedimentia matrimonialia, non extendi ad eos casus, in quibus cum impedimento natura sua publico aliud occurit impedimentum occultum, seu fori interni ». Cf. *Rev. théol. franç.*, 1898, p. 12 et seq.

S. C. de P. Fide concedenda in impedimento criminis publico, esset postulanda et executioni mandanda tanquam pro foro externo, indicatis nomine et pronomine et servatis cautelis servandis in casu quo concurrit impedimentum publicum cum occulto, juxta dicta supra, p. 547 et seq., conferenda cum mox dicendis sub responso ad qu. IV^{m}.

C/ Si **utrumque** impedimentum est facto **publicum**, *absque speciali indulto*, nihil valent Episcopi Belgii in ordine ad dispensanda impedimenta hic occurrentia, idque *duplici ex capite* ipsis deneganda est facultas:

a/ Si possunt dispensare in impedimeuto criminis publico, vi quinquennalium S. C. de P. Fide, carent facultate in solvendum impedimentum *publicum* affinitatis in 1° gradu: Pagella namque S. Pœnitentiariæ non spectat nisi affinitatem *occultam*, et quinquennales S. C. de P. Fide, potestatem facientes Episcopis Belgii dispensandi in affinitate publica restringuntur ad 3^{m} et 4^{m} gradum. Porro animadvertendum est « quod si cum impedimento, in quo dispensare potest Episcopus, concurrat aliud impedimentum pro quo requiritur dispensatio S. Sedis, eo ipso Episcopus privatur sua potestate dispensandi in illo priori impedimento, et in casu omnium impedimentorum relaxatio a Sede Apostolica impetranda est ». Theol. Mechl., *De Matrim.*, ed. 1894, p. 405. Hoc ultimum constat « tum rescripto S. Pœnit. 15 Apr. 1853, tum necessitate omnia impedimenta sive dirimentia sive impedientia in eodem libello exprimendi ». Feye, op. cit., n. 632.

b/ Etiamsi Episcopi Belgii, ex delegatione Pontificia, possent in utroque impedimento publico dispensare *separatim*, id non valerent *cumulatim*.

Et revera *ex una parte*, in Formula S. C. de P. Fide pro impedimentis publicis, deest illa clausula cumulum permittens qualis occurrit in Pagella pro impedimentis occultis, de quibus sub A/, nec applicatur hic Romana declaratio de quo sub B/, quippe quæ expresse restrin-

gitur ad concursum impedimenti publici cum occulto; *ex alia* vero *parte* principium est generale quod docet « eos qui diversis facultatibus dispensandi præditi sunt, non posse easdem cumulare in uno eodemque casu, dispensando scilicet eamdem personam a diversis impedimentis, nisi cumulandi facultate a S. Sede expresse aucti fuerint ». Cf. Folium ad responsum 26 Apr. 1873, apud *Nouv. Rev. théol*,, XV, p. 36-37.

Quod principium olim a pluribus Auctoribus negatum aut in dubium vocatum (1), plus semel est inculcatum in variis decretis, responsis et instructionibus Romanis, signanter 16 Junii 1868, 10 Febr. 1869, 8 Sept. 1869 et 14 Febr. 1881 etc., quæ documenta, præter alia, videsis apud Feye, op. cit., n. 631, sub e/; collatis præ cæteris *Nouv. Rev. théol.*, XIV, p. 619-623; XV, p. 34-48; *Rev. théol. franç.*, 1898, p. 12 et seq.; Gasparri, *De Matrim.*, I, n. 428; De Becker, op. cit., p. 297 cum nota.

Et sane, uti ratiocinatur jam laudatum Folium 1873, « plura impedimenta simul sumpta conficiunt majorem quamdam indecentiam ac repugnantiam cum matrimonio contrahendo quam si singula tantum essent dispensanda »; unde difficilius dispensabit Pontifex, et « id quod difficiliorem reddit Pontificem ad dispensandum difficiliorem etiam reddit, ad facultatem dispensandi concedendam ».

Dicitur: *absque speciali indulto*, « et ita, quod spectat Ordinarium Brugensem, præter consuetas facultates omnibus Episcopis Belgii communes, Illustr. Episcopus Brugensis duplex a S. Sede accepit indultum: *unum*, quo conceditur a S. Pœnitentiaria facultas dispensandi « quando accidit ut, post matrimonium sine prævia dispensatione contractum, innotescat putatos conjuges *publico* impedimento affinitatis ex copula illicita ligatos esse »; *alterum*, quo indulgetur ut Ordinarius « facul-

(1) Inter illos olim erat Feye et post eum Theol. Mechl.

tatibus sibi jam concessis ab Apostolica Sede circa dispensationes matrimoniales,.... uti valeat etiam *cumulative* in casibus in quibus gradus aut *impedimenta multiplicari contigerit*, servatis tamen conditionibus in unaquaque concessione respective præscriptis (1) ».

Qua duplici munitus facultate potest Ordinarius Brugensis procedere ad relaxandum utrumque impedimentum, in ordine ad matrimonium Titii et Caiæ invalide contractum convalidandum, etiam in hac tertia hypothesi.

A. D. S.

IV

Q. *Antonius nuptias ambit cum Bertha consobrina germana, et, dispensatione Romæ obtenta et fulminata, triduò ante nuptias confitetur vicepastori sese copulam habuisse carnalem cum filia sponsæ suæ.*

Quò *recurret vicepastor et* quomodo *pro opportuno remedio?*

Respondemus sub distinctione:

I/ Si copula quam confitetur Antonius habita est, adeoque affinitas est contracta **post** dispensationem Romæ concessam et ab Officiali fulminatam, *solum* matrimonio obest impedimentum affinitatis illicitæ in primo gradu lineæ rectæ: alterum enim impedimentum consanguinitatis legitima dispensatione erat completè sublatum antequam novum est contractum.

Jamvero *in casu urgenti*, qualis hic supponitur, quando nempe omnia parata sunt ad nuptias, nec matrimonium, usque dum ad Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali dif-

(1) Attenta hac utraque facultate speciali, attentisque dictis supra sub B', posset Episcopus Brugensis dispensare in utroque impedimento, etiam in casu quo impedimentum criminis fuerit facto occultum, publicum vero fuerit impedimentum affinitatis illicitæ.

ferri potest, non modò Episcopus seu Ordinarius potest ipse dispensare, vi Pagellæ S. Pœnitentiariæ (1), sed habet etiam facultatem ad id subdelegandi, etiam *habitualiter*, parochos suæ diœceseos. Quam subdelegationem parochis suis (2) concessit Illustr. Episcopus Brugensis, in Congregatione Prosynodali 19 Maii 1896, cujus acta referuntur apud *Collationes Brugenses*, I, p. 381 et seq.

Opportune ergo remittet vicepastor pœnitentem Antonium ad parochum (3), modó, tamen *salvo sigillo* fieri possit. Nimirum si periculum qualecumque sit violationis sigilli, vel si ipse pœnitens parochum adire recuset, recurret confessarius ad Ordinarium, ad quem recursum tempus non deerit, cum supponatur tertio ante nuptias die confessionem institui: recurret autem per postam sive per directum nuntium, non vero ope telegrammatis, nisi alia media omnino desint (4).

II/ Si affinitas per copulam Antonii cum filia sponsæ Berthæ jam erat contracta **ante** dispensationem Romæ concessam, vel saltem ante dispensationem ab Officiali fulminatam (5), eo ipso dispensatio in impedimento consanguinitatis fuit invalida propter vitium *subreptionis*, adeoque jam duplex matrimonio obesset impedimentum dirimens.

Frustrà igitur remitteretur pœnitens ad *parochum*, quippe qui omni facultate destituitur, statim ac cum

---

(1) Sumimus affinitatem esse facto occultam.

(2) Accepta facultas, « *pro foro conscientiæ* ac *in actu sacramentalis confessionis* dumtaxat exercenda, ab ipsis in usum deduci potest etsi pœnitens *multiplici*, et occulto, ligetur impedimento affinitatis illicitæ ».

(3) Juxta tenorem concessionis Episcopalis, pœnitens est remittendus « ad *proprium* parochum », adeo ut facultas ab Episcopo parochis subdelegata censeatur restricta *ad solos respective parochianos*.

(4) Cf. *Librum Manualem*, p. 168-170, ubi varia occurrunt pro praxi attendenda et observanda quando opus est ut per telegramma ad Episcopum recurratur.

(5) Feye, *De Imped. matrim.*, n. 724; De Becker, *De Matrim.*, p. 335-336; Theol. Mech., *De Matrim.*, ed. 1894, p. 398-399.

affinitate concurrit quodvis aliud impedimentum, uti notatur in ipso tenore concessionis, apud *Collat. Brug.*, l. c., et *Librum Manualem*, p. 157-158 et p. 168-169.

Recurrendum est ergo ad *Episcopum*, qui potest, in casu occurente, convalidare dispensationem invalidè concessam in impedimento consanguinitatis et simul dispensare in impedimento noviter detecto affinitatis illicitæ. Nimirum id valet Episcopus sive :

1°/ *ex potestate delegata* a Pontifice a quo recepit Ordinarius Brugensis indultum ad annum « dispensandi seu convalidandi litteras dispensationis super quovis impedimento a S. Sede expeditas, quæ nullæ fuerint ob omissam mentionem, *bona tamen fide oratorum*, occultæ affinitatis ex copulâ illicitâ provenientis, etiam pro casu quo dictum impedimentum innotuerit executori antequam omnia ad matrimonium sint parata, si propter magnam suæ Sedis ab Urbe distantiam periculum incontinentiæ vel alterius gravis mali meritó timeatur ». Cf. Facultates annales S. Pœnitentiariæ, in Libro Manuali, p. 180-181, sub V.

Sive 2°/ *ex potestate quasi-ordinaria*, si constat *mala fide*, alterutrius saltem oratoris, occultatum fuisse impedimentum, et aliunde urgens est necessitas.

Quemadmodum enim Episcopus, uti scripsimus supra, p. 543, « potest, ratione urgentis necessitatis, dispensare super impedimentis occultis in quibus S. Sedes dispensare solet, eadem de ratione potest Episcopus, vi ejusdem potestatis quasi-ordinariæ, convalidare dispensationem Romæ obtentam, sed invalidè ob defectum *occultum* concessam ».

Impedimentum quidem consanguinitatis est publicum et fori externi, sed *vitium* sanandum est *occultum et fori interni*, adeoque sufficit convalidatio in foro conscientiæ, ad quam sese extendit in casu urgenti potestas Episcopi quasi-ordinaria.

Vi autem ejusdem potestatis quasi-ordinariæ, simul dispensabit in affinitate illicita, nec officit multiplicitas impedimentorum, uti p. 544 est dictum.

Quod *modum* attinet ad Episcopum recurrendi, præter illa quæ attendenda monuimus sub fine ad I, occurrit hic specialis difficultas vitanda: Nimirum in petenda necessaria dispensatione exponendum est impedimentum affinitatis illicitæ obstare matrimonio celebrando et simul invalidam fuisse dispensationem in consanguinitate in 2° gradu, ob omissam mentionem alterius concurrentis impedimenti.

Jamvero, etsi supplica hæc exponens sub fictis nominibus sit conscribenda, attamen, si ad Officialem mittatur qui olim libellum supplicem accepit pro dispensatione in consanguinitate, illumque Romam transmisit cum insertis oratorum nominibus, difficulter parcetur, penes dictum Officialem, famæ Antonii pœnitentis, et sigillum sacramentale vix non in discrimen vocabitur.

Vitatur sane fractio sigilli si pœnitens libere consentit ut hoc modo procedat confessarius, qui consensus eo facilius obtineri potest quod ipse Officialis strictissimo secreto existit obstrictus. Atvero, uti supra monuimus, p. 549, hujusmodi possunt occurrere circumstantiæ, ut Antonium dictæ suspicioni exponere non liceat, nec consensus ad hoc postulari queat, puta si spectatæ sit conditionis vel ipsi forsan Officiali non ignotus.

Remedium tunc esset in recursu ad ipsum Episcopum potius quam ad Officialem, juxta normam propositam in Congregatione Prosynodali 11 Maii 1869. Qui recursus fiat vel directe adeundo Illustrissimum vel mittendo epistolam in qua, præter indicationem: « confidentielle, personnelle », petatur, addita ratione, ut ipse Episcopus, per seipsum et sine intermedio Officiali, opportunam dispensationem concedere dignetur.

A. D. S.

V

Q. *Ex spontanea Pauli pœnitentis et prudenti interrogatione facta repetit confessarius ipsum Paulum, post mortem prioris conjugis, ante 20 ferme annos, prævie obtenta dispensatione in affinitate, novum iniisse matrimonium cum Anna sorore uxoris defunctæ, postquam, inde a morte prioris compartis, etiam post dispensationem Romæ petitam, cum dicta Anna luxuriose fuerit conversatus.*

An et quare valida fuit dispensatio olim impertita, et quanam via, si opus sit, procurabit confessarius ejusdem convalidationem?

R. I/ De *valore* dispensationis obtentæ in favorem matrimonii Pauli cum Anna in impedimento affinitatis, judicandum est attenta disciplina vigente tempore quo fuit concessa dispensatio, scilicet circa annum 1880.

Jamvero *tunc temporis*, juxta stylum Curiæ *ad valorem* observandum, erat *tanquam mera circumstantia* declaranda *copula* habita inter sponsos, quotiescumque agebatur de dispensatione obtinenda in consanguinitate, affinitate, cognatione spirituali aut legali, necnon in publica honestate; adeo ut omissio in supplica copulæ incestuosæ (seu quasi-incestuosæ) dispensationem reddiderit invalidam.

Insuper incestus in supplica expressus, si iterabatur tempore quo separatio vi litterarum Apostolicarum erat indicta, rursus irritabat dispensationem. Pariter subreptitia erat et nulla dispensatio si, hac impetrata sed nondum executioni mandata, incestum patraverant sponsi, vel reticuerant consilium et intentionem qua eamdem copulam inierunt ut dispensationem facilius consequerentur.

Nimirum hanc modò descriptam dispositionem juris matrimonialis manifeste exhibent varia documenta Romana, inter quæ præ cæteris consulenda sunt, præter Constitutionem Bened. XIV, *Pastor Bonus* (apud Feye,

De Impedim. matrim., ed. 1885, n. 607), decreta C. S. O. 1 Aug. 1866 et 1 Febr. 1882 (apud *Nouv. Rev. théol.*, X, p. 42-43, in nota, et XIV, p. 135), ac responsa S. Pœnitentiariæ 1 Junii 1858, apud Feye, op. cit., n. 697, et 20 Julii 1869, apud *Nouv. Rev. théol.*, X, p. 40. Cf. etiam Feye, op. cit., nn. 708-711 et 715.

Equidem dicta disciplina fuit revocata et abrogata per notissimas Litteras Apostolicas 25 Junii 1885, quibus declaratum est et statutum « dispensationes matrimoniales *posthac concedendas,* etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras (1) » ; atvero, cum revocatio non spectet nisi futurum seu dispensationes inde a 25 Junii 1885 concedendas, manet attendenda antiqua regula ejusque ratio est habenda, quando dijudicandum occurrit, quemadmodum in casu proposito, matrimonium in cujus gratiam obtenta est dispensatio *ante* laudatum diem 25 Junii 1885.

Quibus omnibus attentis, apparet dispensationem, de qua quæritur, esse habendam tanquam irritam et nullam, adeoque et matrimonium Pauli cum Anna esse judicandum invalidum :

a/ si constat nec Paulum pœnitentem nec Annam sponsam, ante supplicem libellum Romam missum, declarasse commercium incestuosum (2) ad invicem habitum ;

b/ si reperit confessarius copulam nondum fuisse habitam ante missas preces sed postea, nondum fulminata dispensatione ;

c/ si audit idem confessarius copulam quidem esse manifestatam et in supplica expressam, sed iteratam per tempus separationi indictum ; vel d/ reticitam esse

---

(1) Cfr. tenorem quem exhibet *Liber Manualis*, p. 155-157.

(2) Intelligimus copulam *perfectam* juxta declarationem S. Pœnitentiariæ 25 Junii 1863, quæ negative respondit ad quæstionem : « utrum incestus, in supplici libello reticitus, dispensationem invalidam efficiat, etiamsi non sit completus, consummatus? » Feye, op cit., n. 709.

intentionem, quam forte habuerint, ita facilius dispensationem consequendi.

II/ Ad *convalidationem* (1) matrimonii, casu quo, juxta principia exposita, judicetur fuisse invalide contractum, sufficit recurrere ad *Ordinarium*, qui ex indulto S. Pœnitentiariæ Episcopis Belgii *ad annum* concedi solito habet facultatem : « dispensandi seu convalidandi etiam in utroque foro litteras dispensationum super quovis impedimento ab Apostolico Sede expeditas... quæ nullæ fuerint ob incestum reticitum in precibus, aut patratum post missas preces et ante dispensationis executionem, vel iteratum durante separationis tempore vi litterarum Apostolicarum indictæ, (si qui casus evenerint ante diem 25 Junii 1885) ». Cf. *Librum Man.*, p. 180.

Siquidem in postulatis vitium sanandum est occultum recursus fiet *pro foro interno*, fictis nominibus ; specimen autem formulæ præsto est in Theol. Mechl., *De Matrim.*, ed. 1894, p. 440.

A. D. S.

VI

Q. *An et quare excommunicationem incurrunt illi qui nomen dant sectæ* Socialistarum?

R. Opinamur illos qui nomen dant *Socialismo* simpliciter dicto (2), hoc ipso (3) incurrere excommunicationem, nisi ob ignorantiam ab illa incurrenda excusentur.

---

(1) Intellige convalidationem *per simplicem dispensationem*, quam hic supponimus possibilem.

(2) Dicitur : *Socialismo simpliciter dicto*, hoc est Socialismo in genere suo spectato, prout ab ipsis coryphæis definitur, atque in aliis etiam documentis, et notatim in litteris Romanorum Pontificum, describitur. Si enim alicubi *Socialistarum* nomine vocentur fautores systematis œconomici vel factionis mere politicæ *(parti ouvrier)*, quæ unice bonum operariorum promovere intendunt, nomen dantes hujusmodi cœtui non incurrere excommunicationem censemus.

(3) Plures præterea Socialistæ, præcipue duces, subjacent excommunicationi speciali modo R. P. reservatæ, quatenus sunt hæretici vel apostatæ a christiana fide (Const. *Apost. Sedis*, Tit. I, art. 1).

Ratio est, quod *Socialismus* simpliciter dictus adnumerandus videtur societatibus generis *massonici*, quarum asseclas excommunicationi R. P. simpliciter reservatæ subjacere declaravit Pius IX Const. *Apost. Sedis*, Tit. II, n. 4. (1)

Societates enim massonicæ, de quibus in Const. *Apost. Sedis* aliisque pontificiis Constitutionibus sermo est, « variæ sunt hominum sectæ, quæ quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen *communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine* inter se contineantur, *re congruunt cum secta Massonum*, quæ cujusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universæ » (Leonis XIII Encycl. *Humanum genus*, 20 April. 1884). Massonicum igitur fœdus a « *communione quadam propositi* » et « a *sententiarum summa* judicandum » *(ibid.)*; ideoque ut societates generis massonici habendæ sunt eæ omnes « quæ adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando » (dec. S. Off. 5 Aug. 1846), « quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur » (Pii IX *Allocut.* in Consistorio habita die 25 Sept. 1865, et Const. *Apost. Sedis*), quæ volunt « evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicæ, novamque ad ingenium suum exstuere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus » (Encycl. *Humanum genus*). Hanc eamdem dignoscendarum generis massonici societatum tesseram exhibuit S. Officium in *Instructione* ad omnes catholici orbis Episcopos data die 10 Maii 1884: « Ne quis errori locus fiat, cum dijudicandum erit, quænam ex his

(1) « Nomen dantes sectæ *Massonicæ*, aut *Carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur ; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coryphæos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint ».

perniciosis sectis censuræ, quæ vero prohibitioni tantum obnoxiæ sint, certum imprimis est, excommunicationi latæ sententiæ multari massonicam aliasque ejus generis sectas quæ capite 2, n. IV, Pontificiæ Constitutionis *Apost. Sedis* designantur, *quæque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur, sive id clam sive palam fecerint, sive exegerint, sive non, a suis asseclis secreti servandi juramentum.* Præter istas sunt et aliæ sectæ prohibitæ atque sub gravis culpæ reatu vitandæ, inter quas præcipue recensendæ illæ omnes, quæ a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus præstandam juramento exigunt ». (1)

Porro, *Socialistarum* sectam, in genere suo spectatam, habendam esse ut societatem sectæ Massonum non absimilem, ex hac prognatam, et « communione propositi summarumque sententiarum similitudine » ipsi cognatam, quæque contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinatur, facto probatur et ex pontificiis litteris haud obscure eruitur. Certum enim exploratumque est *Socialistas* tum Ecclesiæ tum civili potestati ita adversari, ut utramque dijicerent, si possent; atque facta quæ propediem contingunt id evidentissime demonstrant. Qua de re audiantur Leonis XIII luculentissima testimonia. « Nullo autem negotio intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos de illa hominum *secta* loqui, qui diversis ac pene barbaris nominibus *Socialistæ, Communistæ* et *Nihilistæ* appellantur, quique per universum orbem diffusi, et iniquo inter se fœdere arctissime colligati, non amplius ab occultorum conventum tenebris præsidium quærunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuntes, *quod jampridem inierunt consilium cujuslibet civilis societatis fundamenta convellendi* (2), *perficere ad-*

(1) Ex his jam apparet genus massonicum non esse a secreto seu clandestinate judicandum, nec huic characteri nimis esse insistendum. Cf. *infra*.

(2) Per universam Constitutionem a se latam invictis argumentis

nituntur » (Encycl. *Quod Apostolici muneris*, 28 Dec. 1878). Pariter, in Encyclica *Libertas,* data die 20 Junii 1888, ut ostendat *Naturalismi* doctrinam (a qua *Massonum* ac *Socialistarum* placita communem originem ducunt) maxime perniciosam esse civitatibus, Pontifex dicit : « Quod satis testatur dimicatio propemodum quotidiana contra *Socialistas*, aliosque seditiosorum greges, *qui funditus permovere civitates diu moliuntur* ». Similia occurrunt in Litteris *Dall'alto*, die 15 Octobris 1890 ad Episcopos et populum Italiæ datis (1), in Encycl. *Rerum novarum* (2), necnon in *Allocutione* habita ad Galliæ opifices die 10 Septembris 1891. (3)

Ulterius diserte affirmat Pontifex sectam *massonicam* et perniciosam *Socialismi* pestem « consiliorum societate et agendorum similitudine » invicem conjunctas esse (4), Romanosque Pontifices ut alias sectas massonicas, ita et *Socialismum* ex ipsis erumpentem damnasse. Recensitis enim Constitutionibus quibus Clemens XII, Benedictus XIV, Pius VII et Leo XII sectas massonicas anathemate damnarunt, subdit Leo XIII: « Omnibus denique manifestum est quibus gravissimis verbis et quanta animi firmitate ac constantia gloriosus Decessor Noster Pius IX f. m... tum *contra iniqua sectarum conamina*, tum **nominatim** *contra jam ex ipsis erumpentem*

---

demonstrat Pontifex *Socialistas* tum Ecclesiæ tum civili potestati periculum inferre.

Hic obiter notetur neminem negare *Communistas* et *Nihilistas* censura perstringi. Quare ergo non plecterentur *Socialistæ* qui cum illis unam sectam constituunt et arctissimo vinculo ita sunt colligati, ut Pontifex in reliqua Constitutione sua de solis *Socialistis* jam memoret?

(1) Inoltre, uno dei più grandi e dei più formidabili pericoli che corre la società presente sono le agitazioni dei *Socialisti*, che *minacciono di scompaginarla dalle fondamenta* ».

(2) Socialistarum ratio « pervertit officia reipublicæ, *penitusque miscet civitates* ».

(3) « Evitez le commerce des hommes pervers, de ceux surtout qui, sous le nom fallacieux de *Socialistes*, ne visent à rien moins qu'à *bouleverser l'ordre social* ».

(4) Cf. Epist. ad Archiep. Colonien., 24 Feb. 1880.

Socialismi pestem dimicavit » ; et concludit : « Vos autem, Venerabiles Fratres,... adlaboretis oportet ut Ecclesiæ catholicæ filii *neque nomen dare, neque abominatæ sectæ favere ulla ratione audeant* » (Encycl. *Quod Apostolici muneris).* Pariter in Encyclica *Humanum genus :* Massones, ait, « *expediunt viam* audacioribus non paucis ad pejora præcipitantibus, ut qui æquationem cogitant communionemque omnium bonorum ». Dein, expositis et confutatis præcipius Massonum dogmatibus, subjungit Pontifex : « Cæterum, ex iis, quos commemoravimus, turbulentis erroribus, maximæ sunt civitatibus extimescendæ formidines... necessario consecutura est rerum omnium commutatio et eversio. *Hanc immo commutationem eversionemque consulto meditantur*, idque præ se ferunt plurimi *Communistarum* et *Socialistarum* consociati greges : quorum cœptis alienam ne se dixerit secta *Massonum, quæ et consiliis eorum admodum favet, et summa sententiarum capita cum ipsis habet communia* ». Tandem, in eadem Constitutione : « Sane, ait Leo XIII, opportunam sæpius occasionem nacti, persecuti sumus præcipua *quædam doctrinarum capita, in quas massonicarum opinionum influxisse maxime perversitas videbatur. Ita* Litteris Nostris *Quod Apostolici muneris* agressi sumus *Socialistarum* et *Communistarum* portenta convincere ».

Notatu etiam dignum est S. Officium, in prælaudata sua *Instructione* 10 Mai 1884 de Massonum secta aliisque ex ea prognatis, Episcopos monere ut *ad pauperes artifices et operarios* peculiares curas convertant et operariorum cœtus excitent, propterea quod *inter illos « potissimum delectus haberi solet* ab iis quibus vel ipsa religionis et societatis fundamenta convellere propositum est ». Nonne hæc *Socialistis* magis quam *Massonibus* conveniunt? Evidenter. Idem jam monuit Pontifex in Encyclica *Quod Apostolici muneris :* « Cum *Socialismi* sectatores *ex hominum genere potissimum quærantur qui artes exercent vel operas locant,...* opportunum videtur artificum atque opificum societates fovere ».

Ex omnibus his non immerito, ni fallamur, concludet quis *Socialismum* simpliciter dictum esse societatibus generis *massonici* adnumerandum, ideoque nomen dantes sectæ *Socialistarum* excommunicationis pœnam incurrere.

Neque dicas multos esse, in Belgio et variis regionibus, qui conscii non sunt *Socialismi* finis; imo plures esse *Socialistarum* cœtus qui mediis tantum legalibus, non vi et cædibus, se usuros asseverant ad paulatim sua placita practice inducenda. Heic enim applicanda videntur quæ Leo XIII de Massonum secta habet: « Hæc quæ diximus..., de secta massonica intelligi oportet *spectata in genere suo,* et quatenus sibi cognatas fœderatasque complectitur societates: non autem de sectatoribus earum singulis (1)... Similiter ex *consociationibus ipsis* nonnullæ fortasse nequaquam probant conclusiones quasdas extremas... Item nonnullas locorum temporumve ratio suadet minora conari quam aut ipsæ vellent aut cæteræ solent: non ideirco tamen alienæ a massonico fœdere putandæ, quia, *massonicum fœdus non tam ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa judicandum summa judicandum* ».

Neque etiam, uti jam innuimus, nimis urgenda similitudo quæ ab *occulto* secreti deducitur: nam in tenore censuræ aliisque documentis nulla alia similitudo indicatur quam ut societates « communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine » cum secta *Massonum* conjungantur, et « contra Ecclesiam vel legitimas potestate machinenter ». Si anteactis temporibus sectæ massonicæ damnatæ fuerint propter hanc præcipue forsan causam quod fuerint *clandestinæ* (cf.

(1) Plerique fideles qui Socialismo favent vel etiam coadunantur immunes sunt a censura incurrenda, sive quia censuram ignorant, sive quia nullum peccatum grave committunt dum putant sectam illam nihil aliud esse quam partes politicas plebeiorum commoda propugnantes. Attende tamen diligenter monendos esse eos omnes qui se Socialistarum cœtibus imprudenter ingerunt.

Bened. XIV Const. *Providas*), nostro tamen ævo, quum « non amplius ab occultorum conventuum tenebris præsidium quærant » (Encycl. *Quod Apostolici*), « jamque ex latebra et insidiis in lucem erupuerint » (Litt. apost., 20 Junii 1894), licet « genus societatum clandestinarum moremque retineant » (Encycl. *Humanum genus*), huic caracteri RR. Pontifices minus jam instituerunt, et sectas damnarunt, sive clam, *sive palam* machinentur. « Quin etiam, ut notat Génicot (1), si nimis urgeas tamquam essentialem characterem occultum sectæ, excipiendi erunt a censura Massones Angliæ, Statuum Fœd. Americæ, etc. ubi publicos cœtus sub publicis notis ducibus celebrant iidem sectarii ».

Hanc nostram interpretationem tuentur *Nouv. rev. théol.*, T. XXVIII, p. 178; Gennari, *Il monitore ecclesiastico*, T. X, p. 40; Pennachi, apud *Acta S. Sedis*, T. XXX, p. 305; F. Piatus, apud *Nouv. rev. théol.*, T. XXX, p. 597; Génicot, *Instit. theol. mor.*, ed. 2ª, T. II, p. 645 coll. *Addita et addenda*, l. c. Cf. etiam Lehmkuhl, *Theol. mor.*, ed. 9, T. II, p. 950; Arndt, apud *Pastor bonus*, an. 1900, p. 19, et nost. *Comment. in Const.* « Officiorum ac munerum », n. 36.

C. V. C.

(1) *Addita et mutata* in edit. Theol. Moralis, p. 156.

Dissertatio

Utrum narratio formationis Evæ *(Genes. II, 21, 22)* historicè accipienda sit, an veró parabolicè.

Sequitur. — Cfr. suprà, p. 561.

III

Sensus historicus narrationis formationis Evæ (Gen. II, 21, 22) demonstratur:

1. *Ex sensu obvio et naturali narrationis mosaicæ* (II, 21 22). Nemo enim diffitetur hanc narrationem, sensu obvio et naturali acceptam, planè historicam esse. Et sanè apertiùs doceri non poterat mulierem reverà ex viro procreatam esse quàm dicendo: « *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam.* »

Atqui in explanandis Scripturis tenendus est sensus verborum obvius et naturalis nisi ab eo recedendum esse firmis argumentis demonstretur.

Jam verò suprà ostendimus argumenta adversus obvium et naturalem hujusce loci sensum allata perquam infirma esse, nec quidquam ex eo sequi absurdi. Immo contrà theologi ex S. Thoma p. I, q. 92, a. 2, 3 varias adducunt rationes propter quas, nedum absurdum, congruum potiùs omninò fuerit Evam ex Adamo, atque ex ejus quidem costa formari.

Ergo tenendus est hujusce narrationis sensus obvius et naturalis, nempe historicus.

2. *Ex contextu.* Sicut enim suprà jam animadverti-

mus, omnia quæ in hoc capite secundo narrationem formationis mulieris *immediatè* præcedunt aut sequuntur, absque dubio historicè narrantur atque historicè accipienda sunt. Ergo hæc etiam intermedia narratio historicè intelligenda est. Perpendantur in primis quæ immediatè sequuntur v. 24: « *Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* » Quis negare audebit Adamum verba ista verè dixisse, iisque apertè significasse Evam ex se formatam esse? Nihil enim ex historico istius versiculi sensu sequitur absurdi. Idem dicendum est de relatione formationis Adæ, paradisi, mandati divini, adductionis animalium (7-20), necnon nuditatis protoparentum (25). Nihil enim obstat quominus hæc omnia, prouti sonant, historicè accipiantur. Et verò, Adamum ante Evam exstitisse meridianâ luce clarius est ex præcedentibus v. 18: *Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.... 20. Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus.* Post quæ v. 21 sequitur: *Immisit ergo Dominus Deus soporem* etc. Si porro Adam aliquando exstitit solitarius, meritò quæritur quà ratione Deus ipsi fecerit adjutorium simile sibi.

Nam qua ratione fecerit Adamum, apertè declaraverat Moyses v. 7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Jam vero prædictæ quæstioni respondet Moyses disertè narrando modum formationis mulieris vv. 21, 22: *Immisit ergo* etc. Quæ narratio nisi historicè accipiatur, necessario sequeretur mosaicam narrationem inconstantia laborare atque mancam exsistere.

Cogit igitur tota proximè contexta oratio descriptionem formationis mulieris historicè interpretari: ut omittamus narrationem opificii sex dierum (c. I) probabilius, narrationem verò colloquii serpentis cum Evâ (c. III) certò historicè accipiendam esse: quibus profectò haud parum confirmatur historica interpretatio totius capitis intermedii (II[1]).

3. *Ex aliis S. Scripturæ locis.* Adamum antè Evam formatum esse atque omninò solitarium aliquando fuisse, disertè affirmatur Sap. X, 1 : « Hæc illum, qui *primus formatus est* à Deo pater orbis terrarum, cum *solus esset creatus*, custodivit ». Rectè Luc. Brug. « Nam non simul cum eo creata, sed postea ex costa ejus ædificata est mulier. » Idem apertè docet S. Paulus 1 Tim. II, 13 : « *Adam enim primus formatus est: deindè Heva* », quo argumento probare intendit Apostolus mulierem non posse *dominari in virum* (v. 12), sed viro subditam esse debere. Evam autem non solum *post* Adamum, sed *ex* eo conditam esse, clare testatur idem Apostolus 1 Cor. XI, 8 : « *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro* », quibus verbis demonstrare vult mulierem esse viro inferiorem, utpote *ex eo* tamquam principio suo conditam, eamque proinde agnoscere debere potestatem viri, nimirum velando caput suum in conventibus liturgicis. Insuper v. 12 : « *Nam*, ait, *sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem: omnia autem ex Deo.* » Sicut igitur *vere* omnia ex Deo sunt, et sicut *vere* vir quivis post Adamum per mulierem nascitur, ita *vere* mulier primitus de viro formata est. — Et hæc argumenta scripturistica sufficiant: nolumus enim impræsentiarum uti locis contradictioni obnoxiis, qualia sunto Eccl^ci XVII, 1-5, Act. Ap. XVII, 26.

4. *Ex sententia unanimi Patrum ac Theologorum.* Cajetano tandem adversatur concors omnium Patrum ac theologorum, qui Evam ex Adamo re vera conditam esse senserunt et scriptis prodiderunt, sententia. Neque opponatur modum formationis Evæ rem esse *adiaphoram*, adque fidem et mores minimè pertinentem, adeoque licitum esse hac in re contra communem Patrum et Scholæ sententiam sentire: namque tum S. Scriptura (1), tum Ecclesiæ doctores passim argumentum

(1) Cf. Genes. II, 24; 1 Cor. XI, 8-12; 1 Tim. II, 12, 13.

inde sumunt ad demonstrandam matrimonii unitatem (1), et indissolubilitatem, mutui amoris inter conjuges necessitatem, procreationem Ecclesiæ ex latere Christi dormientis in cruce, atque mulieris respectu viri inferioritatem ac dependentiam : quæ sanè res cum fide et moribus arctam habent necessitudinem. (2). Atqui « In rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium... nemini licet contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari. » Conc. Vatic. Const. *Dei Filius*.

Infinitum foret ac supervacaneum ducimus demonstrare quoad præsentem locum reapsè haberi unanimem consensum Patrum atque Ecclesiæ Doctorum.

Haud possumus tamen quin animadvertamus S. Hieronymum (in Epistolam *Pauli ad Philem.*) *inter alia multa quæ omnibus credenda esse affirmat, etiam hoc commemorare, Evam ex costa et latere Adami esse fabricatam.* Igitur juxta S. Hieronymum sententia Cajetani rectæ fidei contraria est.

Verùm torrente Doctorum parùm movetur Cajetanus. Initio enim Commentariorum suorum in Genesim sic præfatur : « Si quando occurrerit aliquis sensus textui consonus, *quamvis à torrente Doctorum alienus*, Lector æquum se præbeat censorem, nullusque detestetur illum ex hoc, quod dissonat à priscis doctoribus : non enim alligavit Deus expositionem Scripturæ priscorum docto-

(1) Ità Innoc. III, *de Divortiis*, cap. *Gaudemus*, decernens divino jure prohibitum esse plures simul uxores habere, hanc sententiam ut firmissimo argumento confirmat, *cò quòd ab initio una costa in unam fœminam sit conversa*.

(2) Si primum caput Geneseos figuratè exponitur, tamquam fundamentum institutionis sabbati post sex dies laboris manet distinctio sex operum ac secuta Dei cessatio ab opere ; si verò productio mulieris accipitur parabolicè, jam nihil restat super quod laudatæ doctrinæ ædificentur. Ceteroquin, hujusmodi figuratæ expositiones non sunt sine necessitate multiplicandæ, cavendumque est ne universa doctrina theologica super historiam Veteris Testamenti fundata, nimiâ indulgentiâ nostrâ, plaudentibus incredulis, vacillare videatur.

rum sensibus, alioquin spes nobis tolleretur exponendi Scripturam, nisi transferendo (ut aiunt) de lidio in quinternum. »

Notat Pererius doctos et pios viros his Cajetani verbis valde offendi; Cajetanum verò, quod ibi præfatus est audacter, præstitisse abundè, eamque etiam ob causam in Geneseos expositione nonnullos in errores, et quidem graves lapsum esse: ut mirum non sit ejus commentarios ad hæc usque tempora catholico cuique interpreti nonnihil suspectos fuisse, atque de insigni illo theologo assertum aliquando fuisse: perindè esse Cajetanum ex suis commentariis, ac pavonis pulchritudinem non ex pennis, sed ex pedibus ejus æstimare. (1).

Sacræ Scripturæ scientiam inde à temporibus SS. Patrum multum fecisse progressum, immò grandem adhuc ipsi restare viam, sanæ mentis diffitetur nemo. Sicut autem retrogradi angustique est animi nova quæcumque *à priori* contemnere ac repellere, ita præproperi ingenii atque immaturi judicii est quamcumque novitatem illicò amplecti atque extollere. Communi verò Doctorum sententiæ sine gravi ratione contraire, nefas. Cum igitur ex suprà disputatis manifestum sit parabolicam expositionem narrationis formationis Evæ nonnisi infirmis niti argumentis, historicam verò istius loci enarrationem argumentis niti validissimis, satis temerarium esse ducimus in hac quæstione à communi Veterum sententia recedere.

G. V. D. P.

---

(1) « Quod attinet ad Cajetanum, *ait Card. Pallavicinus*, qui eum ex editis in sacras Litteras Commentariis æstimat, perinde sese habet, ac qui non ex pennis, sed ex pedibus pavonis pulchritudinem æstimat: nempe accidit, ut hominis præcelsa mens, in aliis quidem operibus admirabilis, in his ducem secuta, Hebraicæ magis Grammaticæ quam divinæ sapientiæ gnarum, jacuerit ingloria. Quin in eos Cajetani Commentarios commotus Gabriel Prateolus Episcopus Claromontanus, ipsum inter hæreticos connumeravit; et quamvis justo severior fuerit ea censura in virum adeo pium atque illustrem, certè illius interpretationibus nullus datus est nec ab hæreticis nec à Catholicis plausus ». Hist. Conc. Trid. Lib. 6. Cap. 17, p. 597.

Législation civile ecclésiastique

Loi du 24 Avril 1900 relative aux traitements des ministres du culte catholique et aux pensions civiles et ecclésiastiques.

(Suite — voir ci-dessus, p. 570).

—

Examinons maintenant, en détail, quelles sont les diverses fonctions « que le gouvernement reconnaîtra avoir été nécessaires aux besoins du culte ».

La loi énumère les fonctions suivantes :

a/ « Celles **d'aumônier d'un établissement hospitalier** ».

Le terme « *établissement hospitalier* », substitué au mot « *hôpital* », comprend sans aucun doute les *hospices* en général, et pas seulement les *hôpitaux* proprement dits. Cf. *Rev. cath. de droit*, T. I, p. 317.

M. Woeste ayant demandé « si cette disposition s'applique également aux aumôniers des *dépôts de mendicité* » (1), le ministre de la justice a répondu :

---

(1) Voici les paroles de M. Woeste : « L'article 5 vise, dans les dispositions nouvelles qu'il propose, les fonctions d'aumônier d'un établissement hospitalier. Je voudrais savoir si cette disposition s'applique également aux aumoniers des dépôts de mendicité, et voici pourquoi. Les aumôniers des dépôts de mendicité ne sont pas payés par le gouvernement, mais par la caisse de l'établissement. Cependant les dépôts de mendicité sont des *établissements publics*. Or, il arrive très souvent, au moins dans les cas relatifs à la vacance des fonctions d'aumônier, que ce soit un vicaire qu'on appelle à ces fonctions et qu'après avoir passé quelque temps au dépôt de mendicité comme aumônier, il devienne curé.

« Il me paraît certain qu'on doit faire entrer en ligne de compte, pour le calcul de la pension, les années passées par l'intéressé comme aumônier dans un dépôt de mendicité. Il y remplit une sorte de *service public*, et la caisse de l'établissement le paye en réalité par délégation de l'État.

« Pour prévenir tout désaccord à l'avenir, je sollicite de l'honorable ministre de la justice un mot d'explication » (*Ann. parl.*, p. 822-823).

« Ces mots (« *établissements hospitaliers* ») s'appliquent aussi bien à un établissement *privé* qu'à un établissement *public*, du moment où il apparaît que les services rendus dans pareil établissement viennent *à la décharge du ministère paroissial* et qu'ils ne pourraient convenablement être remplis par les ecclésiastiques occupés de ce ministère.

« Parmi les établissements hospitaliers, faut-il ou non comprendre *les refuges* et *les dépôts de mendicité?* Je ne vois rien qui s'oppose à ce qu'on les y comprenne et à ce que le gouvernement envisage les fonctions d'aumônier dans les établissements hospitaliers comme nécessaires aux besoins du culte ».

Cependant, M. Colaert a insisté.

« Cette réponse, a-t-il dit, n'est pas catégorique. Il semble à l'honorable ministre qu'on eût dû comprendre les anciens aumôniers de notre espèce dans la loi; mais, comme nous faisons ici œuvre de législateur et qu'une réponse ministérielle a de l'importance au point de vue légal, je désire que l'honorable ministre nous donne une réponse formelle ».

« Il m'est absolument impossible, a répliqué le ministre, de donner une réponse générale à l'honorable membre pour la raison que voici : il y a lieu d'examiner, dans chaque cas particulier, la nature et l'importance des services rendus dans l'établissement auquel l'ecclésiastique est attaché. Que dit, en effet, l'article 22? « Seront comptées comme années de service celles pendant lesquelles le titulaire aura rempli des fonctions ecclésiastiques, non rétribuées par le trésor public, que le gouvernement reconnaîtra avoir été nécessaires au service du culte ». Il y a là, par conséquent, un droit d'appréciation donné au gouvernement; celui-ci en fait usage dans chaque cas particulier. Il examine si les services rendus doivent être considérés commes nécessaires ou non aux besoins du culte. On ne peut formuler d'autre règle générale; chaque espèce individuelle doit faire l'objet d'un examen séparé » (*Ann. parl.*, p. 823).

Il résulte de ces explications que les fonctions d'aumônier dans un refuge ou dans un dépôt de mendicité *pourront*, mais *ne devront pas* dans tous les cas, être

considérées comme nécessaires aux besoins du culte. Le gouvernement examinera, dans chaque cas particulier, la nature et l'importance des services rendus, et décidera, en conséquence, s'il y a lieu de les admettre ou non dans la liquidation des pensions.

b/ Les fonctions « **de professeur dans un séminaire et de professeur de religion dans les établissements d'instruction** ». (1)

Cette disposition a donné lieu à une demande d'explication de la part de M. Denis, et à une réponse de la part de M. le ministre de la justice. Comme cet échange de vues ne brille pas précisément par sa lucidité, nous croyons utile de le reproduire textuellement.

M. Denis. — « Messieurs, j'ai demandé la parole sur cet article pour solliciter du gouvernement une explication dont voici l'objet:

D'après l'arrêté royal du 24 Décembre 1884 qui fixe le taux des pensions des instituteurs primaires, d'après l'article 12 de cet arrêté, le taux des pensions des instituteurs ne peut excéder les deux tiers du traitement et ne peut pas dépasser un maximum de 5000 francs. D'après la loi de 1844 modifiée par le projet actuel, les membres du clergé atteindront un véritable éméritat, c'est-à-dire une pension égale au traitement dont ils ont joui pendant les cinq dernières années.

« Messieurs, pour avoir un titre à cette pension, on doit se trouver dans les conditions prévues à l'article 5, c'est-à-dire avoir *60* ans d'âge *ou* (2) compter trente années de service au lieu de quarante exigées antérieurement par la loi. Parmi ces trente années de service, on compte celles qui auront été remplies par l'exercice des fonctions d'aumônier, de professeur au séminaire, de professeur de religion dans un établissement d'instruction.

« Je demande pourquoi l'instituteur primaire, enseignant

---

(1) Il y avait ici un amendement de M. Helleputte, remplaçant les mots « *et de professeur de religion etc.* » par ceux-ci: « *ou dans un établissement d'instruction* ». L'amendement fut retiré par son auteur et, par conséquent, la Chambre n'eut pas à se prononcer.

(2) Lisez: *65* ans d'âge *et*...

des connaissances profanes, ne peut obtenir la pension dans les mêmes conditions, et pourquoi le maximum de cette pension est même inférieur à celui du clergé. En s'adonnant à l'instruction religieuse, on obtient par là un titre de plus »...

M. Van den Heuvel, ministre de la justice. — « L'honorable M. Denis fait remarquer d'abord que, en vertu des dispositions législatives de 1884, la pension des instituteurs ne dépasse pas les deux tiers de leur traitement, tandis que celle des membres du clergé constitue un éméritat en ce sens qu'elle peut atteindre l'intégralité du traitement.

« C'est parfaitement vrai.

« L'honorable M. Denis se demande s'il n'y a point quelque chose d'illogique dans la disposition particulière de l'article 22 de la loi, qui assimile aux années de service celles pendant lesquelles le titulaire a rempli des fonctions non rétribuées par le trésor public, telles que celles de professeur dans un séminaire ou de professeur de religion dans un établissement d'instruction. Il se demande pourquoi ces professeurs ne sont pas traités de la même manière que les autres professeurs ecclésiastiques qui, n'ayant jamais reçu de traitement de l'État, ne jouissent d'aucune pension.

« La raison pour laquelle toutes les pensions du clergé ont été soumises au régime de l'éméritat, c'est la modicité du traitement et la perte que fait l'ecclésiastique à sa retraite des avantages particuliers attachés à sa position.

« Quand l'ecclésiastique a passé quelques années dans l'enseignement, on demande s'il y a lieu de compter ou s'il faut faire abstraction des services rendus dans l'enseignement. La législation a toujours et très justement distingué. *Les services de l'enseignement sont comptés toutes les fois que ce sont des services rendus dans un séminaire* ou *qu'il s'agit de l'enseignement de la religion*, parce que, dans ces cas, les services de l'enseignement sont envisagés comme nécessaires au point de vue du culte ».

M. Denis. — « La réponse de l'honorable ministre me semble une véritable défaite; il me dit: les pensions des ecclésiastiques ont comme maximum un chiffre correspondant à l'éméritat.

« Ce sont des raisons de fait que je demande, surtout lorsqu'on rapproche les dispositions relatives aux institu-

teurs, la loi de 1844 et les modifications qu'apporte la loi nouvelle d'aujourd'hui. Vous réduisez de dix ans la durée nécessaire des fonctions et *vous y comprenez des matières dont l'enseignement n'est en rien compris dans les services du culte*. C'est tellement vrai et tellement décisif, que c'est dans *la loi sur l'instruction primaire* qu'on les a introduites et c'est en vertu de la loi sur l'instruction primaire que certains membres du clergé rempliront certaines de ces fonctions de professeurs de religion. Vous n'avez pas répondu à ma question qui est celle-ci : *Comment se fait-il que l'enseignement de certaines branches comprises dans la loi de l'enseignement primaire* donne des titres supérieurs à ceux que donne l'enseignement d'autres branches comprises dans la même loi sur le même enseignement » ?

M. Van den Heuvel, ministre de la justice. — « Il s'agit de savoir si les années qu'un desservant a passées *dans un séminaire comme professeur de religion* doivent entrer en compte pour le calcul de sa pension. La réponse doit être affirmative puisque cet ecclésiastique a rempli des fonctions nécessaires aux besoins du culte. Dans quelle mesure ces années doivent-elles compter, pour quel tantième et sur quelle base, le doute n'est possible dans aucun cas.

« *Lorsque l'enseignement ne se donne pas dans un séminaire* ou *est autre que celui de la religion*, il faut alors appliquer les lois générales sur l'enseignement. *Lorsque l'enseignement est religieux*, alors, comme il s'agit de services nécessaires aux besoins du culte, il y a lieu d'appliquer les règles générales sur les pensions ecclésiastiques.

« Ces règles ne sont pas nouvelles. Elles sont suivies dans l'interprétation de la loi de 1844. *Le projet actuel ne contient aucune innovation au regard de ce qui se pratique*. Mais pour éviter toute difficulté, il a paru utile de préciser le texte » (*Ann. parl.*, p. 823).

Les conclusions qui semblent se dégager des explications assez confuses de M. le ministre de la justice, sont : 1° « Les services de l'enseignement ne sont comptés que lorsqu'ils ont été rendus *dans un séminaire* ou *lorsqu'il s'agit de l'enseignement de la religion*, parce que ces services sont considérés comme nécessaires aux besoins du culte ». Rapport de la commission de la

justice au Sénat (*Doc. parl.*, p. 102). 2° L'exception établie en faveur de l'enseignement donné « *dans un séminaire* » paraît ne pas devoir s'appliquer aux professeurs des *humanités* dans les *petits* séminaires (1). 3° D'après les déclarations du ministre, « les services de l'enseignement sont comptés *toutes les fois* qu'il s'agit de *l'enseignement de la religion*... Alors, comme il s'agit de services nécessaires aux besoins du culte, il y a lieu d'appliquer *les règles générales sur les pensions ecclésiastiques*,... *suivies dans l'interprétation de la loi de* 1844 ». Mais, quelles sont ces règles? Les conflits qui ont surgi entre le gouvernement et la Cour des comptes au sujet de l'interprétation du § 2 de l'article 22, et la modification apportée à ce texte en vue de prévenir de nouvelles difficultés tendent à prouver que ces règles n'étaient pas nettement fixées; et nous doutons fort que la modification introduite à la loi produise le résultat que le législateur s'est proposé. Quoi qu'il en soit, nous croyons que le gouvernement reconnaîtra comme nécessaires aux besoins du culte les services rendus par les professeurs de religion dans les établissements d'instruction de l'Etat, dans les écoles primaires officielles ou adoptées, dans les petits séminaires et les collèges patronnés; et nous espérons que, logiquement, il admettra aussi comme tels les services rendus par les professeurs de religion dans les autres établissements privés d'instruction. (2)

Outre les fonctions énumérées dans la loi, il en est d'autres qui ont un rapport plus direct avec le ministère

---

(1) D'autre part, le texte de la loi est général (« *professeur dans un séminaire* »); et, si M. le ministre ne s'était pas chargé de l'expliquer (?), nous n'hésiterions pas à l'appliquer indistinctement à tous les professeurs des petits comme des grands séminaires. Cf. *Collationes*, T. III, p. 346, et *Rev. cath. de droit*, T. I, p. 125.

(2) La question peut présenter un intérêt pratique, par exemple pour les ecclésiastiques, directeurs d'écoles primaires ou moyennes, dont la fonction principale consiste à donner l'enseignement de la religion.

paroissial, et que la jurisprudence administrative envisage comme nécessaires aux besoins du culte dans le sens de la loi. Telles sont notamment les fonctions de *coadjuteur* et de *vicaire* auxiliaire, non rétribuées par le trésor public (lettre ministérielle du 5 Août 1897). Cf. *Collationes*, T. III, p. 346 ; *Rev. cath. de droit*, T. I, p. 43, et T. III, p. 75.

Nous rangeons dans la même catégorie les services rendus par les *secrétaires d'évêché* qui n'auraient pas joui d'un traitement sur le trésor.

Les articles 23 et 24 concernent *la pension* qui peut être obtenue par les ecclésiastiques obligés de se démettre de leurs fonctions *pour cause d'infirmités* avant d'avoir atteint l'âge de 65 ans. Ils établissent le principe, fixent le montant, et déterminent les conditions spéciales de ces pensions. Cf. *Collationes*, T. III, p. 346 ss.

Comme nous l'avons déjà fait observer, la modification introduite à l'article 24 est une conséquence de celle qui a été apportée au § 1er de l'article 22. Le législateur, ayant abaissé de quarante à trente le nombre des années de service exigées pour la pension entière en dehors du cas d'infirmités, devait nécessairement modifier le taux de la pension accordée du chef d'infirmités et déterminer les tantièmes de manière à rétablir la proportion entre ces deux pensions.

(A suivre).

C. V. C.

E S. R. Univ. Inquisitione

DECRETUM

Circa facultates audiendi confessiones fidelium navigantium.

In Congregatione Generali S. Romanæ et Universalis Inquisitionis habita fer. IV, die 4 Aprilis 1900, quum disceptatum fuisset super facultate Sacerdotum iter transmarinum facientium excipiendi Fidelium ejusdem itineris comitum Sacramentales Confessiones, E^mi ac R^mi DD. Cardinales in universa Christiana Republica Inquisitores Generales, ad omnem in posterum hac super re dubitandi rationem atque anxietatibus occasionem removendam, decreverunt ac declararunt: *Sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario Confessiones excipiendi facultatem habeant, posse in navi toto itinere durante Fidelium secum navigantium Confessiones excipere, quamvis forte inter ipsum iter transeundum, vel etiam aliquandiu consistendum sit diversis in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis.*

Hanc autem Emorum Patrum resolutionem SS^mus D. N. Leo div. prov. PP. XIII per facultates E^mo D. Cardinali S. Officii Secretario impertitas, benigne adprobare et confirmare dignatus est.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

Adnotationes. — Non minimi momenti mutationem in re jurisdictionis sacramentalis respectu fidelium navigantium præsens decretum induxit. Olim vi decreti ejusdem S. Congr. Inquis. 17 Martii 1869 (1), ut sacerdos secum in mari navigantium confessiones valide ac licite excipere posset, debebat esse approbatus ab Ordinario locorum unde navem solverent. Nunc autem quivis sacerdos, *dummodo a proprio Ordi-*

(1) Cfr. Nouv. revue. théol. tom. XVII, p. 600 sq. — *Collat. Brug.*, tom. IV, p. 602.

nario confessiones excipiendi facultatem habeat, idem præstare potest. — Hæc autem ejus facultas perdurat usque ad finem itineris, non obstante quod identidem per ipsum iter ad littus appellant et *in locis diversorum Ordinariorum jurisdictioni subjectis aliquamdiu consistant:* hoc tamen in casu non posset sacerdos, vi hujus decreti, eorumdem itineris comitum confessiones excipere extra navim, siquidem in decreti tenore expresse dicatur *in vavi*. Dicimus *vi hujus decreti:* aliud enim obtinet, si agatur de exercenda jurisdictione ordinaria in proprios subditos, putà parochi in parochianos, Episcopi in diœcesanos secum itinerantes.

H. V. D. B.

Ex S. Congr. Rituum

DECRETUM.

Sacra Rituum Congregatio declarat:

« Festum duplex habens octavam, quando in die sua celebrari juxta Rubricam haud valeat et infra totam suam Octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam Octavam diem, quamvis in Dominicam incidat, dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius: quo in casu Sacra Rituum Congregatio jubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam juxta Rubricas ».

Die 23 Aprilis 1895.

Decretum hoc generale, quod primò prodiit in tertio volumine novæ Collectionis Decretorum authenticorum Congregationis SS. Rituum hoc anno 1900 edito, appli-

candum est eodem hoc anno iis in locis quorum S. Martinus Episcopus et Confessor est Patronus, vel in ecclesiis quarum est Titularis. Festum enim S. Martini in casu est duplex primæ classis de jure gaudens octava; occurrens autem cum festo Dedicationis in die sua 11 Novembris, quæ est dies Dominica, celebrari haud valet juxta rubricam et decreta, in specie decretum generale 4 Februarii 1896, quod statuit festum Anniversarii Dedicationis propriæ Ecclesiæ (1), utpote festum Domini « solemnius et primarium aliis quibuscumque locorum festis *etiam Patroni aut Titularis*, esse per se (2) præferendum tam in occursu quam concursu ».

Transferendum ergo est officium S. Martini. Cum autem infra totam octavam in Diœcesi Brugensi nulla habeatur dies libera, in qua reponatur, et ex jure antiquo non liceret illud agere in die octava seu in *Dominica* sequenti in qua alias de ejus die octava fieret, sed in ea Dominica recitandum esset officium diei octavæ Dedicationis (3), ideo hucusque officium S. Martini transferendum erat in primam diem liberam *post* octavam.

Jus autem mutatum est per decretum 23 Aprilis 1895 supra citatum, quo declaratur festum duplex habens octavam et in die sua et infra totam octavam impedi-

---

(1) Ex indulto pro reductione festorum 9 Aprilis 1802 et declaratione Cardinalis Legati 21 Junii 1804, anniversarium omnium ecclesiarum consecratarum, in Belgio celebrandum est eadem die, scilicet in Dominica post octavam Omnium Sanctorum. Decreto autem 12 Sept. 1840 extensa est ad Diœcesim Brugensem concessio facta Clero Mechliniensi (1 Sept. 1838), vi cujus omnes sacerdotes, etiam nulli vel non consecratæ Ecclesiæ adscripti, propter uniformitatem Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum celebrare valent cum octava ut in Cathedrali, scilicet tanquam Ecclesiæ propriæ.

(2) Dicitur « *per se* præferendum » esse, quia in eodem decreto additur: « permitti nihilominus ut Patroni festum, cujuscumque sit personalis dignitatis, ratione *feriationis* prædicto Anniversario Dedicationis præferatur »; hoc autem applicandum non est in nostris regionibus cum festum Patroni jam feriationem stricte dictam non obtineat. Cfr. Revue Théol. Française 1898, p. 53.

(3) Cfr. De Herdt Tom. II, nº 278.

tum, transferendum esse in ipsam octavam diem, « quamvis in Dominicam incidat, dummodo non occurrat aliud festum vel ritu vel primarii qualitate, vel dignitate superius ». Nec refert quod festum (Dedicationis, in casu) impediens celebrationem alterius festi (S. Martini) etiam gaudeat octava et quod consequenter in Dominica hac sequenti faciendum esset de die ejus octava, quia decretum de hoc plane silet et sine distinctione permittit ut officium impeditum in die octava, etiamsi Dominica sit, ponatur, dummodo in hac Dominica non habeatur impedimentum festi solemnioris. Ergo festum S. Martini Patroni vel Titularis hoc anno in die sua propria et infra totam suam octavam impeditum, in die sua octava seu Dominica 18 Novembris reponendum est, et dies octava Dedicationis juxta rubricas est simplificanda.

Consequenter ad hanc novam regulam, pro iis ecclesiis in quibus S. Martinus colitur sub ritu primæ classis cum octava, hoc anno ordo divini officii disponendus est, non prout indicatur in calendario Diœcesano hujus anni p. 94, *in nota*, sed sequenti modo:

Die 11 Novembris nihil fit de S. Martino neque diebus sequentibus. — 17 Nov... V. de seq. com. diei octavæ Dedic. (ut in 1 V.) et Dom. (Or. Dom. 6 post Epiph.) tant. — 18 Dom. 24 post Pent. 4 Nov. S. Martini Episc. et Conf. Dup. 1 cl. (fuit 11 hujus. — Celebratur sine octava). Estque dies octava Dedic.; 9 l. Hom. Dom. 6 post Epiph. Com. diei octavæ Dedic. et ejusdem Dom. in L. et M., ult. Evang. Dom. In V. com. seq., diei octavæ Dedic. et Dom. tant.

Sequentibus diebus omnia fiunt, secuti in calendario pro tota Diœcesi disponitur, retento in die 28 Novembris officio Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli tanquam in die fixa ex 18 Novembris.

Notetur autem officium S. Martini dum transfertur *accidentaliter* in diem in qua alias esset faciendum de

die sua octava, celebrari sine octava juxta rub. gen. Brev., tit. X, 1 (1) et decr. 20 Junii 1899 ad 2. (2)

Notetur etiam limitatio apposita facultati transferendi festum in diem suam octavam : « dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate vel dignitate superius. » Sit exemplum : Anno 1901 in locis in quibus S. Eligius est Patronus vel Titularis, cum ejus festum duplex 1mæ cl. cum octava occurrat 1 Decembris in Dominica majori primæ classis, scilicet prima Adventus, officium ejus in die propria impeditur et consequenter transferri debet. Nulla dies libera habetur infra octavam. Reponi autem non potest in diem suam octavam scilicet in 8 Decembris, cum hac die occurrat festum Immaculatæ Conceptionis B. M. V. quod, æque primarium et sub eodem ritu Duplicis 1mæ cl. celebrandum, dignitate est superius festo S. Eligii. Ideo « in casu Sacra Rituum Congregatio jubet » ut festum S. Eligii « de more transferatur in primam diem liberam juxta rubricas », scilicet extra octavam, in 9 Decembris.

H. V. D. W.

---

(1) « Id semper servetur, quando festum habens octavam transfertur, ut non ideo dies octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quæ alias erat octava, si festum non fuisset translatum. Quod si festum per totam suam octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine octava : nisi Titularis Ecclesiæ privilegio aliter fieri oporteat »

(2) « Si accidat ut Titulus Ecclesiæ vel loci Patronus transferri debeant ad aliam diem, quæritur : num respective octavam servabunt ? *Resp.* Affirmative si agatur de translatione perpetua ; secus Negative. »

E Sacra Congr. Indulgentiarum

Conceditur ut moderatores congregationum Tertii Ordinis Franciscalis, publice dantes Absolutionem generalem aut Benedictionem Papalem, ipso actu eamdem sibi acquirant, quoties illam ab alio sacerdote recipere impediuntur.

Beatissime Pater,

Frater Petrus ab Arce Papæ, Procurator Ordinis Minorum, ad S. V. pedes provolutus exponit quod E^mus^ Card. Venetiarum Patriarcha quæ sequuntur litteris suis R^mo^ P. Ministro Generali significavit, nempe: « Quosdam Sacerdotes Tertiarios Franciscanos, moderatores Congregationum III Ordinis illius Patriarchatus, sæpe sæpius suum desiderium illi exposuisse supplices epistolas ad S. Sedem mittendi ad effectum ut, quemadmodum ex Decreto diei 18 Junii 1870 Fratres Minores vel Sacerdotes Tertiarii legitime deputati Absolutionem Generalem seu Benedictionem Papalem Monialibus publice impertiendo, omnes gratias adnexas ipsi consequuntur, ita pariter hujusmodi privilegio perfrui valeant quotiescumque dictam Absolutionem vel Benedictionem quibuslibet Tertiariis utriusque sexus respective Sodalibus publice impertiuntur. Ratio est, quia non raro evenit ut dum Sacerdotes Tertiarii qui Congregationibus III Ordinis præsunt, Sodalibus Absolutionem aut Papalem Benedictionem statutis diebus impertiuntur, ipsi ministerii curis detenti alium Sacerdotem adire nequeunt ad easdem spirituales gratias pro se consequendas, quod præsertim in ruralibus parœciis, vel Sacerdotum penuria vel itineris longitudine contingere potest ». Rebus ita stantibus nomine etiam P. Ministri G^lis^ FF. Minorum instantissime a S. V. humilis Orator petit, ut non solum pro spirituali bono prædictorum Sacerdotum voto ab E^mo^ Card. Patriarcha exposito satisfacere velit, sed etiam ad totum Tertium Pœnitentiæ sæcularem Ordinem imploratum privilegium extendere dignetur.

Quam gratiam etc.

SS^mus Dominus Noster Leo Pp. XIII in Audientia habita die 14 Julii 1900 ab infrascripto Cardinali Præfecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, benigne indulsit, ut qui Sacerdotes deputati ad moderandam aliquam ex Congregationibus Tertii Ordinis sæcularis S. Francisci legitime impediantur quominus, statutis diebus, recipere valeant ab alio Sacerdote Generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem cum adnexa plenaria Indulgentia, eamdem Indulgentiam lucrari valeant in ipso actu quo Tertiariis sibi subditis præfatam Generalem Absolutionem aut Benedictionem Papalem impertiuntur, dummodo sint rite dispositi, eaque præstiterint pia opera, quæ præscripta sunt. Præsenti *in perpetuum valituro.*

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria ejusdem S. Congr., die 14 Julii 1900.

D. Card. FERRATA, *Præf.*
JOSEPH MARIA COSELLI, *Substitutus.*

Ordo Missæ *seu precum ac cæremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, et* MEDITATIONES AC EXAMINA, *ad usum sacerdotis recollectionem menstruam instituentis, additis* PRECIBUS ANTE ET POST MISSAM, *auctore* **Henrico Van den Berghe,** *J. C. D., Canonico theologali, majoris Seminarii Brugensis Præside.* — Bruges, Ch. Vande Vyvere-Petyt, in-24, de pp. XIV 290. Prix: (broché) 1,25 fr., (relié en percaline) 1,50 fr.

Hujus libelli merita sic recenset scriptor anonymus E. apud ephemeridem *Le bien public*, (11 Octobre 1900):

Cédant à des instances aussi pressantes qu'honorables, M. le Chanoine Van den Berghe, président du grand-séminaire de Bruges, ancien professeur de droit canon à l'Université catholique de Louvain, a réuni en un charmant petit volume les articles si remarqués sur les prières et les cérémonies de la Messe, dont les *Collationes Brugenses*, la

savante revue publiée par les professeurs du séminaire de Bruges, avaient eu la primeur.

Il ne manque certes pas de livres sur la Messe, le traité *De SS. Sacrificio Missæ*, de Benoit XIV, l'*Explication littérale, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe*, de l'oratorien Lebrun, *Le Saint Sacrifice de la Messe*, du Dr Nicolas Gihr, récemment traduit sur la 5e édition allemande par l'abbé Moccand, pour ne citer que ceux-là, sont des œuvres de haute valeur, qui toujours seront consultées avec grand fruit. Mais ce sont des travaux de longue haleine, que la plupart des prêtres, employés dans le saint ministère, ne peuvent, à raison de leurs multiples et absorbantes occupations, utiliser comme ils le voudraient.

Il nous fallait donc un livre écrit dans la langue de l'Eglise, solide autant que pieux, court et substantiel, d'un format commode, à la portée des bourses les plus modestes. Ce livre, M. le chanoine Van den Berghe a voulu l'écrire, et il l'a fait avec un plein succès. Qu'on ne se méprenne pas toutefois sur la nature de cette publication nouvelle : ce n'est pas un abrégé, un *compendium* de quelque ouvrage existant; non, c'est une œuvre bien personnelle, un travail nouveau, qui a dû coûter au docte et pieux écrivain une somme de labeur peu commune.

Comme entrée en matière, il nous sert une page magistrale, où le savant Evêque de Bruges, parlant à son clergé, traite, en théologien consommé, de la sublimité et de l'efficacité du Sacrifice de l'Autel. Il nous fait connaître ensuite le but qu'il s'est proposé d'atteindre, celui de donner une explication exacte et précise des prières et des cérémonies de la Messe, et à cet effet de rechercher le sens que l'Eglise elle-même y attache.

Pour réussir dans son pieux dessein, l'auteur a mis a profit le trésor des Ecritures, les SS. Pères, les grands théologiens, St-Thomas en tête, les scripturistes de marque, les princes de la liturgie, les principaux ascétiques anciens et modernes, les anciens surtout, et parmi eux, au rang d'honneur, Denis-le-Chartreux et notre célèbre Néoportois Josse Chlictoveus, le premier antagoniste de Luther, dont l'*Elucidatorium ecclesiasticum* renferme des pages admirables sur le St-Sacrifice de la Messe. A l'aide de ces richesses,

habilement mises en œuvre, l'auteur tout en faisant toucher du doigt la signification vraie des prières et des cérémonies de la Messe, a su mettre en plein relief leur incomparable beauté.

Aussi ne nous étonnons-nous point d'entendre un juge compétent entre tous, S. G. l'Evêque de Bruges déclarer qu'il approuve ce livre le plus volontiers possible, *libentissime*, comme éminemment propre à inspirer aux prêtres une solide piété dans la célébration des divins Mystères, et qu'il désire très ardemment, *vehementer*, le voir entre toutes les mains.

Cette appréciation si flatteuse n'est pas la seule dont ait été honoré le pieux auteur ; S. E. le Cardinal Archevêque de Malines et les autres Evêques de Belgique ont voulu, eux aussi, approuver son travail et le recommander à leur clergé.

M. le chanoine Van den Berghe a fait suivre l'*Ordo Missæ* d'une série de méditations et d'examens, destinés à faciliter à ses confrères dans le sacerdoce l'exercice si important de la récollection mensuelle. Ces méditations sont fort solides et les examens pleins de conseils aussi sages que pratiques.

Les prières avant et après la messe, tirées du Missel romain, et plusieurs autres exercices de piété, terminent ce petit volume et achèvent d'en faire le vrai *Vade mecum* du prêtre. Parmi ces exercices nous avons remarqué une paraphrase de l'*Adoro te* de St-Thomas d'Aquin, d'une piété si suave qu'on la dirait tombée de la plume dévote de quelque moine du moyen âge.

L'opuscule sort des presses de l'éditeur Brugeois bien connu M. Ch. Vande Vyvere-Petyt, qui en a fait un petit bijou typographique, faisant le plus grand honneur à ses ateliers.

Collationes Brugenses

Meditationes theologicæ

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. V, pag. 585.)

—

207. Remanet ut ex proposita doctrina quædam deducamus consectaria, quæ ampliorem etiam in lucem eamdem collocabunt.

Et primo quidem, quod præcipue intendebamus, quomodo in Deo sit summa libertas. Sufficit fere in memoriam revocare præclaram Seraphici doctrinam supra n. 199 recitatam. Cum enim tria sint de ratione libertatis, ea perfectissime ac supereminenter inveniuntur in Deo. Et primo quidem, intelligitur Deus ab omni coactione remotissimus, cum ea quæ sunt extra ipsum omnia sint quasi non sint, nec esse possunt nisi per ipsum, et omni modo dependenter ab ipso, qui nulla ratione a quavis creatura aut re creabili dependet.

Quod excellentiæ dignitatem attinet, respondentem illi immunitati a quavis coactione, non major est difficultas, quia in Deo est « dignitas summa, et omnis dignitas creata est dignitas infra illam et propter illam », ut Bonaventura loquitur.

Quantum tandem ad tertium, paululum explicanda præprimis est illa potestas seu facultas operandi rectitudinem propter ipsam rectitudinem, quibus verbis libertatem definit Anselmus. Hoc autem ipse præstet S. Doctor.

208. « Omnis libertas, *ait*, est potestas », et revera, utpote perfectio ad potentiam pertinet, non ad impotentiam. Porro data est hæc potestas creaturis rationalibus « ad volendum quod deberent et quod illis velle expediret », ergo ad rectitudinem servandam. Sed propter quid servanda est rectitudo, an propter ipsam

rectitudinem, an propter aliud? Evidenter rectitudo voluntatis servanda est propter ipsam rectitudinem, secus enim « non valeret ad justitiam, quoniam constat justitiam esse rectitudinem voluntatis propter se servatam; sed ad justitiam prodesse arbitrii libertatem credimus.... Ergo, quoniam omnis libertas est potestas: illa libertas arbitrii est potestas servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem (1). » Eamdem definitionem quoad singula verba explicat, eodem sensu, ostendendo eam esse perfectam, ex genere et differentiis, neque quidquam ei addendum aut demendum, in fine ejusdem dialogi, cap. XIII; ubi ostendit quomodo servare rectitudinem voluntatis *propter ipsam rectitudinem* involvat potestatem rationalem, prævio intellectus judicio, et excludat quod servetur rectitudo « naturaliter », ut canis « cum amat catulos suos aut dominum suum sibi benefacientem ».

Est autem duplex objectio, altera quam hoc eodem capite XIII tangit Anselmus, quod nempe in definitione nulla mentio fiat immunitatis a coactione. Respondetur autem eam implicite contineri: revera, ut supra ostendit (2), rectitudo voluntatis a nemine, ne a Deo quidem, auferri potest ab invito, seu nulla vi cogente sed sola voluntate deseritur. Unde immunitas a coactione exprimi non debet in definitione, quia non est alia potestas servandi rectitudinem, nisi immunis a coactione.

Altera objectio est quomodo in dæmone et reprobis sit liberum arbitrium, seu libertas, cum potestatem servandi rectitudinem irreparabiliter amiserint. Respondeat ipse S. Doctor (3): « Etiamsi absit rectitudo voluntatis, non tamen rationalis natura minus habet quod suum est. Nullam namque potestatem habemus, ut puto, quæ sola sufficiat sibi ad actum: et tamen cum ea desunt, sine quibus ad actum minime perducuntur

(1) *Dialog. de lib. arbitrio*, cap. III.
(2) Ibid., c. VIII et IX.
(3) Ibid., c. III et IV.

nostræ potestates, non minus eas, quantum in nobis est, habere dicimur ». Quod dein declarat exemplo visus, cujus potestatem habere dicimur et vere servamus, licet desit objectum, aut lux, aut obstaculum obsit, etc. Et concludit : « Si ergo, absente re quæ videri possit, in tenebris positi, et clausos sive ligatos oculos habentes, quantum ad nos pertinet, videndi quamlibet rem visibilem potestatem habemus ; quid prohibet nos habere potestatem servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem, etiam absente ipsa rectitudine, quamdiu et ratio in nobis est, qua eam valemus cognoscere, et voluntas, qua illam tenere possumus ? Ex his enim constat præfata libertas arbitrii ».

209. Sed hæc responsio cuiquam videri posset iis tantum applicari, qui per peccatum rectitudinem amiserint, reparabiliter tamen ; dæmones vero et reprobi irreparabiliter eamdem perdiderunt, suntque in malitia obstinati, ita ut videantur ipsam potestatem operandi rectitudinem amisisse. Itaque rem paulo intimius scrutemur. Docente S. Bonaventura, confirmatio in bono non mutat liberum arbitrium, quantum ad substantiam seu essentiam, sed quantum ad statum, seu, aliis verbis, non quoad primum esse, sed quoad bene esse (1). Et similiter ex opposito dicendum de obstinatione in malo. Et hoc quidem, quod ipsa essentia liberi arbitrii non mutetur, ex ipsa notione obstinationis, a S. Thoma tradita (2), confirmatur, ubi, postquam edixit « tenendum firmiter secundum fidem catholicam, quod et voluntas bonorum angelorum confirmata est in bono, et voluntas dæmonum obstinata est in malo », addit causam obstinationis accipi debere ex conditione naturæ status. Et, cum deinde notionem obstinationis dæmonum exponit, aperte demonstrat, pro diversa natura liberi arbitrii, utique remanente, in angelo et in homine, diversam esse causam obstinationis in angelo et in homine, cum

(1) *In 2 Sent.*, dist. VII, a. 2, q. 1.
(2) *Summa theol.*, 1ª, q. 64, art. 2.

tamen uterque sit in statu termini. Videlicet, sicut differt apprehensio angeli ab apprehensione hominis, in hoc quod angelus apprehendit immobiliter per intellectum (sicut nos prima principia), homo vero (in reliquis) per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppositorum: ita et voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere et contrario adhærere; voluntas autem angeli adhæret fixe et immobiliter. Et ideo si consideretur ante adhæsionem, potest libere adhærere et huic et opposito, in his scilicet quæ non naturaliter vult. Sed postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret. Et ideo consuevit dici quod liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum, et ante electionem et post; liberum autem arbitrium angeli est flexibile ad utrumque oppositum ante electionem, sed non post. Sic igitur et boni angeli semper adhærentes justitiæ sunt in illa confirmati, mali vero peccantes sunt in peccato obstinati.

Alio vero loco (1), de reprobis hominibus ait quod in eis voluntas remanet, tum ut natura, quæ bona est, qua bonum aliquod volunt, non tamen bene volunt; tum ut est voluntas deliberativa, et talis in eis voluntas est solum mala: « et hoc ideo, quia sunt perfecte aversi a fine ultimo rectæ voluntatis, nec aliqua voluntas potest esse bona, nisi per ordinem ad finem prædictum. Unde sunt obstinati reprobi homines, non quia amiserunt liberum arbitrium, nec quia ex natura sua immobiliter adhærent, cui semel adhæserint, ut angeli, sed quia ex malitia aversi a fine ultimo, jam, in termino positi, perfecte aversi manent.

210. Nunc jam ad ipsam quæstionem nostram idem D. Bonaventura respondet, nempe utrum obstinatio tollat dæmonibus libertatis usum (2), cui addit hanc

---

(1) 3ª, q. 98, a. 1.
(2) *In 2 Sent.*, ead. dist. VII, art. 2, q. 2.

alteram, utrum confirmatio vel obstinatio diminuat libertatis dominium (1).

Ad primum, respondet: « Quantum ad præsens.... usus alicujus potentiæ dicitur dupliciter. Uno modo, actus elicitus a potentia. Alio modo, actus elicitus a potentia ad eum finem ad quem est. Primo modo dicendo, usus liberi arbitrii est libere velle seu eligere. Secundo modo, usus liberi arbitrii est rectitudinem servare, quoniam ad illam est. Dicendum est igitur quod obstinatio dæmonibus non aufert usum primo modo, quia libere volunt quod volunt secundum usum; secundo modo sic, quia eorum potentia, etsi in actum exeat, non tamen in actum ordinatum in finem ». Deinde respondet ipsi objectioni ex definitione Anselmi petitæ: « Dicendum quod Anselmus distinguit liberum arbitrium per actum ordinatum in finem, qui est servare rectitudinem, et ita quantum ad usum secundo modo dictum, et hunc amittunt dæmones obstinati ». Unde vides responsum supra S. Anselmi, etiam pro dæmonibus esse efficax, quoniam, licet usum secundo modo dicto amittant, servant tamen primo modo, et ipsam potestatem servandi rectitudinem, quantum est de substantia liberi arbitrii. Addamus adhuc unum alterumve responsum, doctrina refertum. Ad illud quod objicitur, potestatem peccandi non esse libertatem, atqui dæmones non possunt per liberum arbitrium alium actum facere, quam peccatum, ergo nullum usum libertatis habent; respondet: verum esse potestatem peccandi non esse, ne partem quidem, libertatis, attamen non esse sine libertate. « Omnis enim qui peccat, libere vult: ideo continuatio peccati usum liberi arbitrii non excludit, sed includit ».

Ad objectionem: dæmones necessario peccare, ergo non libere; respondet: « Duplex est necessitas: quædam a causa extrinseca, utpote necessitas coactionis, et hæc opponitur ei quod est libere velle. Quædam vero est a

(1) Ibid., q. 3.

dispositione intrinseca, et hæc huic non opponitur, imo stat simul cum libertate. Talis est in libero arbitrio dæmonum, qui ita conglutinant sibi malum, ut nullo modo velint ab eo separari. Tandem objicit sibi : Bestia non habet libertatem et movetur secundum impetum, retrahitur tamen a maxima voluptate timore pœnæ. At diabolus nullo timore pœnæ retrahitur a malitia, ergo majore impetu fertur in malum, quam bestia, ergo nec ipse libere. Respondet : ... « impetus bestiæ excludit retinaculum intra, quamvis possit retrahi per illud extra : ideo non habet liberum arbitrium ; dæmon autem habet potentiam interiorem, per quam sine aliquo exteriori repellente potest retrahi, et quæ a nullo extrinseco potest superari, et ideo impetus dæmonum in malum libero arbitrio non repugnat, sed consonat ».

Ad alteram vero quæstionem, utrum confirmatio vel obstinatio diminuat libertatis dominium respondet idem Seraphicus : « Quoddam... est dominium quod opponitur coactioni, quoddam quod opponitur subjectioni. Si autem loquamur de dominio libertatis quod opponitur servituti coactionis, sic privat coactionem ; et hoc dominium est essentiale libero arbitrio, et ideo non minuitur nec augetur. Rursus quod omnem privat coactionem æqualiter in omnibus..... sicut dicit Bernardus (cf. supra num. nostrum 202).... Si autem dicatur dominium quod opponitur servituti subjectionis, sic recipit majus et minus, nec inest æqualiter omnibus. Nam in miseris subjacet miseriæ, in malis subjacet culpæ, in bonis liberum et tanto liberius quanto magis distat a malo. In creaturis subjacet mandatis, in Deo vero supra omne mandatum. Et hoc modo accipiendo dominium, per confirmationem augetur, quæ magis elongat a subjectione culpæ et miseriæ ; et per obstinationem minuitur, quia cervicem submittit utrique ».

211. Ex his ducimur ad solvendam ultimam quamdam difficultatem in definitione S. Anselmi, videlicet quod videri posset confundere libertatem cum potestate, cum

aliud sit posse, aliud liberum esse, ut advertit Richardus Victorinus (1): « liber et infirmus esse potes, sicut e contra et sanus et servus esse potes. Qui sanus et robustus est, multa et magna facere potest. Sed qui liber est, ad aliquid cogi nisi injuste non potest. Non autem arbitrium hominis idcirco liberum dicimus, quia promptum habeat bonum vel malum facere, sed quia liberum habet bono vel malo non consentire. Posse quidem facere malum, est infirmitatis; posse facere bonum, est potestatis, neutrum autem libertatis. Libertatis vero est quod consensus ejus extorqueri vel cohiberi non potest.... Aliud itaque est habere libertatem et aliud est habere potestatem... Potestatem promerendi peccato amittere potuit, libertatem vero arbitrii sicut numquam non habuit, sic numquam non habebit », etc. Quæ quidem referens Petavius exclamat: « Quam multi in definitione liberi arbitrii errant, quia inter potestatem et libertatem distinguere ignorant vel dissimulant (2) ».

Ad hæc breviter dicimus eam confusionem nequaquam esse Anselmi, ut manifestum est. Nam « omnis libertas est potestas » secundum Anselmum, non vero convertitur, neque nos omnem potestatem esse libertatem contendimus. Cæterum nonne evidenter posse libere eligere bonum est aliqua potestas seu ad potentiam pertinet, posse vero eligere malum non est posse sed defectus potestatis et ad impotentiam pertinet, sicut etiam non est libertas neque pars libertatis? Item non posse cogi, nonne dignitatis et potestatis est? Suî dominium habere suorumque actuum, nonne ad potestatem pertinet? Porro, potestas, de qua in textu Richardi, quæ amissibilis est, alia non est quam libertas a culpa et a miseria, quam nemo confundit cum ipsa potestate operandi rectitudinem propter ipsam rectitudinem, quamquam dicendum est illam potestatem seu libertatem esse hujus gradum quemdam et perfectionem. Unde non

(1) *De statu hominis interioris*, tract. I, c. XII et XIII.
(2) *De Deo*, l. V, cap. III, n. X.

confunditur potestas et libertas, sed verum manet libertatem omnem esse aliquam potestatem; et potestatem quidem, de qua Richardus, esse aliquam speciem libertatis seu libertatis secundum se sumptæ gradum quemdam et perfectionem (cf. Bonaventura, in fine num. præced.). Quando itaque dicitur: « facere bonum potestatis est, non libertatis », sano sensu id intelligi debet: nam si libertas et potestas confundi nequeunt, neque etiam sunt oppositæ, imo omnino non sunt separatæ; et profecto libertas vere est *talis* potestas faciendi bonum, nempe propter ipsam rectitudinem, neque libertas dicitur facilitas vel gradus potestatis sed simpliciter potentia seu potestas. Sed hæc sufficiant, eo vel magis quod manifestius res elucebit ex dicendis de perfectissima Dei libertate, in qua explicanda nunc pergimus.

212. Vidimus Deum, quod elementum negativum seu privativum libertatis attinet, seu immunitatem a coactione, esse perfectissime liberum, utpote ab omni coactione remotissimum; eumque eatenus jam, quod positivum libertatis elementum spectat, summam dignitatem et potestatem habere, cujus est cogi non posse.

Sed ulterius nunc procedamus. Vidimus creaturæ primum velle neque necessarium, neque proprie liberum esse, sed naturale: in quo et ex parte objecti adeoque ab extrinseco determinatur ad unum, et ex parte subjecti a Deo determinatur, dum seipsum determinat seu vult. In Deo autem, quamquam ex analogico conceptu e creaturis desumpto dicimus Deum naturaliter velle suam bonitatem, reliqua vero liberrime libertate electionis, volendo bonitatem suam, maximum est discrimen cum naturali inclinatione nostra, cum nihil extrinsecum Deum moveat ex parte objecti, ex parte autem subjecti Deus sit actus purus, nihil ergo ab alio, omnia ex se Deo conveniunt, et eatenus omnino independens eoque sensu liberrimus est Deus.

Unde et in eodem actu Dei, quo vult seipsum, simul etiam perfectio invenitur, at eminenter et infinite, quam

in amore beatifico creaturarum esse vidimus. Et ex parte quidem libertatis, ita Deus sibi dominatur, ut nihil sit in actu suo nisi omnino spontaneum et ab intrinseco, excluso omni influxu extrinseco, sive objectivo, sive subjectivo. Quod apte proin et profunde insinuat Anselmus, dividens libertatem: « Libertas arbitrii alia est a se, quæ nec facta est nec ab alio accepta, quæ est solius Dei (1). »

Cujus præterea profunditas dicti magis adhuc perspicietur, agendo de libertate electionis in Deo. Adde et Bonaventuram, ubi supra n. 210 ostendit summum esse in Deo libertatis dominium, cum Deus absolute non subjaceat, seu ab omni servitute culpæ et miseriæ sit remotissimus, a quavis servitute subjectionis immunis et supra omne mandatum. Ex parte vero necessitatis seu immutabilitatis, voluntas beatorum circa finem non est immunis ab aliqua contingentia, et actus ipse est accidens, non substantia; in voluntate vero Dei, qua seipsum vult, nihil contingens, nihil accidentale concipi potest, est enim ipsa divina substantia. Quemadmodum in beatis excluditur libertas electionis circa finem, in quem immutabiliter fertur voluntas, non tamen libertas absolute et ut sic, ita multo magis et perfectius in Deo, imo absoluta est necessitas immutabilitatis in volendo seipsum, nec concipi potest libertas electionis, atvero manet libertas ut sic (2), quæ est libertas in esse et ad intra; et ideo dicebamus, supra n. 192, Deum natura sua velle suum bonum, secus non esset voluntas Dei, eaque summe libera, quæstionem autem libertatis Dei, quoad usum quasi et actum, seu libertatis electionis incipere relate ad bona extra se.

Porro necessitas inclinationis naturalis, et necessitas immutabilitatis in amore beatifico finis, sicut non ex-

(1) *Dialog. de lib. arb.*, cap. XIV et ult.

(2) Ita D. Thomas, *q. 10 de potentia*, art. 2, ad 5: « Deus sua voluntate libere amat seipsum, licet de necessitate amet seipsum ». Et Scotus, *Quodl. 6*: « Voluntas divina necessario vult bonitatem suam, et tamen in volendo est libera ».

cludunt, sed prior causat, altera perficit libertatem electionis circa ea quæ sunt ad finem utilia, sic in Deo libertas in esse, libertas absolute ut sic, intelligitur esse origo perfectæ libertatis electionis in operando ad extra, ut nunc est explicandum.

213. Summa dignitas et potestas respondens immunitati perfectæ tum a coactione, tum a quovis influxu extrinseco, talis est in Deo ut nullo modo illa potestas in potentia sit sed sit actus purus, idemque actus purus sive, pro imperfecto nostro concipiendi modo, consideretur ut una tribus personis communis essentia, sive ut actus ad intra, sive ut actus ad extra, qui in se est ipsa Dei substantia. Porro, divina activitas, quæ est ipsa rectitudo, eo ipso quod talis est, necesse est diversa sit pro diversitate termini sui, prout est ad intra, vel ad extra. Ad intra, ex infinita fœcunditate divinæ essentiæ sunt duæ processiones, quibus constituuntur tres relativi subsistentes seu personæ, ut supra longius explicatum est agendo de SS. Trinitatis mysterio; ubi quidem sermo nullus esse potest de libertate electiva, neque enim eligere perfectionis esse potest nisi inter ea quæ sunt ad Deum et extra Deum finita; sed est perfecta et absoluta immutabilitatis necessitas, simul cum suprema illa libertate absoluta, qua omnia in Deo sunt ab intrinseco et a se, independenter ab omni influxu extrinseco, exclusa simul omni contingentia omnique ratione accidentis, omnia ex spontanea et intrinseca fœcunditate naturæ, adeoque cum summa dignitate et potestate, seu plenitudine totius esse, totius activitatis et rectitudinis (1). Ad extra autem, eadem illa divina activitas, quæ est ipsa divina substantia, eo ipso quod modo dicto in se absolute libera ac independens est, supremaque potestas pure activa, necesse est etiam habeat libertatem electivam relate ad finita quævis. Etenim in

(1) Hoc sensu intelligunt Patres, quod dicunt: Patrem voluntate genuisse Filium; item Spiritum Sanctum libere a Patre Filioque procedere.

creatura radix libertatis est quod spiritualis sit, independens a materia, et inde conscientiam suî habens et reflexum de rectitudine judicium (supra, n. 194), ex qua radice sequitur in appetitu potestas operandi rectitudinem propter ipsam rectitudinem; et in his consistit libertas absolute, ut sic, ut essentiæ proprietas, ex qua oritur libertas electionis circa ea quæ sunt ad finalem rectitudinem utilia. Atqui in Deo eminenter et cum infinita perfectione inveniuntur hæc omnia, tamquam divinæ essentiæ proprietates, ipsaque divina substantia, ut constat ex dictis de Dei libertate absolute et secundum se; proinde eadem independens, liberrima, pure activa potestas Dei, in qua relate ad terminum intrinsecum est absoluta immutabilitatis necessitas, non potest non esse, relate ad terminum extrinsecum seu finita quævis, libertas electionis perfecta, seclusa nempe omni imperfectione electionis. Ita ex parte judicii, nullus in Deo influxus objecti, sed ex se ac per se cognoscit, et omnia quidem, nec discurrendo sed simplici intuitu, nec dubitando sed certo et fixe, immutabiliter et rectissime judicat de omnibus, adeoque omnia possibilia finita sibi esse liberæ electionis, et præterea in omni ordine possibili a se eligendo judicat perfectissime de omnium utilitate ad omnem finem, finemque ultimum qui est ipsa sua bonitas et rectitudo. Ex parte voluntatis, rursum nullus influxus ab extra, intrinseca vero efficacia ac rectitudo infinita. Nihil quoque in potentia in Deo sed omnipotentia pure activa sine ulla indigentia, ut ex mysterio SS. Trinitatis clarius perspeximus (supra n. 192, et n. 161 de divina beatitudine).

214. Quod modo ex comparatione analogica cum creaturis deduximus, potest et alia via, magis directa et quasi a priori ostendi, nempe Deum in operando ad extra esse liberum, non solum absolute, sed et libertate electiva, quæ priorem consequitur; simulque ex eadem divina libertate natura ipsa operationis ad extra elucebit. Consideramus autem operationem Dei ad extra primam,

nempe creationem, quæ quasi fundamentum supponitur reliquis, scilicet conservationi, concursui in utroque ordine naturæ et gratiæ, universæque Dei gubernationi. Demonstratio autem est sequens. « Ut quæque res est, ita agit; sed Deus ita est, ut non aliunde pendeat, nec aliud quid ad suum esse præexigat; ergo similiter in agendo nec præjacentem materiam, nec quidquam aliud requiret aut supponet (1) ».

Quod quidem sic in rem nostram interpretamur: Deus est summe independens et liberrimus in esse, libertate absolute et ut sic. Eodem modo se habet ut actus ad intra, ut patet. In agendo ad extra idem omnino dicendum: si enim creatura in alias creaturas agere valet, sed modo dependente et limitato, evidenter negari nequit eadem facultas Deo, ast modo eminente, sine ulla limitatione perfectionis et sine ulla dependentia; adeoque ut liberrima sit operatio Dei ad extra, seu ideo quia liberrima est, oportet ut sit independens ab omni extrinseco, a præjacente materia aliove quovis prærequisito, atqui talis operatio est creatio. Actus iste ad extra est in se ipsa Dei substantia, absolute liberrima, at simul immutabilitatis necessitate ab omni contingentia et accidente remotissima; qua ratione etiam solus producere potest ipsam rei substantiam. Quoniam tamen respicit terminum extrinsecum, contingentem, ab ipso divino actu ex integro dependentem, sine ulla independentia, sine ullo influxu mutuo in Deum, libertas absoluta Dei in actu secundum se considerato, ratione talis termini et ista ratione tantum, munus exercet et functionem libertatis electionis. Rursum adverte profunditatem dicti S. Anselmi, libertatem solius Dei esse a se, quæ nec facta est, nec ab alio accepta; et confer S. Thomam citatum supra n. 195.

Ex his aliquo modo concipere valebis, juvante rursum doctrina de SS. Trinitate, supra n. 180, quomodo idem

(1) Conimbr., *in Phys. Arist.*, l VIII, c. 2, q. 1, a. 1.

actus purus simul sit et necessarius tum in se, utpote ipsa divina substantia, tum relate ad terminum intrinsecum seu ut est actus ad intra, quamquam liberrimus, libertate absolute sumpta, ut sic, et simul sit liber libertate electiva relate ad terminum ad extra. Cæterum infra actus Dei ad extra fusius erit explicandus, et, quantum licet infirmæ rationi, conciliatio libertatis divinæ cum divina immutabilitate inquirenda.

215. Ex doctrina exposita de libertate, ne quidquam obscuri remaneat, quæstionem solvemus, qualis in Christo Domino fuerit libertas: an libere et qua libertate Deum amaret; quomodo, cum omnia ex amore Dei ageret, mereri potuerit; quomodo, cum esset impeccabilis, stante præcepto Patris de subeunda morte, eamdem libere et meritorie subierit.

In his solvendis, plurimi theologi multum laborant, eo præsertim, ut putamus, quod accuratam ac completam libertatis notionem non sufficienter assecuti sunt.

Primo quidem, Christus divina sua voluntate ea libertatis absolute sumptæ, simulque immutabilis necessitatis perfectione Deum amabat, quam supra in Deo respectu suæ bonitatis demonstravimus; humana autem voluntate, sicut de beatis comprehensoribus diximus: erat enim simul comprehensor et viator; modo tamen eo perfectiori, tam in ratione libertatis quam in ratione immutabilitatis, quo magis beatos quosvis, ratione unionis hypostaticæ utriusque naturæ, divinæ et humanæ, in una sua persona, in perfectione et sanctitate superabat.

Sicut autem in beatis, libertas, ut sic, in amando ipso Deo, simul non stat cum libertate electiva circa eamdem divinam bonitatem in se, sed nullatenus aufert aut minuit, imo contra perficit libertatem electionis relate ad vere bona extra Deum, ita rursum, ast modo perfectissimo in Christo Domino. Porro, Deo ratio amandi reliqua extra se est ipsa sua bonitas, beatis item divina bonitas est ratio amandi quidquid extra Deum

amant, ita ut omnia agant ex amore Dei: similiter, longe perfectius, Christus omnes actiones suas, præter ipsum actum amoris Dei in se dilecti, liberrime libertate electionis exercebat, ex motivo amoris Dei, adeoque nihil etiam deerat ad meritum stricte dictum, sive ex parte libertatis, sive ex parte status, cum esset simul viator et comprehensor.

Deinde vero, agendo in specie de morte Christi, magis adhuc desudant plerique theologi ut ostendant quomodo eadem libera et meritoria fuerit, cum ab una parte stet præceptum Patris, ab altera parte Christus sit impeccabilis, non solum ut de beatis diximus, sed ita absolute, ratione unionis hypostaticæ, ut vere dicendum esset Deum peccare, si Christus peccaret, cum actiones sint suppositorum. Inde aliqui, ut salvent libertatem et meritum, negandum esse putant strictum præceptum, et suam sententiam tum ex Scriptura et Patribus conantur deducere, tum ratione probare, dicentes v. g. strictum præceptum non convenire perfectioni Christi. Ast eorum argumenta satis invalida videntur; quamquam non magis efficax nobis sit quod quidam illis opponunt, nempe, si strictum præceptum non fuerit, Christum non fuisse mortuum ex obedientia: qui enim non solum præcepto, sed et beneplacito superioris stat, nonne perfectius obedit? Cæterum, sive præceptum teneas, sive beneplacitum tantum, non videmus discrimen in ordine ad præsentem difficultatem solvendam: nam Christi voluntas humana ita perfecte conformis est divinæ voluntati, ut, sicut præceptis, ita et solo beneplacito divino immutabiliter inhærere dicenda sit. Quid igitur?

Ponamus præceptum strictum. Ab una parte, adverte præceptum illud esse positivum, non obligans semper et ad semper, ita ut Christus, vi præcepti, non potuerit quidem absolute non mori, sed debuerit mori aliquando, nec tamen determinato momento. Ab altera parte, Christus dominium perfectum vitæ suæ habebat

seu potestatem moriendi vel non moriendi, ut ipse testatur Jo., X, 17-19. Singulis igitur momentis, etiam tum cum ipsi inferretur violenter mortis causa, quam impedire poterat, potestatem retinebat mori aut non mori; adeoque, eo momento quo mortem subiit, eam volens libera electione subiit, ut impleret præceptum Patris, quod alio tempore implere poterat, unde nihil deerat ad meritum.

Ubi rursus adverte connexionem potestatis cum libertate, licet omnino confundi hæc duo non debeant. Ex illa potestate Christi, quæ in nobis non est, sequitur præceptum non coarctasse Christum in momento mortis ad volendum mori vel non, sicut nos coarctaret ad libere suscipiendam vel refugiendam mortem de cætero nobis inevitabilem, adeoque ad observandum præceptum vel peccandum. Videlicet in Christo remanebat potestas alio momento moriendi et inde libertas eligendi aliud momentum implendi præceptum, quod liberrime hoc momento et non alio elegit implere. Et profecto præceptum non erat moriendi simpliciter et qualicumque modo sed libere et meritorie moriendi pro salute mundi.

Nec dicas: omnia erant, etiam quoad adjuncta et tempus, prædefinita a Patre, et hæc noverat Christus, ergo non fuit liber in eorum executione. Hæc enim difficultas supra (n. 175 et sqq. et n. 186) fuit resoluta, ubi ostendimus quomodo concilietur humana libertas cum divina præscientia et prædefinitione divinæ voluntatis infrustrabilis. Sicut nempe præceptum datum est de libera et meritoria morte, ita etiam omnia quæ libere futura essent, ut libere fierent, fuêrunt prædefinita.

216. Finem imponentes fusiori huic tractationi de libertate, nonne est cur, ante divinam majestatem provoluti, summa admiratione percellamur et divinæ libertatis celsitudinem ac dignitatem humillime adoremus? Nonne est cur grati animi sensus intensos in Deum, principium nostrum et finem, promamus, memoresque semper propriæ dignitatis ab ipso et ad ipsum acceptæ,

omnem nostram libertatem in Dei gloriam convertamus? Audiamus libertatis encomium ab Richardo Victorino: « Inter omnia creationis bona, nihil in homine sublimius, nihil dignius libero arbitrio..... Quid, quæso, in homine sublimius, quid dignius inveniri potest, quam illud in quo ad imaginem Dei creatus est? Habet sane libertas arbitrii imaginem non solum æternitatis, sed et divinæ majestatis. Quantum putamus, in hoc incommutabili æternitati præ cæteris omnibus liberum arbitrium vicinius accedit, ejusque in se imaginem expressius gerit, quod nulla unquam culpa, nulla demum miseria non dicam destrui, sed nec minui poterit. Vultis et majestatis similitudinem in ipsa perspicere, et quomodo ejus imagine impressa sit evidenter agnoscere? Deus superiorem non habet, nec habere potest, et liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati potest, quia violentiam inferre ei nec Creatorem decet, nec creatura potest. Totus infernus, totus mundus, totus denique militiæ cœlestis exercitus in unum concurrat, in hoc unum conjuret, unus ex libero arbitrio consensus in qualicumque re invito extorqueri non valet (1). »

Suscipe, Domine, universam meam libertatem....

(Continuabitur.)

(1) *De statu interioris hominis*, tract. I, cap. III.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Januarii 1901.

—

I

Explana Jud. v. 8: *Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.* v. 9. *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ: sed dixit: Imperet tibi Dominus.* v. 10. *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.*

II

Accurate determina notionem cultus *absoluti* et *relativi*.

III

Quonam momento, ad valorem dispensationis, existere debent causæ allegatæ?

IV

Expone jus, tum commune, tum diœcesanum, circa necessitatem *sacramentaliter confitendi* ante matrimonii celebrationem.

V

Expone præcipua statuta legis civilis Belgicæ circa *consensum parentum* ante matrimonium requisitum.

VI

Quænam in administratione Extremæ Unctionis specialiter servanda, tum quoad unctiones, tum quoad preces et ritus præscriptos, casu quo ægrotus in extremis laborat et periculum est ne moriatur antequam unctiones omnes finiantur?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. Expone Ps. CIII, 4: *Qui facis angelos tuos, spiritus; et ministros tuos ignem urentem.*

R. Nonnulli Interpretes cum Vatablo et Jansenio Gandavensi versum hunc ordine constructionis inverso sic exponunt: *Qui spiritus,* id est ventos, *facis angelos* i. e. nuntios *tuos*, *et ignem urentem* seu fulgura facis *ministros tuos;* hoc est: qui ventos et fulgura tamquam nuntios et ministros iræ tuæ adhibes. Hic sensus 1° optimè convenit iis quæ in eodem psalmo præcedunt de lumine, cælo, aquis, nubibus et pennis ventorum, velut subservientibus ostendendæ magnificentiæ Dei; 2° commendatur ex eo quód versu immediatè præcedenti prædicatum propositionis (qui ponis nubem *ascensum tuum*) hebraicè habet sufflixum pronominis possessivi, quemadmodum illud habent hîc nomina versa per *angelos* et *ministros* (*angelos tuos*, *ministros tuos*), ut proinde et hæc prædicata esse, non autem subjecta dicenda videantur; 3° confirmatur ex simili loquendi figurà Ps. CXLVIII, 8: « *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus* ».

Alii veró, v. g. Estius, Giustiniani, Liénard, Mortelmans, cum SS. Augustino et Gregorio, similiter ordine verborum immutato sensum hunc reddunt: *Qui spiritus et ignem urentem,* id est eos quorum natura spiritualis est et ignea seu vehementer activa, *facis angelos et ministros tuos*, seu, qui pro nuntiis et ministris uteris spiritualibus ac summè actuosis substantiis. Hæc sententia 1° probatur secundo argumento suprà in fa-

vorem primæ sententiæ allato, ex quo eruitur *spiritus* et *ignem urentem* esse subjecta, *angelos* autem ac *ministros* prædicata orationis; 2º nititur auctoritate S. Pauli, qui *ad Hebr.* I, 7 locum hunc apertè exponit de angelicis spiritibus, et hinc argumentum ducit ad probandam Christi divinitatem ac præstantiam super angelos.

Dionysius autem, Euthymius, Theodoretus, S. Thomas, à Lapide, Bellarminus, Schegg, Drach, Patrizzi, Allioli, Beelen, etc. versum hunc servato constructionis ordine sic explicant: *Qui facis angelos tuos* veloces sicut *spiritus* seu ventos, *et ministros tuos*, eosdem nimirum angelos, subtiles et activos sicut *ignem urentem* seu fulgura; aliis verbis: qui facis ut angeli ministri tui habeant in exsequendis decretis tuis velocitatem ventorum et efficaciam ignis urentis seu fulguris. Frequens enim Hebræis est notam similitudinis (*sicut*) reticere ac subintelligere ut Ps. X, 2: *Transmigra in montem sicut passer*, ubi in Hebræo tantùm est: *Transmigra in montem passer*. Comparat autem Propheta angelos vento et igni, non quód angeli non sint iis velociores ac potentiores, sed quia nos nihil novimus inter hæc corporalia, quibus aptius angelorum velocitas et efficacitas conferri possit. (1)

Sententiam hanc prioribus longe præferendam censemus. Et re quidem vera:

1. S. Paulus *ad Hebr.* I, 7 hunc Psalmi versum absque dubio exponit de angelis, eoque utitur ad demonstrandum Christum longè superiorem esse angelis; ait enim: » *Et ad angelos* (de angelis) *quidem dicit: Qui*

(1) Minus obvia nobis videtur explicatio Maldonati, et Corluy, quæ sic sonat: « Qui uteris ministerio angelorum tuorum ad excitandos ventos et emittenda fulmina » Mald.; seu, uti exponit eam Corluy: « Faciens angelos suos movere ventos et suscitare fugura ». Quando enim aliquid prædicatur fieri tale aut tale, priùs cogitatur id tale proprié aut metaphorice fieri, quàm tale quid facere. Sic v. 3, ubi dicitur: *Ponis nubem currum tuum*, non intelligitur nubes *producere* currum Dei, sed adhiberi à Deo *instar* currùs regii.

facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi etc. ». Jam verò juxta primam sententiam versus iste Psalmi nullo modo, neque litteraliter, neque mysticè intelligitur de angelis; neque ex eo deduci potest Christum angelis præstare: ex eo enim quód *venti* et *fulgura* adhibentur tamquam Dei *nuntii* et *ministri*, minimè sequitur *Christum* esse *superiorem angelis*. Fateri igitur coguntur patroni primæ sententiæ S. Paulum Psalmistæ sensum non esse assecutum; nolunt tamen Apostolum ideo erroris esse arguendum: nam, aiunt, hunc locum allegat prout jacet in versione græca, de conformitate versionis cum originali nihil definiens; atque argumentum inde ducit *ad hominem*, nimirum ad lectorem versionis græcæ admittentem illa verba in psalmo *de angelis* dici. Sed, ut rectè reponit Corluy: « Contra est quòd a/ verba illa producit Apostolus tamquam de *angelis* à Deo dicta in S. Scriptura: hoc autem falsum foret si in Scriptura loco citato nullus foret sermo de angelis. — b/ Nihil insinuat ejus ratiocinium esse relativum dumtaxat ad lectores græcæ versionis; sese prodit ut absolutum ».

2. Mirum non est Psaltem creaturis Deo ministrantibus accensere etiam angelos; namque omnes creaturas ad Dei laudem et encomium, in medium adducit; inter quas nobilissimos Dei ministros angelos omisisse, ferè piaculum fuisset. « Contexta oratio psalmi, ait Corluy, talem interpretationem non rejicit: ostenditur enim Deus omnem creaturam in sui obsequium adhibere: *lumen* pro *vestimento, cœlum* pro *via strata*,... *nubem* pro *curru*, *ventos* pro *vectoribus;* et ita in majestate sua per aera incedens emittit *angelos suos,* currum suum stipantes, veluti *ventos; ministros suos* veluti *fulgura*. In hac descriptione triumphalis incessus summi Regis sane exspectanda est mentio comitatus ejus. Cf. Job 38, 7. » Cæteroquin insuetum non est in Sacris Litteris angelos recenseri inter creaturas Deo benedicentes aut mini-

strantes. Cf. Ps. XVII, 11: « *Et ascendit super cherubim, et volavit: volavit super pennas ventorum* ». Ps. CII, 20: « *Benedicite Domino omnes angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum ejus.* » Ps. CXLVIII, 1, 2: « *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus etc.* ». Dan. III, 57, 58: « *Benedicite omnia opera Domini Domino... Benedicite Angeli Domini Domino etc.* »

Inde liquidò apparet debilitas primi et tertii argumenti primæ sententiæ. Non enim negamus iis argumentis ostendi Deum *ventis* et *fulguribus* uti ceu *ministris*, sed contendimus ac ostendimus nihil impedire quominus corporeis Dei ministris adjungantur angeli, adeoque nihil obstare quominus hunc Psalmi locum cum S. Paulo interpretemur de angelis.

3. Tum in versione græca hujus Psalmi, tum in textu græco Epistolæ *ad Hebræos*, haud solùm articulus additur ad nomina *angelos* et *ministros*, non autem ad nomina *spiritus* et *ignem*, verùm etiam nomina *angelos* et *ministros* præcedunt nomina *spiritus* et *ignem*. Hæc autem verborum constructio simul et articuli appositio requirunt ut *angelos* et *ministros* habeamus tamquam *objecta* propositionis, *spiritus* autem et *ignem* tamquam prædicata. Verum quidem est in Psalmo nostro v. 3° objectum propositionis (*nubem*) hebraicè et græcè carere articulo, prædicatum autem (*currum*) hebraicè suffixum et græcè articulum habere, quemadmodum hebraicè suffixum et græcè articulum habent nomina *angelos* et *ministros;* sed ibidem *objectum* (*nubem*) primum locum occupat, secundum vero locum occupat *prædicatum (currum)*, sicut v. 4° primum locum obtinent nomina *angelos* et *ministros*, secundum vero nomina *spiritus* et *ignem*: ex quo colligitur nomina *angelos* et *ministros* esse propositionis objecta, perindè ac nomen *nubem*, nomina autem *spiritus* et *ignem* esse *prædicata*, perinde ac nomen *currum*. Et sic ruit secundum argumentum primæ sententiæ, adeoque et primum secundæ sententiæ.

Præterea secundæ sententiæ specialiter obstat 1° quód si per *spiritus* intelliguntur *spiritus angelici*, ex parallelismo membrorum per *ignem urentem* seu *flammam ignis* intelligere pariter oportebit *spiritus angelicos*, seu *seraphim*, uti exponit Giustiniani. Sed hæc angelorum appellatio quemadmodum nullo Scripturæ testimonio comprobatur, ita non nisi ad desperatam causam tuendam proponi posse videtur; 2° obstat optimè quidem dici: *Ministros suos facit ignem*, (seu instar ignis), minus autem congruè: *Ignem facit ministros suos*.

4. Sententiam nostram confirmat interpretatio traditionalis Judæorum, quorum *Targum* sic vertit « Faciens angelos suos *veloces sicut* ventum, ministros suos *fortes ut* ignem flammescentem. »

Inde haud immeritó concludit Corluy: « Talis concordia inter synagogam hebraizantem et hellenisticam censenda est verâ traditionis antiquæ interpretatione niti ».

Sententia igitur nostra est 1° in Ps. CIII, 4 sermonem esse de *angelis*; 2° *angelos tuos* et *ministros tuos* esse *objecta* orationis, *spiritus* autem et *ignem urentem* esse *prædicata;* 3° in utroque membro subintelligendam esse notam similitudinis *sicut* seu *instar*.

G. V. D. P.

II

Q. *Præmissa notione* mediatoris, *ostende hoc munus mediatoris Christo convenire formaliter* secundum quod est homo, *non formaliter secundum quod est Deus*.

R. I. *Mediator* universim est medius interduo extrema ad ea aliquo modo conjungenda. Maxime proprie est mediator qui extrema *reconciliat* post dissolutum fœdus pacis.

Notemus in primis, in notione mediatoris duo esse consideranda, nempe rationem medii et officium con-

jungendi. (1) Et sane, ut quis sit mediator oportet primùm ut sit *medius* inter duo extrema, scilicet participando aliquid de utroque. Hoc autem non sufficit. Requiritur deinde ut ille medius exerceat munus conjungendi extrema : porro secundum hoc dicitur aliquis formaliter *mediator*. « Mediator igitur dicitur aliquis ex hoc quod actum medii exercet conjungendo disjunctos ». S. Thom. in III, D. XIX, a. V, q. 2. Inde intelliges nomen « mediator » esse potius *officii* nomen quam naturæ (2).

Ulterius perpendamus duas illas notas quibus constat essentia mediatoris.

1/ De ratione *medii* est ut de utroque extremorum aliquid participet et tamen ab utroque differat, ita ut sit uno inferior, superior altero. « Dicitur autem aliquid medium ex hoc quod est inter extrema....

« Esse autem inter extrema convenit quantum ad duo : scilicet quantum ad hoc quod medium participat utrumque extremorum ; et secundum ordinem, inquantum est sub primo, et supra ultimum : et hoc exigitur ad rationem medii proprie dicti : quia medium dicitur secundum respectum ad primum et ultimum, quæ ordinem dicunt. » S. Thom. in III, D. XIX, a. V, q. 2.

2/ Quoad *officium conjungendi* notemus illud diversimode exerceri posse, nempe vel deferendo pacta, conventiones ab una parte in alteram partem, vel intercedendo pro una apud alteram, vel præsertim solvendo et satisfaciendo apud unam pro offensa illata ab altera parte. (3) Hoc munus etiam plus minusve perfecte adimpleri potest.

---

(1) Cfr. S. Thom. III, q. XXVI, a. 2.

(2) « Mediator est potius nomen officii quam naturæ, et licet necessaria fuerit conjunctio utriusque naturæ in persona Christi ad hoc ut officium efficaciter et cum sufficienti virtute et activitate potuerit exercere, quia sola humana natura non potuisset condigne reconciliare Deo peccatores ; non tamen dicetur mediator quia participat aliquod utriusque extremi, sed quia exercet officium mediatoris circa Deum et homines. » De Lugo, *De Mysterio Incarnationis*, D. XXIX, Sect. IV.

(3) Cf. De Lugo, l. c.

Sufficiat animadvertere, in præsenti Providentiæ ordine Deum inter et homines primum et summum mediatorem esse Jesum Christum, secundum verba Apostoli: « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. » I Tim. II, 5. Hoc autem non impedit quominus aliqui alii sint et dicantur mediatores *secundum quid* inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem inter Deum et hominem.

II. Christus mediator est formaliter *secundum quod est homo*, non secundum quod est Deus.

Et re quidem vera, secundum quod est Deus, Christus nec rationem medii habet nec officium conjungendi; utrumque vero Illi convenit secundum quod est homo: nam.

1/ Quoad rationem *medii:* ut aliquis sit proprie dictus medius, secundum ea quæ supra exposuimus, requiritur non solum ut de utroque extremo participet, sed insuper ut ab utroque distet: atqui Christus secundum quod est Deus non differt a Patre et Spiritu Sancto in natura et potestate dominii; sed secundum quod est homo Christus distat et a Deo in natura et ab hominibus in dignitate et gratiæ et gloriæ.

2/ Quoad *officium conjungendi:* ad hoc requiritur ut mediator possit ab utraque parte aliquid ad alteram deferre: jamvero Christus secundum quod est Deus nihil potest deferre a Patre et Spiritu Sancto quasi ab aliis: nec Pater enim nec Spiritus Sanctus aliquid habent quod non sit Filii: unde impossibile est ut Filius, quatenus est Deus, sit proprie dictus mediator inter Patrem et Spiritum Sanctum ex una parte et homines ex altera parte (1).

Sed Christus *quatenus est homo* officium exercet con-

(1) Patet quod Filius *quatenus est Deus* nequit esse mediator inter semetipsum et homines.

jungendi homines et Deum: « præcepta et dona Dei hominibus exhibendo, et pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando ». S. Thom. III, q. XXVI, a. 2.

Nota. Non dicimus *humanitatem* Christi esse mediatorem, sed Christum, ideoque personam divinam, attamen formaliter quatenus hæc persona est homo (1).

J. V. D. M.

---

(1) Cujusdam circuli responsum animadversione concluditur sequenti: « Ex dictis constat Christum *formaliter* secundum quod est homo dici mediatorem. Simul tamen ex iisdem concludi potest *maxime* proprie dici mediatorem ut est *homo-Deus*. Ita Lugo. .. Ergo magis placeret statuere thesim *Christo munus mediatoris convenire formaliter secundum quod est* HOMO-DEUS (vel Deus-homo) ».

Huic conclusioni non assentiendum videtur. Etenim:

1°/ Si vere demonstratum est munus mediatoris Christo convenire *formaliter secundum quod est homo*, et non secundum quod est Deus, jam non recte dici poterit Christo munus mediatoris convenire formaliter secundum quod est homo-Deus: nam dicendo munus mediatoris Christo convenire formaliter secundum quod est homo, significamus *præcise ratione* humanitatis (et non ratione divinitatis) Christum constitui mediatorem. Jamvero si quis diceret munus mediatoris Christo convenire formaliter secundum quod est homo-Deus, significaret *et* ratione humanitatis *et* ratione divinitatis Christum constitui mediatorem.

2°/ Ad auctoritatem Lugonis quod attinet, hæc sunt ejus asserta: « primo posse propriissime dici: Christus ut est homo-Deus, est mediator, quia ut sic includit et explicat subjectum, quod denominatur mediare, et potentiam seu virtutem, qua constituitur in ratione mediatoris, quæ est natura divina, a qua provenit dignitas et valor mediatoris. Secundo, non posse dici: Christus, in quantum Deus, est mediator... Tertio denique posse dici: Christus, in quantum homo, est mediator; et hoc tum in sensu specificativo, designando scilicet per reduplicationem subjectum cui peculiariter convenit prædicatum mediatoris: tum etiam in sensu reduplicativo (formali) denotando *principium et radicem mediationis, quæ est natura humana, quæ sola denominatur formaliter intercedere et satisfacere.* » *De Incarnatione*, Disp. XXIV, Sect. IV, n. 45. Jamvero quoad 2um et 3um; omnino idem dicit De Lugo quod affirmatur in nostra thesi, et maxime notanda sunt ultima verba citata.

Quoad 1um sc. *posse propriisime dici*: *Christus ut est homo-Deus, est mediator*, distinguo: in sensu specificativo, nempe si per verba *ut est homo-Deus* designatur subjectum quod est mediator, *Conc.*; in sensu reduplicativo formali, nempe si per hæc verba *ut homo-Deus* significatur *et ratione* humanæ naturæ *et ratione* divinæ naturæ Christum constitui mediatorem, *nego*.

Nego etiam « potentiam et virtutem qua constituitur (Christus) in ratione mediatoris esse divinam naturam »: nam *humana* in Christo

III

Q. *Quid intelligis per dispensationem concessam* a/ in forma gratiosa *et* in forma commissoria; b/ in forma pauperum *et* in forma ordinaria.

R. Ad I/ Dispensatio dicitur concessa **in forma gratiosa**, quando ab ipso auctore dispensationis executioni mandatur et directe oratoribus applicatur; dum e contra dicitur concedi **in forma commissoria**, quando dispensationis auctor alteri committit munus dispensationem exequendi eamque sponsis applicandi.

Unde apparet, sub altera forma, gratiam non compleri per actum auctoris, qui mere facultatem facit et mandatum imponit dispensandi, sed tantùm per actum mandatum acceptum exequentis (1).

Porro *dispensationis executio* passim vocatur *fulminatio*, sive directe fiat a concedente dispensationem in forma gratiosa, sive a mandatario procedat, mandatum adimplente dispensantis in forma commissoria: cui tamen alteri executioni, juxta nonnullos, usu magis appropriatur vox fulminatio. Ita Van de Burgt, *Tractat. de Dispens. matr.*, n. 68.

Circa prædictam notionem, inter recentiores, confer Feye, *De Imped. matr.*, n. 728 et n. 691; Gasparri,

---

natura est principium quo elicit Christus actus mediationis, ut ipse Lugo affirmat in fine citationis supra relatæ.

Utique valor et dignitas actuum mediationis proveniunt a divina persona, sed ipsi actus a sola humana eliciuntur natura.

Ergo *mediator* formaliter constituitur Christus secundum quod est homo, et non secundum quod est Deus.

(1) Attende quod Papa, dispensans *in forma commissoria*, « duo committat executori, videlicet *jurisdictionem* examinandi et informationes capiendi an preces veritate nitantur; et *nudum ministerium*, scilicet pœnitentiam imponendi, absolvendi, dispensandi et legitimandi prolem ». Reiffenst. in Append. ad l. IV Decr., n. 353. Unde fit ut dispensatio in forma commissoria æquivalenter nuncupetur dispensatio *in forma mixta*, et mandatarius dicatur *executor mixtus*. Cf. Pompen, *Tractat. de Dispensat.* n. 99 et AA. citatos.

De matrim., I, n. 363; Planchard, *Dispenses matrim.*, nn. 303, 316, sub 4°; Pompen, *Tractat. de Dispens.*, nn. 68 et 99; De Becker, *De spons. et matrim.*, p. 323.

Ad II/ Dispensatio **in forma pauperum** dicitur dispensatio pauperibus concessa a Dataria vel Cancellaria, in impedimentis consanguinitatis vel affinitatis legitimæ, ob alterutram causam infamantem, copulam nempe incestuosam ejusve suspicionem, *cum clausulis severioribus*.

Dispensatio vero **in forma ordinaria** dicitur dispensatio, in dictis impedimentis, divitibus impertita a Dataria vel Cancellaria, præfatas ob causas infamantes, *absque severioribus illis clausulis*, quibus substituitur, in pœnam delicti, major componenda (1).

Hæc igitur notissima divisio solas spectat dispensationes Datariæ vel Concellariæ, easque in impedimentis consanguinitatis vel affinitatis legitimæ concedendas, ob alterutram causam infamantem indicatam; et distinctio in hoc reponitur quod dispensationi in forma pauperum adnectuntur clausulæ severiores, quas in dispensationibus in forma ordinaria compensat major componenda solvenda (2).

Proinde nonnisi *improprio sensu* quis dicet *in forma pauperum* concedi dispensationes quas elargitur S. Pœnitentiaria pauperibus, et aptius vocarentur, confusionis vitandæ gratia, dispensatio *cum pauperibus;* ac idem valet de dispensationibus, si quæ, quod in nostris regionibus vix contingit, a Dataria vel Cancellaria pauperibus vel fere pauperibus conceduntur, in aliis impedimentis quam in consanguinitate et affinitate, vel aliam ob causam quam ob allegatum incestum ejusve suspi-

(1) Crescit componenda pro crescente fortuna sponsorum; quando autem componenda exigitur admodum magna, dispensatio in forma ordinaria interdum dicitur concedi *in forma nobilium*. Cf. Feye, op. cit. n. 691.

(2) In hac danda notione abstrahimus a speciali disciplina in Belgio vigente, vi cujus componenda solvenda relinquitur determinanda prudenti judicio Ordinarii.

cionem. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 190-191; XXII, p. 334; Feye, op. cit., n. 691; De Becker, op. cit., p. 315, in nota; Reiffenstuel, *in Appendice ad l. IV Decr.*, nn. 366-416; *Acta S. Sedis*, VII, p. 425; Theol. Mechl., *De Matrim.*, p. 371-372.

Maxime apparet utriusque formæ descriptæ distinctio in dispensationibus, quales in usu erant ante medium vertentis sæculi. Ita in rescriptis dispensationis *in forma pauperum*, præter absolutionem ab incestus reatu et ejusmodi excessibus cum subjuncta pœnitentia et juramentum quod sub spe facilius habendæ dispensationis incestum non commiserint, quæ communia erant utrique formæ, ordinariæ scilicet et formæ pauperum, ulterius oratoribus injungebatur: 1°/ separatio, 2°/ pœnitentia publica, 3° petitio veniæ, 4°/ opera præstanda fabricæ vel in aliud servitium alicujus Ecclesiæ vel loci pii, tribus saltem mensibus, 5°/ duplex juramentum quod delicta incestuosa deinceps non essent commissuri nec committentibus auxilium præstituri, consilium vel favorem; et tandem 6°/ mandatarii arbitrio relinquebatur dispensationis executio, dum in forma ordinaria mandatarius erat executor necessarius. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 181-186.

A. D. S.

IV

Q. *Indica an et quomodo, ante executionem rescripti Romani, facienda sit* verificatio precum, *addendo utrum requiratur ad valorem vel ad liceitatem tantum.*

R. I/ Ante executionem rescripti Romani (1), expe-

(1) Rescriptum hic dicimus Litteras Apostolicas dispensantes *in forma commissoria*, seu munus committentes executori dispensationem exequendi.

diti sive a Dataria vel Cancellaria Apostolica (1) sive a S. Pœnitentiaria, *regulariter sub gravi obligat* facienda verificatio precum.

Ratio est quia ad valorem dispensationis requiritur ut vera sint exposita, de quorum veritate executori, absque capta informatione, passim non constabit. Cæterum in rescriptis Datariæ et Cancellariæ *expresse imponitur* instituenda verificatio, antequam dispensatio executioni mandetur; legitur enim in tenore: « Discretioni Tuæ per præsentes *committimus et mandamus*, quatenus de præmissis te diligenter informes, et, si vera sint exposita, super quo conscientiam tuam oneramus.... » (2).

Neque a statuta obligatione excusat diligens inquisitio facta antequam preces pro obtinenda dispensatione S. Sedi porrectæ fuerint (3).

Et sane, ut ratiocinatur Feye, *De Imped. matr.*,

---

(1) Cancellaria Apostolica dispensat pro foro externo in quibusdam impedimentis minoris momenti puta in consanguinitate et affinitate 3i et 4i gradus simplicis et mixti etiam tangentis 2m, item in crimine ex adulterio et fide data etc. In Belgio tamen, attentis facultatibus quinquennalibus non dispensat in consanguinitate et affinitate, nisi ubi tangitur 2s gradus; in crimine vero absque machinatione, quando concurrit v. gr. cum consanguinitate vel affinitate in dicto gradu. Dicuntur rescripta *sub plumbo*, dum rescripta Datariæ dicuntur: *sub annulo Piscatoris*. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 618; Planchard, *Dispenses matrim.*, n. 169, in nota.

(2) S. Pœnitentiaria non habet speciale præceptum et simpliciter executori pro foro externo « facultatem concedit cum iisdem oratoribus, *si vera sint exposita*,... dispensandi ». Pro foro interno simili utitur formula: « si ita est ».

(3) Nimirum *duplex* distinguitur informatio: *una* prævia quæ fit antequam supplex libellus mittitur et dispensatio postulatur; *altera* quæ instituitur antequam dispensatio fulminatur et postquam jam acceptum est rescriptum dispensationem committens exequendam. Hæc altera informatio est sola jure communi præscripta et vi rescripti facienda; prior autem, utpote utillissima, communiter est in usu et passim a jure diœcesano imponitur. Ita, in diœcesi Erugensi, postulat Episcopus ut, in libello supplici ad Episcopum directo, supplicam conficientes et transmittentes « testentur causas allegatas veritate niti, nec præter impedimenta canonica, quorum dispensatio petitur, ulla alia superesse »; quod testimonium supponit præviam inquisitionem.

n. 738, sub pœna nullitatis requiritur veritas circa exposita *in ipso rescripto*, idque momento fulminationis, « informatio autem *olim* capta non probat omnia se *nunc* recte habere: potuit error irrepere, aliquid necessario exprimendum supervenire, aliæ clausulæ possunt esse additæ in rescripto, etc. (1). Insuper, quod attinet rescripta Datariæ et Cancellariæ, subsistit mandatum expressis verbis et absque restrictione injunctum in ipso tenore rescripti. »

Dicitur: « *regulariter* » : quia 1°/ « quandoque, *in casu urgentis necessitatis*, præsertim si aliunde habeatur certitudo moralis de veritate expositorum, dispensatio poterit, informatione omissa, fulminari ». Theol. Mechl., *De Matrim.*, ed. 1894, p. 389, juxta Feye, op. cit., n. 738.

Parochus tamen vel confessarius, qui dispensationem recepit ab Ordinario fulminatam, in quantum fieri potest, inquirat antequam dispensationem oratoribus communicet (2).

2°/ Quotiescumque executori *plane certum est et notorium* preces veritate niti, supervacanea censetur informatio capienda ipsique supersedere non est illicitum; quam licentiam tamen nonnulli, uti videtur, nolunt extendere ad rescripta Datariæ et Cancellariæ propter speciale mandatum in illis occurrens: quibus auctoribus nonnihil favet responsum, in solutione quæ-

---

(1) En nonnulla exempla adducta a Planchard, apud *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 152: « on a pu alléguer une cause qui ne se trouve plus vraie, par exemple, l'absence de dot, et il est survenu un héritage qui a changé la condition de la suppliante; ou l'éducation d'un enfant né d'un précédent mariage, et cet enfant est mort.... En outre il ne faut point oublier que le Saint-Siège complète souvent les suppliques des Ordinaires en ajoutant des clauses, comme la clause *ex honestis familiis*,... la clause *Quod mulier graviter diffamata et innupta remaneret* etc..., et qu'il ne saurait présumer que ces clauses ajoutées par lui ont été vérifiées à l'avance ».

(2) Posset etiam Ordinarius fulminare dispensationem *ex nunc pro tunc*, uti dicitur, ita nempe ut tunc tantum sit vim habitura quum, informatione, in quantum fieri potest, capta, parocho constiterit de veritate precum.

stionis V^æ afferendum, responsum, inquam, S. Pœnitentiariæ 12 Jan. 1884, vi cujus ab *injungenda* separatione abstinere nequit Ordinarius, etiam ubi constat oratores separatos habitare et usque ad diem matrimonii esse habitaturos.

II/ Quidquid sit de valore dispensationis sub antiqua disciplina (1), tutò docetur, *attenta hodierna disciplina* inde ab anno 1885 innovata, *validam esse*, dispensationem quæ, ommissa informatione vi rescripti Romani præscripta, executioni mandatur: sufficit ut objective vera sint exposita nec refert utrum ante supplicationem præcesserit inquisitio necne, idque valet non tantum pro rescriptis S. Pœnitentiariæ (2), sed etiam pro rescriptis Datariæ et Cancellariæ Apostolicæ.

Quod assertum nititur in immutatione introducta, die 28 Aug. 1885, (*Nouv. Rev. théol.*, XXX, p. 34), in tenore Litterarum Apostolicarum a Dataria et Cancellaria expeditarum. Nimirum suppressa est illa clausula ex qua logice deducebatur verificationis necessitas ad valorem, clausula scil. quæ in rescripto hisce similibusve verbis efferebatur: « Discretioni tuæ... per præsentes committimus et mandamus, quatenus de præmissis te diligenter informes, et *si per informationem eamdem preces veritate niti repereris*, (3),... dispenses ».

---

(1) *Olim* ad valorem sat communiter postulabatur precum, vel ad minus causarum verificatio, saltem pro exequendis rescriptis Datariæ et Cancellariæ, excepto juxta non paucos casu quo informatio capta fuerit ante missas preces et executori moraliter constaret de veritate expositorum. Hanc controversiam videsis tractatam apud Feye, op. cit., ed. 1885, n. 738; Van de Burgt, *Tractat. de dispens. matrim.*, nn. 69-71; Théphany, *Traité des Dispenses matrimoniales*, n. 240; collatis Conc. Trid., Sess. XXII, *De Reform.*, cap. V, et Bened. XIV, Constit. *Ad Apostolicæ Servitutis* et *Instit. Eccles.*, 87.

(2) In rescriptis S. Pœnitentiariæ jam ante 1855 passim erat in usu formula hodierna: « si vera sint exposita », « si ita est. »

(3) Alias habebatur: « si per informationem exactam *a personis fide dignis rite ac recte examinatis canonice habitam*, easdem preces veritate realiter ac omni mendacii ac fraudis suspicione prorsus remota niti compereris ». Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 148.

Huic namque clausulæ substituitur nunc formula sub I relato: « si vera sint exposita »; adeo ut facultas dispensandi, vi præsentis tenoris, soli alligetur expositorum veritati, addito mandato inquirendi, dum e contrà olim meritò censebatur alligata expositorum veritati executori *per informationem compertæ*. Cf. Zitelli, *De Dispens. Matrim.*, p. 87, sub I.

Jamvero, uti arguit Planchard, apud *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 150, quemadmodum omnis clausula in rescripto inserta ita est interpretanda ut aliquid operetur, ita omnis clausula suppressa ita est interpretanda ut suppressio aliquid operetur.

Hæc quæ præcedit doctrina, saltem partim, confirmatur per responsum S. Pœnitentiaræ 27 Apr. 1886, ad 3m, quo declaratur quod *ad validitatem* executionis non requiratur « nova et canonica verificatio causarum vi Litterarum Apostolicarum instituenda, casu quo Ordinarius de causis dispensationis exactam et per juratos testes habitam informationem ceperit antequam preces, pro obtinenda dispensatione, S. Sedi porrexisset ». *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 141.

III. Quod *modum* attinet faciendi verificationem:

1°/ *jure communi*, nulla, nisi peculiariter assignetur (1), præscribitur determinata ratio procedendi, et illa sufficit cognitio causæ *summaria et extrajudicialis*, quæ ejusmodi sit ut « judex delegatus, quoad veritatem expositorum, conscientiæ suæ satisfactum esse sentiat »; juxta responsum S. Pœnitentiariæ 1 Julii 1859, collato ejusdem S. Tribunalis rescripto diei 5 Sept. 1899, in quo ad quæstionem: « an in verificandis impedimentis et causis matrimonialium dispensationum, facienda sit vel omittenda sit sponsorum interrogatio, et si omittenda, an sufficiat interrogare super omnibus duos testes fide

(1) Hoc obtinet in formula modò relata, p. 675, sub nota 3a, vi cujus formulæ *canonica* injungitur informatio, interrogatis scilicet separatim et sub fide juramenti testibus, qui et testata subsignent. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 153 et *Rev. théol. Franç.*, 1900, p. 89.

dignos », respondit : « Rem pendere a prudento arbitrio Ordinarii, perspectis peculiaribus cujusvis casus circumstantiis, quæ secum ferunt necessitatem vel utilitatem etiam sponsos, præter testes, interrogandi ». Cf. *Rev. théol. franç.*, 1900, p. 88.

Porro verificatio potest ab executore, utpote in hoc non merum ministerium sed jurisdictionem exercente a Pontifice delegatam, alteri subdelegari, etiam ubi nulla specialis subdelegandi facultas conceditur.

2°/ *Jure diœcesano*, in diœcesi Brugensi, Ordinarius, cui dispensationes Apostolicæ *pro foro externo* exequendæ demandantur, ad verificationem precum, in hoc foro, regulariter subdelegat parochum, cui peculiaris in hac re processus imponitur sequendus. Nimirum ab ipso postulatur ut sponsos oratores, « necnon duos testes probos et idoneos, *omnes et singulos separatim*, examinare velit super veritate precum, eosque, magna cum prudentia, attenta præsertim qualitate personarum, interrogare » circa nonnullas quæstiones in adjecta schedula appositas (1) ; addita monitione ut idem parochus responsa ad petita veritate niti, mediante signo suo manuali, testari velit, eaque, simul cum adjuncto documento Romano, in quo concessa legitur dispensatio Apostolica in forma commissoria, ad Rev^mum Dominum dirigere.

Pro rescriptis Romanis *fori interni* a confesario exe-

(1) Hic sequitur elenchus quæstionum a parocho, pro opportunitate, proponendarun :

1°/ Annon detur error nominibus, prænominibus, ætate, domicilio, vel diœcesi oratorem ? 2°/ An, præter impedimenta in rescripto expressa, alia non fuerint in precibus reticita ; et, quatenus affirmative, quænam illa sint, et an reticita bona fide oratorum ? 3°/ an alia impedimenta non supervenerint post missas preces ? 4° an rationes allegatæ pro obtinenda dispensatione vere exstent ? 5° an incestus publicus ab oratoribus non fuerit falso allegatus, et, in hoc casu, utrum hæc falsitas commissa fuerit absque culpa oratorum ? 6°/ an mulier non fuerit rapta ? 7°/ an status fortunæ oratorum accurate fuerit expositus ? 8°/ an oratores ex honestis existant familiis, id est, quæ nullo turpitudinis vitio laborant, diffamatæ non sunt ?

quendis, en quæ utiliter notat *Theol. Mechl.*, op. cit., p. 395 : Confessarius « pœnitentem diligenter interroget eum seriò monendo ut veritatem dicat, cum alias forte lateret defectus cui remedium esset afferendum. Testes hic adhiberi non possunt, neque etiam jusjurandum exigi ut rei veritas magis comprobetur : sed pœnitenti simpliciter asserenti credendum est, nisi forte confessarius, aliunde quam ex tertii confessarii confessione sacramentali, contrarium sciret ».

Circa universam quæstionem consule præ cæteris *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 141-155; XX, p. 33-36; Feye, op. cit., nn. 738, 746, 749; Van de Burgt, op. cit., nn. 67-74; Pompen, *Tractatus de Dispens.*, nn. 73-76; Zitelli, *De Dispensat. matrim.*, p. 86-87, p. 101-102; Théphany, op. cit., nn. 240-244, 373 et seq; Planchard, *Dispenses matrimon.*, nn. 187, 246, 282-284; Theol. Mechl., op. cit., p. 388-389, 395; Joder, *Formulaire Matrimonial*, p. 117; Putzer, *Comment. in Facult. Apostolicas*, n. 74 et 80; De Becker, *De Sponsal. et Matr.*, p. 325-326; Gasparri, *Tractatus de matrim.*, I, n. 367; *Rev. théol. franç.*, 1900, p. 88-92.

Conclusio. Juxta *hodiernam* disciplinam *regulariter* ad *liceitatem* requiritur *precum verificatio* post acceptum rescriptum Romanum instituenda, *non* vero *ad valorem*; *jure* autem *communi*, nisi contrarium expresse indicetur in tenore, sufficit informatio *summaria et extrajudicialis*, quæ, arbitrio Ordinarii, apta sit certitudinem procurare moralem.

Nota. Præsens responsum non spectat nisi executionem rescripti Romani, seu dispensationis Apostolicæ in forma commissoria impertitæ, intacta relicta quæstione circa dispensationes Episcopales, ab Episcopo concessas, sive vi indulti, sive vi potestatis quasi-ordinariæ; quam quæstionem videsis tractatam apud citatos Auctores, signanter apud Van de Burgt, l. c.; Pompen. l. c. et n. 100, nota; Planchard, op. cit., n. 316 cum nota; Feye, op. cit., n. 756.

A. D. S.

V

Q. *In rescriptis Romanis, signanter in rescriptis Datariæ in forma pauperum et in rescriptis S. Pœnitentiariæ pro foro externo, ob causam infamantem, conceditur facultas exequendi dispensationem*, « remoto, quatenus adsit, scandalo, præsertim per separationem, tempore sibi *(executori)* beneviso, si fieri potest ». *Hanc clausulam interpretare juxta mentem Curiæ Romanæ.*

R. I. **Notitia historica.**

A/ *Praxis Datariæ. — Ante annum 1852* Dataria, dispensans *in forma ordinaria*, nullatenus injungebat separationem, sed tantum quando dispensabat *in forma pauperum*, imponens nempe executori ut oratores imprimis ab invicem separaret nec dispensationem executioni mandaret nisi « postquam in separatione præfata arbitrio suo perseveraverint ». Cf. formulam apud *Nouv. Rev. théol.* XIX, p. 614, collato XXI, p. 502.

Inde ab anno 1852, etiam in rescriptis Datariæ *in forma ordinaria*, præter clausulam duplicis confessionis, inseritur: « prævia exponentium separatione ad tempus tibi benevisum »; quæ utraque clausula jam omittitur inde, uti videtur, ab anno 1885; quo tempore, per decretum nempe 28 Aug. 1885, mutatus est tenor rescripti in forma pauperum, in quo deinceps habetur: « remoto, quatenus adsit, scandalo,... ». Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XIX, p. 628-630, collato XX, p. 34-35.

B/ *Praxis S. Pœnitentiariæ.* — In rescriptis S. Pœnitentiariæ pro foro externo, ob causam infamantem, circa annum pariter 1852, introducta est clausula de separatione, uti testatur *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 199-200, collato Planchard, *Dispenses Matrimon.*, n. 258. Porro severiori formula utebatur S. Pœnitentiaria quam Dataria hisce scil. terminis: « interdicto prius illis quocumque tractu per tempus sibi benevisum ».

Anno autem 1883, mitigata severitate, praxim secuta Datariæ, solam jussit imponendam esse separationem ad tempus Ordinario exequenti benevisum; cui formulæ, anno 1884, hanc substituit: « prævia, si fieri possit, separatione per tempus tibi benevisum, et reparato scandalo »; donec tandem, anno 1885, adoptaverit, æque ac Dataria, formulam in quæstione propositam et sub II explicandam. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XXI, p. 502-504.

II. **Interpretatio:**

1°/ « *Remoto scandalo, quatenus adsit* »: Finis quem sibi proponit Curia Romana, in hac clausula inserenda, est removere scandalum, quod supponitur provocatum ex ratione agendi oratorum. Agitur enim, uti ex tenore quæstionis et ex prævia notitia historica liquet, de dispensatione ob causam infamantem, nempe ob copulam, signanter incestuosam, inter sponsos habitam, vel ob nimiam ad invicem familiaritatem, suspicionem copulæ, contractum civilem jam initum et hujusmodi.

Unde clausulæ non est locus, uti cæteroquin expresse additur in tenore, si scandalum defuerit, quemadmodum v. gr. obtinet si causa infamans allegata secreta est, saltem in loco actualis domicilii, vel etiam si sponsorum resipiscentia est publice nota. Cf. *Nouv. Rev. théol.*, XVII, p. 525 et XXI, p. 505 (1).

2°/ « *præsertim per separationem.... si fieri potest* ».

Hisce indicatur modus qui, coram Curia Romana, sit aptior ad scandalum efficaciter reparandum, nimirum *separatio oratorum*, sed non urgetur tanquam medium *necessarium:* additur enim: « si fieri potest »; imo, cum dicatur *præsertim*, separatio, etiamsi sit possibilis, est quidem medium *præcipuum* sed non *unicum* (2). Tempus

(1) Ideo etiam, in folio quod, in occurrenti casu, simul cum documento Romano, ad parochum dirigit Ordinarius Brugensis, non injungitur nec injungenda mandatur reparatio scandali, nisi in quantum scandalum adesse æstimetur.

(2) Cf. responsum S. Pœnitentiariæ 27 Junii 1885, ad IV^{m}: « generatim

autem separationis injungendæ statuendum est juxta beneplacitum Ordinarii (1).

Porro *separatio* intelligitur *a toro et cohabitatione* (2), illique non officiunt tractus etiam inhonesti, quos olim interdicebat S. Pœnitentiaria, in formula anno 1883 suppressa (3), uti contra alios vindicat Planchard, apud *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 218-222, cujus interpretationem firmat responsum S. Pœnitentiariæ 12 Jan. 1884, ad 1m et 2m. *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 228.

Ubi separatio institui nequit, vel ubi prudenter judicat Ordinarius ab ea esse abstinendum, remanet ut *aliter* scandalum, quatenus adsit, removeatur. *Modum* autem noluit ulterius determinare S. Pœnitentiaria, et ad quæstionem: « Rogamus ut S. Pœnitentiaria nobis velit indicare, quibusnam præsertim mediis remotio seu reparatio scandali, defectu separationis, procurari debeat aut possit », 12 Apr. 1889 respondit, quemadmodum jam responderat anno 1885: « modum scandali reparandi remitti prudenti arbitrio Ordinarii, juxta cujusque casus exigentias » (4). *Nouv. Rev. théol.*, XXI, p. 500-501.

---

loquendo, separationem satis esse ad scandalum reparandum: quod si separatio fieri nequeat, scandalum esse reparandum... »; *Nouv. Rev. théol.*, XVII, p. 523; responsum ejusdem S. Pœnitentiariæ 27 Apr. 1886, ad Vm, ad quæstionem: « utrum casu, quo separatio sponsorum fieri possit, ad effectum reparandi scandalum, ad validitatem executionis sufficiat, ut executor aliis mediis efficacibus scandalum reparandum curet »; respondit scilicet: « expedire, ut scandalum removeatur per separationem, sed non prohiberi quominus alii modi adhibeantur qui prudenti judicio Ordinarii sufficiant ad illud removendum ». Ibidem, XIX, p. 142; cf. tandem responsum 12 Apr. 1885: « separationem *præferri* aliis modis reparationis scandali; si hæc fieri nequeat, scandalum esse reparandum... ». Ibidem, XXI, p 501.

(1) In nostra diœcesi Erugensi, regulariter injungitur separatio *per unum diem*.

(2) Cf. responsum S. Pœnitentiariæ 4 Julii 1832, apud *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 190.

(3) Cf. Nouv. Rev. théol. XVI, p. 210-217, p. 224, ubi explicatur antiqua formula.

(4) Oppertunum esset, in obvio casu, ut parochus, *in ipsa supplica* ad

Inter modos reparando scandalo aptiores commendatur, apud *Nouv. Rev. théol.*, XXI, p. 509-511, modus quem approbant Feye, *De Imped. Matr.*, n. 743; De Becker, *De spons. et matrim.*, p. 329, in nota, Theol. Mechl., *De matrim.*, ed. 1894, p. 392, « ut nempe partes coram testibus, vel, si id nequidem obtineri possit, coram solo parocho declarent se dolere de culpa, eam velle reparare, acceptare pœnitentiam sibi imponendam in actu fulminationis. Qua declaratione facta, curabitur ut hæc sufficienter divulgetur; ac dein de re referatur ad Ordinarium ».

Nota. 1°/ Separatio, ubi in medium eligitur ad obviandum scandalo, est *injungenda*, nec ab ea *injungenda* potest abstinere Ordinarius, etiam « si jam constet oratores... separatos habitare et usque ad diem matrimonii habitaturos », juxta jam laudatum responsum 12 Jan. 1884, ad 3m (1).

Unde, in occurrentia, parochus, cui competit *nomine Ordinarii* separationem, ubi fieri potest, *injungere*, præpostere agit omittendo dictam injunctionem, ideo quia separati vivunt et manebunt oratores sponsi; nec adeo, quando ab ipso postulatur, in adjuncto folio, ut

---

impetrandam dispensationem in qua prævidet inserendam esse clausulam de reparatione scandali, jam moneat Ordinarium de impossibilitate separationis instituendæ, ut ipse Ordinarius illico separationis defectui providere queat.

(1) « Le Saint Siège cherche en cela la réparation du scandale et l'amendement des suppliants. Quand même les suppliants sont séparés en fait et doivent rester séparés, il n'est pas indifférent pour eux, pour leurs proches, pour ceux qui connaissent la faute commise, d'apprendre que le Saint-Siège, auquel cette faute a été manifestée, s'en est ému, et que, pour réparer le scandale, il n'a voulu accorder la dispense qu'à la condition d'une séparation, que si cette séparation n'a pas lieu, l'Ordinaire a les mains liées et ne peut rien pour les coupables. On ne saurait nier que cette déclaration solemnelle ne soit à elle seule un commencement de réparation,... un préservatif puissant contre la rechute, un motif qui portera les parents à une surveillance plus active etc. En outre est-on toujours bien certain qu'une circonstance imprévue n'amenerait pas une cohabitation plus ou moins longue, n'était la défense qui est intimée? » *Nouv. Rev. théol.*, XVI, p. 227.

indicare velit num « Oratores, *separatione ipsis injuncta*, per tempus præscriptum, revera separati fuerint », sufficit, uti sæpe sæpius contingit, respondere: « separati manent »: debent nempe manere separati *sub injunctione* nomine Ordinarii facta (1).

2°/ Vi rescripti non potest executioni mandari dispensatio antequam scandali, si adsit, reparatio fuerit injuncta et observata sive per separationem sive per aliud medium opportunum; sed inter AA. agitatur controversia (2), utrum necne præfata scandali reparatio requiratur ad valorem; quam controversiam S. Pœnitentiaria, non semel interrogata, noluit dirimere, uti refertur apud *Nouv. Rev. théol.*, XXI, p. 511-514.

A. D. S.

---

(1) Quando neglecta fuit separationis *injunctio*, ne nimis differatur dispensationis executio, solet Ordinarius, in diœcesi Brugensi, dispensare *ex nunc pro tunc*, nimirum, uti supra in responso ad IV^m Quæst. jam notavimus, fulminat dispensationem et instrumentum fulminationis dirigit ad parochum, hoc monito dispensationem esse quasi-conditionatam, et *tunc* tantum esse vim habituram, *quum* oratores fideliter servaverint separationem (per unum diem) a toro et cohabitatione, *nomine Ordinarii injunctam*.

(2) Sententiæ, requirenti clausulæ observationem *sub pœna nullitatis*, favet præ cæteris Fsye, op. cit., n. 742, cui accedunt Pompen, *Tractac. de Dispens.*, n. 82; Rosset, *De Sacram. Matrim.*, n. 2680, apud Putzer, *Commentar. in Facult. Apost.*, n. 74. In benigniorem vero sententiam inclinant, inter alios, De Becker, op. cit., p. 326, in nota; Putzer, l. c.; Théphany, *Traité des Dispenses matrim.* n. 300, et præprimis *Nouv. Rev. théol.*, XXI, p. 511-514, collatis XVI, p. 187-188, sub 1°/, p. 211-213 et XVII, p. 522-524.

Extra controversiam erat posita, ante 25 Junii 1885, nullitas dispensationis, quando copula incestuosa, in supplica expressa, tempore separationis indictæ, iterabatur; sed huic nullitati jam non est locus, revocata, uti supra, p. 615 et seq. ostendimus, disciplina unde erat repetenda.

VI

Q. Quibusnam in casibus adhibenda est formula: *Accipe frater* (vel *soror*) *viaticum* etc. in administranda Sacra Communione infirmis?

R. Rituale Romanum, ubi, tit. IV, cap. 4, ordinem describit servandum in Communione infirmorum, ita disponit n. 16 et 17: Sacerdos dans infirmo Eucharistiam dicat: *Accipe frater* (vel *soror*) *viaticum* etc. Si vero communio *non datur per modum viatici* dicat more ordinario: *Corpus Domini* etc. Rituale ergo distinguit casum, quo per modum viatici administratur Eucharistia, a casu quo non pro viatico sed, ut aiunt auctores post Rituale (l. c. n. 4), infirmi « ob devotionem in ægritudine communicant ». Idem insuper codex superius n° 3 explicat quid intelligendum sit verbis *per modum viatici*: « Pro viatico autem ministrabit (Parochus Communionem) cum probabile est quod eam amplius sumere (infirmus) non poterit ». « Per quæ verba instruimur, ait Cavalieri (tom. IV, cap. V, decr. I, n° IV), nonnisi in probabili mortis periculo Eucharistiam *per modum viatici* administrandam esse, nempe *per illa verba* « *Accipe frater viaticum* », extra vero tale periculum semper per consueta *Corpus Domini* etc. » Prima ergo formula *Accipe* est « formula statuta ab Ecclesia in administratione Eucharistiæ ad infirmos morti proximos ». (Baruffaldus, tit. XXVI, § 23).

Quotiescumque itaque Eucharistia ab infirmis suscipitur *extra* mortis periculum (sive hoc nondum existat, sive etiam post administratum prima vice viaticum jam evanuerit) nequaquam communicant per modum viatici et ideo non congruunt verba *Accipe* etc., sed dici debent consueta *Corpus Domini* quæ dicuntur etiam in communione sanorum (1).

(1) Cavalieri l. c., decr. XI, 14.

Si vero, periculo mortis perdurante, ægroto iterum vel pluries Sacra Communio administretur, juxta aliquos tunc etiam adhibenda est formula ordinaria *Corpus Domini*, ita ut in eodem periculo non nisi prima vice, per modum viatici sub formula viatico propria, præbenda sit Eucharistia (1).

Juxta alios autem et multo probabilius, formula *Accipe frater*, non semel tantum (seu prima vice) sed toties dicenda est quoties communicat infirmus *in periculo mortis constitutus*, sive jejunus sit, sive non; nam ut dicit Cavalieri (2) « sive ægrotus jejunus sit vel non, semper communicat per modum viatici, quando ei administratur Communio in articulo *(periculo)* mortis constituto, nomen enim viatici derivat a via et Eucharistiæ attribuitur, quatenus est præparatio pro via ad cælestem patriam brevi aggredienda ». Quæ sententia etiam conformior est Rituali cujus rubrica verbis omnino generalibus utitur: « *Pro viatico* ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit »; non minus autem probabile est, quod non amplius communionem sumere poterit, quando secunda vel ulteriori vice infirmus communicat, quam quando prima vice Eucharistiam sumpsit, siquidem idem periculum mortis, ut supponitur, perseverat. Idem insinuat Benedictus XIV cum, *De Syn. VII, C. 12, n. 4*, scribit: « potest et interdum debet Episcopus constituere, ne parochi renuant SS. Eucharistiam iterato deferre ad ægrotos, qui, *etiam perseverante eodem mortis periculo*, illam sæpius, *per modum viatici*, cum jejunium naturale servare nequeant, percipere cupiunt. » (3)

An in administratione viatici forma *Accipe*, in Rituali præscripta, aliquando omitti possit et illi alia *Corpus*

---

(1) S. Carolus *Instruct.* Visitat. infirm., de Communione; Catalanus in Rit. tit. IV, c. 4, § 4; Billuart, Diss. VI, art. IV.

(2) l. c., decr. XI, 14.

(3) Cfr. O'keane, *Explication des rubriques du Rituel Romain*, nº 777; Mélanges Théol. VI, p. 563; Bouvry, p. IV, § 3, Tit. IV, n. 12.

Domini substitui, quærunt Doctores. S. Alphonsus, *lib. VI*, *n° 285*, *dub. 4*, exposita controversia concludit: « Cæterum... etiamsi omnia in Rituali caderent sub præcepto, nullo modo potest dici, quod præceptum proferendi illa verba inducat gravem obligationem, verba enim quæ substituuntur *Corpus Domini nostri Jesu Christi* etc. reipsa idem significant et operantur. Ad excusandum vero a peccato veniali, in casu nostro bene sufficiens erit causa mutandi illa verba, ne infirmus magno mœrore afficiatur ». (1)

H. V. D. W.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Janvier 1901.

En exécution de l'article 10 du décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabrique se réuniront en séance ordinaire le dimanche 6 Janvier 1901.

L'avertissement de la séance sera publié le dimanche *précédent* au prône de la grand'messe. Cf. *Collationes*, T. II, p. 75, 2°.

La première opération de la séance consistera à pourvoir au remplacement des fabriciens et marguilliers décédés, démissionnaires etc., conformément à l'article 6 de l'arrêté royal du 12 Mars 1849.

Les conseillers s'occuperont ensuite des autres objets soumis à leurs délibérations.

(1) Cfr. O'keane, l. c., n. 818; Nouv. Revue Théol., 1898, p. 358.

Ex Sacra Congr. Rituum

PLURIUM DIŒCESIUM.

Plures variarum Diœcesium Antistites, ut sacræ cæremoniæ ritusque Ecclesiæ ad apicem juris exerceantur, sequentia proposuerunt dubia resolvenda Sacræ Rituum Congregationi; scilicet:

Dubium I. Cum Pontifex aspergit aras portatiles et dicit Antiphonas, Psalmos et Orationes; sufficitne ut aspergat et incenset tribus vicibus tantum in circuitu omnium tabularum simul consecrandarum, tanquam simul junctarum in unum, et semel Orationes dicat Psalmosque prædictos?

Dubium II. Celebranti Missam cantatam sine Ministris licetne Passionem legere usque ad *Munda cor meum;* partemque aliam, quæ sequitur, canere in tono Evangelii? An potius totam Passionem tenetur canere in eodem tono?

Dubium III. Possuntne ipsemet Celebrans exequi in Passione partem Christi, et laici partes Chronistæ et Synagogæ?

Dubium IV. Sacerdos, cui erogatur eleemosyna ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, aut votivam in honorem alicujus Mysterii, Beatæ Mariæ Virginis, vel Sancti; satisfacitne obligationi suæ Missam faciendo Officio conformem, cum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet juxta intentionem dantis eleemosynam?

Dubium V. Sacerdos, qui probabilius judicat errare Calendarium, teneturne eidem Calendario stare; an proprio inhærere judicio quoad Officium, Missam et colorem paramentorum?

Et Sacra Rituum Congregatio, re maturius perpensa sententiaque audita Commissionis Liturgicæ, rescribere rata est:

Ad I. « Negative, quoad aspersionem, quæ tribus vicibus super singulis tabulis facienda est; Affirmative, quoad reliqua ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem, si aliter fieri nequeat; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Affirmative; sed consultius est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam vel de Requie, vel votivam ».

Ad V. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Et ita rescripsit ac declaravit.

Die 13 Junii 1899.

Consultation

Une propriété est située sur les confins de deux paroisses : l'habitation et la plus grande partie du jardin se trouvent sur la paroisse de X ; une partie seulement du jardin devant l'habitation sur la paroisse Y. Les propriétaires de l'immeuble, préférant faire partie de la paroisse de Y, transportent sur le territoire de celle-ci l'entrée du grillage qui clôture la partie du jardin sise devant la maison. A quelle paroisse appartiennent-ils ?

R. Les propriétaires de l'immeuble en question appartiennent sans aucun doute à la paroisse de X.

La propriété s'étend, il est vrai, sur le territoire des deux paroisses ; mais la maison se trouve entièrement dans la circonscription de la paroisse de X. Le fait que l'accès de l'habitation a lieu par une entrée du jardin établie sur la paroisse de Y est sans influence : c'est la situation de la maison et de la porte de celle-ci qui détermine la paroisse à laquelle appartiennent les habitants. Au surplus, d'après la doctrine des auteurs confirmée par les décisions de la S. Congrégation du Concile, le déplacement de la porte d'une maison (et à fortiori du jardin attenant), assise sur les limites de deux paroisses, n'emporte pas, en général, le changement de paroisse. Il n'y a d'exception que pour le cas où la maison elle-même serait reconstruite ou subirait des

changements tels qui en modifient complètement l'ordonnance. (1)

Voici d'ailleurs un résumé succint et complet des principes qui régissent la matière qui nous occupe:

« Qui habitat in confinio duarum parochiarum, pertinet ad eam, in qua domus ingressum habet; quem si habeat in utraque, ad eam spectat, in qua est ipsius domus porta principalis (multi addunt, et magis frequentata) (2), nisi Episcopus, ex. gr. in parochiæ dismembratione seu divisione, domum adscripserit parochiæ, in qua non habet ingressum principalem (3). Si porta vel porta principalis mutetur, distinguendum est inter casum quo domus ipsa reconstruatur, et eum quo solius portæ sive unicæ sive principalis fiat mutatio; in posteriori casu manet domus sub priori parochia (4) ». Feye, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, ed. 4ª, n. 229, 5º. Cf. *Nouv. rev. théol.*, ll. cc. et T. XXIV, p. 660; Theol. Mechl., *De Matrimonio,* ed. 4ª (an. 1894), p. 331; De Brabandere, *Jur. Can. Comp.*, ed. 6ª, T. I, p. 370.

C. V. C.

---

(1) S. C. C. 14 Dec. 1872, 20 Julii 1873, 27 Feb. 1874, et 12 Dec. 1874 (*Nouv. rev. théol.*, T. VI, pp. 48 et 456, et T. VII, p. 177; *Acta S. Sedis*, T. VII, pp. 393 et 607, et T. VIII, p. 149).

(2) Cf. Phyrrus Corradus, *Praxis disp. Apost.*, L. VII, cap. 7, n. 34; Barbosa, *De off. et pot. par.*, P. II, cap 21, n. 43; Giraldi, ad Barbosam, l. c., et in *Addition. ad Instit. jur. can.* Maschat, *Summaria capitulorum in Decretatibus contentorum,* L. III, tit. 28, cap. *Cum quis;* De Justis, *De disp. matr.*, L. II, cap. 19, n. 64 ss.; Reiffenstuel, *Jus can. univ.*, L. III, tit. 29, n. 10; Pignatelli, *Consult. Canon.*, T. VIII, consult. 5. n. 7, etc.; S. C. Ep. et Reg., 15 Maii et 21 Aug. 1868, et 6 Maii 1870, (*Acta S. Sedis*, T. V, p. 598 ss. coll. T. VII, p. 609).

(3) S. C. Ep. et Reg. 14 Martii 1890 (*Acta S. Sedis*, T. XXIII, p. 340 ss.). Ex hoc decreto constat prudenti Ordinarii arbitrio relinqui ordinationem limitum in casu dismembrationis parochiæ.

(4) Cf. S. C. C. decreta supra citata.

Libellus Manualis Sacerdotum *pro missa secundum ordinem officii et extra ejusdem ordinem rite celebranda, juxta novissimam rubricarum reformationem et recentissima S. R. C. decreta. Cui accedunt Preces ante et post Missam, aliæque devotæ et selectæ Preces, Cura et studio* **P. Victorii ab Appeltern,** *Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum alumni et Juris Canonici ac S. Liturgiæ Lectoris.* — Mechliniæ, typis, H. Dierickx-Beke, Filiorum.

Ultimis hisce annis multæ introductæ sunt mutationes in rubricis Missalis novaque edita Collectio decretorum Sacræ Congregationis Rituum. Quare hic *Libellus manualis*, nuper editus, perutilis evadit omnibus sacerdotibus, cùm isti recentiori reformationi rubricarum apprime sit accommodatus. Uti titulus indicat, duplici parte constat, liturgica una, altera devotionali. In parte liturgica traduntur regulæ servandæ in celebranda missa sive secundum ordinem sive extra ordinem officii celebrantis. Hæ regulæ brevi sed accurata omnino forma exponuntur innixæ rubricis Missalis et Cæremonialis ac præsertim decretis S. Congregationis Rituum. Securam præbent viam et optime dirigunt celebrantem in omnibus illis quæ pro diversitate missæ sive conformis officio, sive votivæ solemnis, privatæ vel privilegiatæ; sive de Requie in exequiis, anniversariis etc., specialiter observanda et attendenda sunt. *Libellus* ergo *manualis* vere pretiosus et maxime commendandus est, tum propter doctrinam generatim accuratissimam, quam ex optimis fontibus tradit, prolatis citationibus authenticis, tum propter facilitatem quam utentibus præbet in solvendis casibus vel dubiis quæ, quoad partes mutabiles, in celebratione missæ occurrere possunt.

H. V. D. W.

INDEX

Documenta Romana

Pag.

Constitutio *Æterni Patris* (24 Octobris 1899), qua Jubilæi gratia extenditur ad moniales, carceratos, infirmosque ab itinere Romano præpeditos 42

Constitutio *Quod Pontificum* (31 Octobris 1899) qua suspenduntur indulgentiæ et facultates vertente anno Jubilæi 47

***

Ex S. R. et Univ. Inquis. — Dubium circa tempus attendendum pro ecclesiasticis obligationibus implendis (9 Augusti 1899) — *(cum adnotationibus)*. 62

Decernitur posse Ordinarios, data necessitate, dispensare cum concubinariis, in articulo mortis, super impedimento clandestinitatis (13 Decembris 1899) . . . 260

Denegatur sanatio in radice pro matrimonio civili cum impedimento impotentiæ contracto (8 Martii 1900) — *(cum adnotationibus)* 385

Non potest in radice sanari matrimonium ab infideli converso, omissa interpellatione prioris uxoris contracto (17 Januarii 1900) 387

Circa facultatem excipiendi confessiones navigantium (4 Aprilis 1900) — *(cum adnotationibus)* 636

Ex S. Congr. de Prop. Fide. — Vulgatur responsum 12 Julii 1869 quo statuitur a neo-conversis sub conditione rebaptizandis exigendam esse confessionem eamque integram, *(cum adnotationibus)* 200

Currente *Anno Sancto* perdurant omnes facultates *pro foro externo* concessæ et etiam concessæ *pro foro interno* in casu gravis incommodi (8 Jan. 1900) 339

Ex S. Pœnitentiaria. — Dubium circa promiscuitatem carnis et piscium diebus jejunii (9 Januarii 1899) — *(cum adnotatione)* 139

Solvitur dubium circa visitationem Basilicarum ad lucrandum Jubilæum (28 Jan. 1900) 262

Quoties quis Jubilæum lucrari valeat (17 Martii 1900). 384

Dubia varia circa Jubilæum *Anni Sancti* (28 Martii 1900) — *(cum adnotationibus)* 443

Declaratio circa convictuum puellas, quoad indulgentiam Jubilæi 446

Circa suspensionem facultatum vertente Anno Sancto:

Pag.

Suspensio non extenditur ad illos pœnitentes qui sine gravi incommodo hic et nunc ad Urbem accedere nequeunt (21 Dec. 1899 et 19 Jan. 1900) . . 149 et 259

Suspensio non comprehendit facultates Episcopis vel Ordinariis *pro foro externo* concessas (26 Dec. 1899 et 19 Jan. 1900) . . . . . 188 et 259

Permanet facultas impertiendi indulgentiam fidelibus extra mortis articulum, v. g. per benedictionem Apostolicam, absolutionem Tertiariorum, etc., ea tamen lege ut indulgentia defunctis applicetur (12 Feb. et 20 Martii 1900) . . . . . 384 et 443

Ex S. Cong. Indulgentiarum. — Circa absolutionem generalem Tertiariis impertiendam (14 Jul. 1900) . . 641

Ex Sacra Congr. Rituum. — Decretum *Urbis*, 9 Junii 1899, quo declaratur Reliquiam S. Crucis in altari expositam simul cum Cruce altaris esse incensandam. (*Cum adnotatione*) 262

Decretum *Plurium Diœcesium* 9 Junii 1899 de genuflexionibus peragendis in Altari à Diacono et Subdiacono. (*Cum adnotatione*) 263

Decretum 20 Junii 1899, circa conclusionem Hymni *Veni Creator*. (*Cum adnotatione*) 264

Decretum *in Vicen.* 3 Aprilis 1900, quo solvuntur varia dubia circa Missas lectas *de Requie*, quæ permittuntur decretis 8 Junii 1896 et 12 Januarii 1897 . . 389

Decretum declarationis indulti pro solemnitate festorum transferenda, 2 Decembris 1891 447

Decretum circa commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in suffragiis Sanctorum, 17 Junii 1899. (*Cum adnotatione*) 581

Decretum, 23 Aprilis 1895 circa translationem festi duplicis habentis Octavam, in die sua et infra totam Octavam impediti, faciendam in ipsam diem Octavam. (*Cum adnotatione*) 637

Decretum, *Plurium Diœcesium,* 13 Junii 1899, quo varia dubia resolvuntur circa consecrationem aræ portatilis; cantum Passionis; celebrationem missæ diei ad satisfaciendum obligationi missæ petitæ pro defunctis vel in honorem alicujus mysterii vel sancti; circa obligationem standi calendario 687

—

Documenta episcopalia

Acta Congregationis Prosynodalis habitæ die 29 Maii 1900, in palatio episcopali Brugis 393

Meditationes theologicæ

Pag.

Meditationes theologicæ ab Illmo ac Rev^mo Episcopo Brugensi clero suo dicatæ (*sequetur*) 99
366, 490, 551, 585, 645.

—

Conferentiarum quæstiones et responsa

Ex S. Script. Veteris Testam.

Exponitur Job IV, 17-19 2

Explanatur Job XIV, 11, 12. et componitur cum Job XIX, 25-27 155

Explicatur II Machab. XII, 43-46 291

An et quare bene fecerit Razias seipsum occidendo, uti narratur II Machab, XIV, 41-46 403

Demonstratur Ezechielem XLVI, 17 respicere *annum Jubilæi* de quo Levit. XXV, 10 530

Enarratur Ps. CIII, 4: « Qui facis angelos tuos, spiritus; et ministros tuos ignem urentem ». 662

—

Ex S. Script. Novi Testam.

Exponitur *ad Hebr.* XII, 16, 17 75
» » XIII, 10-12 218
» Jac. II, 10 347
» I Jo. IV, 18 466
» I Jo. V, 16 597

Ex Theologia Dogmatica.

Ex Tractatu de Verbo Incarnato.

Demonstratur Christum dici posse et debere Filium Dei *naturalem*, non dici posse Filium Dei *adoptivum*. . 6

Explicatur et demonstratur Christum secundum humanam naturam esse subjectum Patri, imo et sibi ipsi prout una cum Patre et Spiritu Sancto in natura divina supremus et omnium Dominus 78

Exponitur quid sint animi *passiones* et demonstratur hujusmodi passiones fuisse in Christo 157

Pag.

Exponitur quid in doctrina catholica intelligatur nomine operationis *theandricæ* 221

Exponitur notio *sanctitatis* et demonstratur humanam Christi naturam *formaliter per gratiam sanctificantem et dona ei annexa* sanctificari 294

Demonstratur Christum peccare non potuisse . . 350

Explicatur quomodo voluntas humana Christi fugiendi mortem non fuerit contraria voluntati divinæ . 408

Exponitur notio *adorationis* et demonstratur Christi unam esse adorationem ex parte ejus qui adoratur . . 469

Explicatur cur *humanitati* Christi exhiberi non possit honor latriæ, divinæ autem *personæ* Christi possit, absolute loquendo, exhiberi honor duliæ 533

Exponitur quodnam sit objectum cultus SS. Cordis Jesu 601

Traditur notio *mediatoris* et demonstratur hoc munus convenire Christo *formaliter secundum quod est homo* . . 666

Ex Tractatu de Extrema Unctione.

Exponitur quosnam effectus Extrema Unctio operetur *in anima* 9

Explicatur quanam ratione Extrema Unctio operetur *sanitatem corporalem* in infirmo illam rite suscipiente. . 14

Quæritur an et quoties iterari possit Extremæ Unctionis susceptio 18

Ex Tractatu de Matrimonio.

Exponitur nexus contractum inter et Sacramentum in matrimonio christianorum. 82

Definitur matrimonii Sacramentum ejusque materia et forma determinantur 85

Inquiritur circa matrimonium peccatoris publici baptizati et nulli falsæ religioni adscripti, quoad *assistentiam parochi*. 88

Quæritur undenam oriatur *obligatio gravis justitiæ* reddendi debitum conjugale comparti illud petenti. . 161

Exponuntur principia quæ moderantur modum agendi confessarii erga uxorem virum habentem onanistam. 163

Quæritur an, quantum et quare peccent conjuges actum conjugalem exercentes *propter delectationem* . . 168

Dijudicatur utrum et quanam ratione matrimonii impedimenta canonica afficiant infideles et hæreticos . 224

Pag.

Exponuntur et applicantur principia circa multiplicitatem consanguinitatis, hujusque graduum computationem 229

Solvitur casus concursus plurium impedimentorum . 234

Solvitur casus circa matrimonium mixtum Londinii coram ministro hæretico initum, quoad validitatem et liceitatem 301

Solvitur casus circa regulas quibus determinatur parochus proprius in ordine ad assistentiam matrimonialem 305

Solvitur casus circa delegationem ad assistendum matrimonio atque revalidationem matrimonii ex defectu debitæ delegationis irriti 310

Explicatur distinctio dispensationum matrimonialium qua dicuntur aliæ valere pro *foro externo,* aliæ pro *foro interno* 352

Exponitur quid sit *sanatio in radice* matrimonii invalidi, et quomodo differat a convalidatione per simplicem dispensationem. 353

Resolvitur an, quare et quomodo, in casu quodam proposito, procuranda sit matrimonii irriti convalidatio. 358

Quæritur utrum monendus sit pœnitens circa nullitatem matrimonii quam bona fide ignorat. 413

Exhibetur notio impedimenti occulti et publici natura vel facto 415

Exponitur potestas dispensandi concessa Ordinariis per decretum C. S. O 20 Febr. 1888 419

Determinatur natura potestatis Episcopi *ordinariæ, quasi-ordinariæ, delegatæ* 474

Quæritur utrum Episcopus dispensare valeat in impedimentis matrimonii cum non diœcesanis, vel cum diœcesanis extra fines diœcesis degentibus 476

Explanatur tenor facultatis dispensandi sub Form. III, n. 2, Episcopis Belgii ad quinquennium concedi solitæ 480

Exponitur quatenus valeant Episcopi ex potestate *quasi-ordinaria* convalidare matrimonium invalide contractum. 536

Evolvitur quid, ex eadem potestate, valeant circa impedimenta dirimentia in ordine ad matrimonium contrahendum. 541

Indicatur quomodo procedere oporteat parochus ad procurandam dispensationem in certis impedimentis,

Pag.

quæ ex confessione novit obstare matrimonio contrahendo 545

Solvitur casus matrimonii, propter impedimenta *criminis* et *affinitatis illicitæ* invalide contracti, quoad ejus revalidationem 606

Solvitur casus detecti impedimenti matrimonium dirimentis a vicepastore excipiente confessionem nuptu-rientis, quoad opportunum remedium 611

Solvitur casus matrimonii, ob nullitatem ante annum 1885 obtentæ dispensationis, irriti, quoad ejus convalidationem 615

Exponitur quid intelligatur per dispensationem concessam a/ in forma gratiosa et forma commissoria; b/ in forma pauperum et in forma ordinaria 670

Indicatur an et quomodo, ante executionem rescripti Romani, facienda sit *verificatio precum* 672

Explanatur clausula: « Remoto, quatenus adsit, scandalo, præsertim per separationem, tempore sibi beneviso, si fieri potest » 679

Ex jure canonico.

Quænam sunt jura et officia Ordinariorum circa prohibitionem et censuram librorum 22

Solvitur casus circa illicitam publicationem et lectionem librorum 172

An liceat legere et retinere libros censuræ ecclesiasticæ subjectos, sine approbatione editos 236

Solvitur casus circa absolutionem a censuris currente Anno Sancto 360

Exhibetur elenchus omnium scriptorum *Decretis generalibus* prohibitorum 487

An et quare excommunicationem incurrant *Socialistæ*. 617

Ex S. Liturgia.

Indicatur ordo cæremoniarum, inde a regressu ad altare post distributionem S. Communionis extra Missam usque ad finem functionis 93

Quænam Missa celebranda est pro benedictione nuptiarum, quænam orationes et præfatio in ea dicendæ? 314

A quo, quo modo et habitu deferendum est Sacrum Oleum infirmorum; 1/ Si sola administranda sit Extrema Unctio; 2/ Si simul cum ea administretur Viaticum? 425

Pag.

Quænam omittenda, quænam specialiter observanda in administratione Extremæ Unctionis, quando hoc Sacramentum immediate post Viaticum ab eodem sacerdote confertur? 549

Quibusnam in casibus adhibenda est formula: *Accipe, frater* (vel *soror*), *viaticum* etc. in administranda Sacra Communione infirmis? 684

—

Dissertationes

Ordo Missæ seu precum et cæremoniarum Missæ interpretatio 26
109, 174, 240, 319, 375, 429.

Quelques considérations sur la base philosophique du socialisme scientifique contemporain 35
119, 249, 435, 506.

De suspensione indulgentiarum vertente *Anno Sancto*. 50

Item de suspensione facultatum 53
188, 259, 339 et 384.

De Jubilæo *Anni Sancti:* quinam fideles illud lucrari valeant — de operibus injunctis — de favoribus. 127 et 181

Disputatur utrum et quonam jure a neo-conversis sub conditione rebaptizandis exigenda sit confessio sacramentalis eaque integra 200

De Jubilæo declarationes et controversiæ, speciatim de convictuum puellis utrum illud lucrari valeant quin Romam peregrinentur; — de Jubilæi communione non mutanda 327
coll. (quoad primum) 212, 445, 446.

De ligno vitæ. 380

De ligno scientiæ boni et mali 441

De adductione animalium ad Adam (*Genes.* II, 19) . 502

De narratione formationis Evæ (*Genes.* II, 21, 22) . 561
et 624.

—

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Mars — règles de comptabilité. 194

Pag.

Séance du 1er Dimanche d'Avril — renouvellement triennal 250

Séance légale du 1er Dimanche de Juillet — budget de la fabrique 390

Séance légale du Mois d'Octobre. 513

Séance du 1er Dimanche de Janvier 1901 686

—

Législation civile ecclésiastique

Loi du 24 Avril 1900 relative aux traitements et pensions ecclésiastiques. — Texte et commentaire . . 449
514, 570 et 629.

—

Jurisprudence administrative

Donation à la fabrique d'une église, d'un terrain destiné à l'établissement d'un cimetière, et d'une parcelle de terre devant servir d'assiette à un presbytère ou une maison vicariale. A. R. du 18 Nov. 1899 . . 64

Acquisition d'une cloche sans autorisation — suppression du crédit. A. R. du 22 Janv. 1900 197

Fabriques d'église déchues — subsides. Dep. min. du 5 Juillet 1899 265

Legs d'immeubles à condition qu'ils ne servent pas à l'usage d'auberges, cafés, etc. — clause illégale. A. R. du 17 Févr. 1900 269

Aliénation de fonds dotaux — reconstitution . . 340

Subsides pour la construction et la restauration des édifices religieux — anomalie de la jurisprudence . . 342

Donation à charge de services religieux, avec indemnité au curé du chef de la réception des prêtres étrangers — clause illégale. A. R. du 7 Févr. 1900 . . . 454

Legs à charge d'un anniversaire, qui devra être annoncé à la chapelle du couvent — clause illégale. A. R. du 30 Janv. 1900 523

Donation d'une maison à condition qu'elle serve à perpétuité d'habitation au curé moyennant un loyer déterminé — clause illégale. A. R. du 20 Juin 1900 . 578

Jurisprudence des Cours et Tribunaux

Pag.

Règlement des funérailles — interprétation des dernières volontés du défunt — compétence du juge en référé. Arrêt de la Cour de Cassation, 3 Juillet 1899 . 140

Réduction d'un legs fait à un établissement public — règlement des droits de succession et des fruits. Arrêts de la Cour de Liège, 23 Juin 1899, et de la Cour de Cassation, 8 Déc. 1898 143

—

Consultationes

Solvitur duplex dubium circa facultatem absolvendi a reservatis 67

Utrum singulis Dominicis diebus facienda sit aquæ benedictio ante missam principalem? 144

Exponitur quænam potissimum sint attendenda a confessariis, currente anno sancto 1900, quoad reservationis disciplinam 149

Utrum clerus adscriptus Ecclesiæ cujus titulus est S. Familia hujus commemorationem facere debeat simul cum commemorationibus specialibus S. Mariæ et S. Joseph 287

Utrum valeat confessarius pro infirmis commutare communionem ad lucrandum Jubilæum præscriptam . 210
coll. 332, 444.

Utrum puellæ quæ in domibus religiosis educantur lucrari valeant Jubilæum quamvis feriarum tempore iter Romanum instituere possent 212

Les trésoriers des fabriques d'église ont-ils droit à un traitement ou une indemnité? Par qui, comment et sur quelles bases l'indemnité doit-elle être réglée? . . . 270

Solvitur quidam casus binationis. 277

Circa liceitatem quarumdam expensarum occasione solemnitatis S. Infantiæ 278

Quomodo benedicenda aqua ad usum fidelium in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes? 279

De S. Viatico refectis quoad indulgentiam Jubilæi . 282
coll. 444, 446.

Circa quasdam personas in domibus religiosis aut institutis piis habitantes quatenus Jubilæum lucrari valeant 284

Pag.

An, quænam, et a quo solvenda est *portio canonica* casu quo persona fortuito extra propriam parochiam decedit? 457

De confessione hebdomadaria monialibus præscripta in ordine ad Jubilæum 526

Le déplacement de la porte d'entrée d'une propriété, située sur les confins de deux paroisses, emporte-t-il changement de paroisse? 688

—

Libri dijudicati.

Comment. epist. Paulin. (editio sexta), auct. J. A. Van Steenkiste; necnon *Appendix* ad idem opus seu *Index* alphabeticus rerum et sententiarum 71

Institutiones Theologiæ dogmaticæ, auctore Petro Einig. 150

Manuel Social, auct. A. Vermeersch, S. J. 213

Le Protestantisme contemporain, auct. Dom Urbain Baltus, O. S. B., ... 287

Eléments d'économie sociale agricole, auct. G. Malherbe . 390

Les Promesses du S. Cœur de Jésus, auct. A. Guillaume, S. J. 392

Ordo Missæ etc. auctore H. Van den Berghe 642

Libellus Manualis Sacerdotum, etc., auct. P. Victorio ab Appeltern 690

LIBER MANUALIS

SACERDOTUM DIŒCESIS BRUGENSIS

Seconde édition, considérablement augmentée,

imprimée sur papier fort, pareil à celui de l'ancien PASTORALE, et formant un beau volume in-8°, de 252 pages.

PRIX: Broché . . . . . fr. 3,50
Relié (dos basane, plats papier) . . . . . » 4,50
» (dos chagrin, plats percaline) . . . . . » 5,00

chez G. DE HAENE-BOSSUYT, à BRUGES.

Inter additamenta huic alteri editioni inserta maxime notatu digna sunt monita et instructiones summæ utilitatis tum *circa directionem sanctimonialium* (pp. 219-227) tum *de re sociali* (pp. 240-246).

GTU Library
3 2400 00271 9569

Collationes Brugenses

v.5 CBPaC
1900

v.5
1900

25283

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709